THEOLOGIA
CHRISTIANA
DOGMATICO-MORALIS

AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRAEDICATORUM.

TOMUS DECIMUS

DE SACRAMENTIS EXTREMAE UNCTIONIS, ORDINIS, ET MATRIMONII, NEC NON DE CENSURIS, PECCATIS, ET VIRTUTIBUS.



ROMAE, MDCCLI.
SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS
APUD SIMONEM OCCHI.

INDEX

Librorum, dissertationum, capitum, paragraphorum, & quæstionum quæ in hoc Tomo continentur.

LIBER PRIMUS.

DE SACRAMENTIS EXTREMAE UNCTIONIS, ET ORDINIS.

DISSERTATIO I.

De sacramento extremæ unctionis.

DISSERTATIO II.

De sacramento Ordinis.

Quæst.

Quæst.

DISSERTATIO III.

De simonia.

CAPUT I.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

Quæst.

DISSERTATIO IV.

De beneficiis ecclesiasticis.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

Quæst.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

§. Unicus.

CAPUT VI.

Quæst.

§. III.

DISSERTATIO II.

De sponsalibus.

CAPUT I.

CAPUT II.

Quæst.

CAPUT III.

CAPUT IV.

Quæst.

CAPUT V.

DISSERTATIO III.

De impedimentis dirimentibus, & impedientibus, atque de dispensatione ab iisdem.

CAPUT I.

CAPUT II.

§. I.

§. II.

§. III.

§. III.

§. V.

§. V.

§. VI.

§. VII.

§. VIII.

§. IX.

§. X.

§. XI.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

Quæst.

DISSERTATIO IV.

De obligatione, & peccatis sponsorum, & coniugum.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

Quæst.

Quæst.

LIBER TERTIUS.

DE CENSURIS.

DISSERTATIO I.

De censuris in communi.

Quæst.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

DISSERTATIO II.

De censuris sigillatim.

CAPUT I.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

Quæſt.

LIBER QUARTUS.

DE PECCATO IN COMMUNI, ET SIGILLATIM: ITEM DE SEPTEM VITIIS CAPITALIBUS, ET DE VIRTUTIBUS.

DISSERTATIO I.

De peccatis generatim.

DIS-

DISSERTATIO II.

De feptem peccatis capitalibus.

DIS-

DISSERTATIO ULTIMA.

De virtutibus.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI. & ultimum.

§. I.

BEATITUDO PRIMA.

§. II.

BEATITUDO SECUNDA.

§. III.

BEATITUDO TERTIA.

§. IV.

BEATITUDO QUARTA.

§. V.

BEATITUDO QUINTA.

§. VI.

FINIS.

T Y-

TYPOGRAPHI
MONITUM.

THeologiæ *Dogmatico-moralis*, *Auctore* P. DANIELE CONCINA, decimo iam volumine prodeunte, alia tantum duo *Apparatum ad Theologiam* complectentia supereſſe, quibus Operi finis imponitur, emptores monendos duxi. Horum primum præter bene multas pontificias ſanctiones morum provinciam reſpicientes, Librum de *locis theologicis*, ſeu de *fontibus unde morum regulæ hauriendæ*, continet; alterum vero duos de *conſcientia* Libros exhibet. Hæc autem quamprimum abſoluturum me ſpondeo.

LIBER PRIMUS.

DE SACRAMENTIS EXTREMAE UNCTIONIS, ET ORDINIS.

DISSERTATIO PRIMA.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

PRAELOQUIUM.



Ltimum tibi, lector optime, *Christianæ Theologiæ* volumen trado, tributum in libros quatuor. Primus liber quatuor concluditur dissertationibus. Brevis erit prima de sacramento extremæ unctionis: altera sacramentum Ordinis exponit: in tertia simoniæ flagitium, eiusque fuci, & tegumenta, quibus incrustari non raro solet, detestanda repræsentantur: quarta est de Beneficiis. Liber secundus integer erit de magno matrimonii sacramento, in quatuor sectus dissertationes; tertius erit de censuris; & quartus de vitiis, & virtutibus oppositis. Argumenta tractanda momentosa sunt, & scitu necessaria, præsertim illud de matrimonio, de quo fusior erit sermo. Plurium Casuistarum laxitatis paradoxa sub examen inducam. Cum enim controversiæ discutiendæ sint de officiis sensuum, carnis affectus vehementer intellectum obnubilat, eoque ad iudicandum impellit quo caro ipsa inclinat. *Quo enim* (inquit Ludovicus Granatensis Dom. XVI. post Pentecost.) *vehemens aliquis affectus propendet, eo secum trahit intellectum, qui facile rationes invenit quibus affectui suo morem gerat. Magnus enim errorum magister est affectus corruptus. Ex hoc namque fonte omnes pene mortalium errores oriuntur. Sic frequenter iniquum iudicem vel immodicus amor, vel etiam odium erga litigantes a recto deducit, iniustamque innocentis damnationem iustam esse sibi persuadet.* Ne tamen volumen istud plus iusto excrescat, omnia ad vivum resecare curabo.

CAPUT I.

Propositiones ab Ecclesia damnatæ, & laxæ, ad ea de quibus in hoc volumine disseritur, revocandæ.

§. I.

Theses proscriptæ ab Alexandro VII. & Innocentio XI.

Alexander VII. damnavit sequentes.

22. *Non est contra iustitiam Beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa Beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

40. *Est probabilis opinio quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

Innocentius XI. proscripsit infrascriptas.

9. *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*

45. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis.*

47. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc* Digniores *non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit* Digniores, *ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

50. *Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

§. II.

§. II.

Propositiones laxæ Casuistarum.

DEstinaveram nullas de matrimonio rescribere laxas opiniones, quod sint adeo fœtidæ, & horrendæ, ut legi sine scandalo vix possint. Verum quia hæretici nobis improperant, a Casuistis catholicis multa propudiosa defendi; & præsertim impius Petrus Bail plura eorum quæ docet hoc in genere Thomas Sanchez, exaggerat: idcirco paucas aliquas rescribam, ut calumniantium hæreticorum ora obstruam, intelligantque, minime quorumdam Casuistarum laxitatis paradoxa a gravioribus Theologis probari.

I. P. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* II. *num.* 1000. „ Gobat *num.* 10. putat in „ Germania licitum esse in Monasteriis per famulos vendere vinum, & panem: „ id enim proprie non esse habere tabernam, aut negotiari, sed sua vendere „ transeuntibus. " Vide infra *diss.* II. *cap.* XI. *num.* 6.

II. PP. Salmanticenses *tract.* XIX. *cap.* I. *punct.* 4. *num.* 55. „ Dicendum igitur „ est, necessario requiri ad contractum emptionis, & venditionis, quod traditio „ pecuniæ, vel alterius rei temporalis fiat ex voluntate dandi illam ut pretium, „ seu commensurandi illam cum re spirituali, tantique æstimandi; quod fit per „ contractum onerosum: hac tamen seclusa prava voluntate, *etiamsi temporale* „ *detur animo consequendi spirituale*, non ut pretium onerosum, sed gratis, vel „ ex gratitudine aut benevolentia, etiam cum aliqua antidoralis obligationis im„ positione, nulla simonia committitur, sive munus ante collationem rei spiritua„ lis conferatur, sive post ipsam, sive simul cum ipsa. " Vide infra *diss.* III. *cap.* III. *num.* 16. *& seqq.*

III. Iidem Salmanticenses *ibidem num.* 56. „ Si aliquis resignet Beneficium in „ manibus Prælati, vel in favorem alterius, *sed cum eo animo, spe, & intentio-* „ *ne*, ut alter ex gratitudine & antidorali obligatione, muneribus, donis, & ob„ sequiis correspondeat, alias sine tali spe non resignaturus; sed neque intendens „ illum alia obligatione *præter antidoralem* obligare, nec pacto alio oneroso, aut „ conventione interveniente, quo alium *rigorose* obligare intendat; non erit simo„ nia. " Vide *loc. sup. cit. num.* 22. *& seq.*

IV. Iidem Salmanticenses *ibidem*. „ Idem est de eo qui Beneficium in manu „ Prælati, vel in favorem alterius, resignat ea spe & intentione, ut aliud pin„ guius ab Episcopo sibi conferatur, aliter non resignaturus; si Superiorem non „ alia, præter antidoralem, obligatione astrictum relinquere intendat. Idem est in „ similibus casibus. Valentia *§.* 3. . . . Sotus *art.* 2. Rodriguez *cap.* LVIII. Palaus „ *punct.* 4. Suar. Ugol. Sanch. Diana, Less. Layman *loc. cit.* . . . qui etiam ad-

A ij „ dunt,

„ dunt, id verum esse, *etiamsi dictam spem verbis, vel scripto exprimat Superio-* „ *ri*: quia quod optare licet, etiam verbis exprimere licet; & etiam licitum est „ petere ab alio, quod ex naturali obligatione tenetur. " Vide *loc. & num. cit.*

V. Iidem Salmanticenses *ibidem cap.* II. *punct.* 7. *num.* 49. „ Hinc etiam hone- „ statur, quod Monasteria nobilium Monialium pinguiorem dotem, & maiorem „ summam pro ingressæ sustentatione exigant: quia quo sunt Monasteria cele- „ briora, maiores sumptus habent, & sic maior summa, ut dos, pro ingressura „ assignatur. " Vide infra *loc. cit. cap.* V. *num.* 13.

VI. Iidem Salmanticenses *ibidem num.* 50. „ Ceterum, si præter dotem sustenta- „ tionis amplius reciperent, aut peterent Moniales, vel quia ingressura est mi- „ nus nobilis, *vel deformis, vel alia infamia; vix excusari posse* a simonia, in- „ quit Sanchez *Lib. II. cap.* III. *dub.* 22. *num.* 7. quod verum iudicamus, *nisi* „ *forte* (N. B.) *inde Monasterio aliquod detrimentum eveniat vel in bonore, vel* „ *in aliis rebus temporalibus: quia hoc compensari per incrementum dotis lici-* „ *te potest*; sicut in matrimonio supra diximus compensari æqualitatem nobili- „ tatis, vel alterius rei inter coniuges per assignatæ dotis auctarium. " Vide *ibid. num.* 14.

VII. Iidem Salmanticenses *ibidem*. „ Hinc liberatur a simonia quod apud no- „ stras Moniales frequenter contingit, nimirum quod, ut recipiatur vigesima pri- „ ma, quæ apud nos dicitur *la veinte y una*, maior dos exigitur: ut duo soro- „ res vel tres recipiantur in eodem Monasterio, *adhuc maior summa* requiritur, „ nisi aliis superexcellentibus qualitatibus sint ornatæ: ut viduas admittant, *exi-* „ *gitur etiam ut dos augeatur*. Etenim in priori casu intenditur reddere ingres- „ sum difficilem, quia cum ex *sanctissima Virgine M. N. sancta Theresia* habeant „ Moniales nostræ ut solum sint viginti &c. . . . . In aliis duobus casibus ea- „ dem ratione maior dos exigitur, ut difficilior sit talis ingressus &c. " Vide *ibid. num.* 15.

VIII. Iidem Salmanticenses *ibidem num.* 53. „ Si Monasterium etiam ditissimum „ a recipiendis exigat *ex pacto* pecuniam pro sustentatione, nec ex iure divino, „ nec ex positivo simoniam committet. " Vide infra *loc. cit. num.* 18. *& seq.*

IX. P. Nicolaus Mazzotta *tract.* III. *disp.* V. *cap.* III. *pag.* 235. „ Si autem det „ aliquid intercessori sive mediato, sive immediato, non quidem pro intercessio- „ ne, sed pro labore, lucro cessante, damno emergente, dispendio temporis &c. „ in eundo & redeundo; non est simonia, quia ista sunt quid temporale omnino „ extrinsecum. *Croix num.* 91. & alii communiter. " Vide infra *diss.* III. *cap.* VI. *num.* 3.

X. PP. Salmanticenses *tract.* XIX. *cap.* IV. *punct.* 3. *num.* 22. „ Emens Beneficium „ non facit iniustitiam, sed patitur: debebat enim gratis accipere quod dato pre- „ tio

„ tio accipit; & tantum peccat contra religionem, cuius transgressio non obli„ gat ad restituendum. Nec etiam Beneficium conferens peccat contra iustitiam, „ aut ex iure divino invalidam facit collationem. " Vide infra *diss.* III. *cap.* VIII. *num.* 9. *& seq.*

XI. P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. cap.* IV. *§.* 4. *num.* 5. „ Assero secundo, „ omnia Beneficia, sive maiora, ut Cardinalatus, & Episcopatus, sive minora, „ ut Canonicatus, & Capellania, sive curam animarum habentia, ut Abbatia, & „ Parochia, sive non habentia, ut prædictus Canonicatus, & Capellania, & cete„ ra Beneficia quæ simplicia nominantur, abstrahendo ab his quæ dantur in con„ cursu (de quibus mox num. 14.) assero, inquam, satis esse ad evitandum mor„ tale, si conferantur dignis, & idoneis, esto prætermittantur digniores, vel di„ gnissimi. " Vide infra *diss.* IV. *cap.* VI. *num.* 4.

XII. P. Filliucius *tract.* XLI. *in Append. cap.* IV. *num.* 18. „ Dico quinto, senten„ tiam quæ censet, satis esse dignos eligere ad Beneficia quæ non dantur in con„ cursu, esse probabilem ex Tridentino *sess.* VII. *cap.* III. *de ref.* dicente: *Confe„ rantur dignis*: & universali æstimatione in creatione Beneficiariorum, & Car„ dinalium, Episcoporum, Abbatum &c. qui si inter dignos habeantur, laudatur „ elector, & electio: non laudaretur autem communiter, si mala esset, & pec„ catum mortale. " Vide *ibid. num.* 5.

XIII. P. Tamburinus *loc. cit. num.* 8. „ Cum immediate antea Concilium videa„ tur esse contentum de dignis, vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud si„ gnificare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto *comparativo pro positivo*: „ vel secundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos . . . „ vel tandem tertio loquitur, quando fit concursus. " Vide *ibid. num.* 7.

XIV. P. Thomas Sanchez *Lib. II. dis.* XV. *num.* 5. „ Probabile est valere dispen„ sationem Pontificis *in matrimonio rato* absque iusta causa concessam . . . Et ra„ tio est, quia est probabile indissolubilitatem talis matrimonii esse de iure huma„ no. " Vide *Lib. II. diss.* I. *cap.* VIII. *§.* 7. *num.* 12.

XV. Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* I. *punct.* 6. *num.* 83. „ Sponsalia faciunt licita „ oscula, & amplexus inter sponsos. " Vide *Lib. II. diss.* II. *cap.* I. *num.* 25.

XVI. P. Thomas Sanchez *Lib. III. disp.* XVIII. *num.* 29. „ Limitant aliqui hanc „ sententiam, nisi adirent ea loca in fraudem decreti Tridentini, ut ibi possent „ libere absque Parocho, & testibus matrimonio copulari: tunc enim aiunt esse „ invalidum . . . Ceterum displicet mihi hæc limitatio, & credo, licet adirent „ eo fine ut possent libere absque Parocho, & testibus contrahere, esse ratum „ matrimonium. Primo. Nam qui utitur iure suo, non potest dici fraudem „ committere, ut ea ratione effectus impediatur. " Vide *cit. Lib. & diss. cap.* IV. *num.* 16.

XVII. Idem Sanchez *loc. cit. disp.* XXXVIII. *num.* 7. „ Tertia conclusio. Culpa „ venialis est eā verba (*Ego coniungo vos* &c.) omittere . : . Probatur : quia ma„ teria non est gravis, cum ea verba non sint forma sacramenti, *nec pertineant* „ *ad solemnitatem magni momenti*, nec includant mysterium magnæ significatio„ nis. Præterea quia quamvis Tridentinum utatur verbis præceptivis, at sub illo „ præcepto non continetur tantum ut Parochus ea verba proferat, sed alia ma„ gni momenti, nempe ut præmittantur denuntiationes, & ut matrimonium ce„ lebretur coram Parocho, & testibus, ut habeat librum &c. " Vide *loc. cit. diss.* II. *cap.* IV. *num.* 44.

XVIII. P. Viva *quæst.* IV. *art.* 4. *num.* 6. „ Benedictio nuptiarum *non videtur* es„ se res gravis, nec *VALDE CONGRUENS PROGRESSUI MATRIMONII*. Et„ enim benedictio nuptialis non est sacramentum, sed quoddam sacramentale, nec „ tanti momenti, quanti sacramentalia quæ baptismo præmittuntur. Quamvis au„ tem non vacet culpa veniali illam simpliciter omittere sine ulla causa contra „ usum & consuetudinem Ecclesiæ ; nihilominus *probabile* est nullam esse cul„ pam ex iusta causa, videlicet ratione temporis feriati, in Adventu, aut Qua„ dragesima consummare matrimonium ante benedictionem Ecclesiæ, cum videa„ tur esse consilium, non præceptum illam præmittere. " Vide *cit. loc. cap.* V. *num.* 14.

XIX. PP. Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* XIV. *punct.* 3. *num.* 41. „ Ex quo inferunt „ fere omnes Doctores nostræ sententiæ, & inferri ex illa testantur Sanchez *Lib.* „ *VIII. disp.* XXV. *a num.* 12. & Palaus loco proxime citato, quod si talis dispen„ satio remittatur Episcopo, & ille, antequam expediat eam, interroget contra„ hentes, an copula inter eos incestuosa sit habita : *possunt.* ipsi negare, etiamsi „ præstito iuramento interroget : quia talis interrogatio est superflua, & iuridice „ in tali re non interrogat; & sic non tenentur iuxta illam respondere, sed asse„ rere non fuisse inter eos copulam, &, ne veritati contraveniant, in mente re„ tinere possunt, *ne tibi dicamus*. Immo etiamsi in rescripto Pontificis veniat illa „ clausula : *Nisi copula inter eos fuerit habita* : quia intelligitur de publica, non „ de secreta. " Vide *Lib. II. diss.* III. *cap.* V. *num.* 19.

XX. P. Patritius Sporer *Part. IV. cap.* II. *sec.* I. *num.* 428. „ Aliud est consensus „ & complacentia in copulam cogitatam ut præsentem, & delectationem actua„ lem veneream ex tali copula cogitata actu in appetitu sensitivo, & partibus „ venereis consequentem; quod & sponsis de futuro, & viduis de præterito mor„ taliter illicitum, & solis coniugibus licitum est. *Aliud est consensus & compla*„ *centia in copulam cogitatam ut futuram, & delectationem veneream ex tali co*„ *pula futura aliquando consecuturam ; quod sponsis illicitum non est. Cum enim* „ *ex ipsis sponsalibus contractis, velut iure incboato, talis copula, & delectatio sit*

„ *ali*

„ *aliquando futura, non debent de ea contristari, vel eam aversari, sed licite in* „ *eam consentire, complacere, vel gaudere de ea possunt; cum nihil aliud sit quam* „ *gaudere de spe boni futuri, quae spes praesens, & licita est. Ita cum plurimis* „ *Sanchez, Diana &c.*" Vide infra *Lib. II. diss.* IV. *cap.* 11. *num.* 4. *&* 5.

XXI. P. Thomas Sanchez *Lib. I. disp.* 11. *num.* 5. „ Secundum communem sen- „ tentiam liciti sunt amplexus, & oscula inter sponsos de futuro, eo quod spon- „ salia sunt initium quoddam matrimonii; ac proinde concedunt ius utendi *vo-* „ *luptate praeambula matrimoniali*. Ergo per sponsalia acquiritur ius in corpus; „ alias nullus illius usus concederetur; & consequenter violans hoc ius per for- „ nicationem, reus erit ultra fornicationem iniustitiae admissae, necessario ape- „ riendae in confessione. Et haec sententia est valde probabilis." Vide *loc. cit. num.* 6. *&* 7.

XXII. PP. Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* XV. *punct.* 6. *num.* 91. „ Utrum inter „ sponsos de futuro sint licita oscula, amplexus, tactus, verba amatoria &c. ex- „ tra pollutionis periculum? Respondetur, quod si tales actus ad captandam vo- „ luptatem fiant, erunt peccata venialia ... Si ob signum amoris, nullum erit „ peccatum, dummodo sponsalia inter eos sint absoluta; non vero si conditiona- „ ta fuerint. Ratio est, quia sicut sponsalia sunt *inchoatio quaedam* matrimonii, „ sic etiam liciti sunt in illo statu actus qui quodammodo sunt copulae inchoatio „ & initium. Sanchez *Lib. IX. disp.* XLVI. Aversa, Diana ... Bonacina, Azor." Vide *loc. cit. num.* 8. *&* 9.

XXIII. P. Thomas Tamburinus *Lib. VII. cap.* III. *num.* 61. *pag. mihi* 193. „ Spon- „ sis de futuro valde probabiliter sine peccato licent quaedam amoris signa, qua- „ lia sunt oscula, tactus, aspectusque pudici, ac locutiones amatoriae *etiam pro-* „ *pter delectationem in illis residentem*, sed sine periculo pollutionis, vel consensus „ in illam, vel in copulam: at nullo modo impudici. Ita Thomas Sanchez ... „ *Unam excusationem invenio in sponsos eas actiones pudicas exercentes cum pollu-* „ *tionis periculo praeviso, sed non intento, & sine periculo consensus in illam.* „ *Nam si in occasione esset, UT INURBANUS haberetur, si ab illis abstineret,* „ *posset eas usurpare: quia iam adest rationabilis excusatio.*" Vide *loc. cit. num.* 10. *& seqq.*

XXIV. P. Georgius Gobat *tract.* X, *num.* 671. „ Certum est apud omnes DD. „ oscula, tactus, amplexus non impudicos licite fieri inter sponsos, quando fiunt „ secundum consuetudinem patriae in signum benevolentiae ad conciliandum & „ fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium. Ita loquitur Perez. Et „ quidem sunt ob finem praedictum licitum liciti hi actus, *licet adsit periculum* „ *pollutionis*, modo non sit periculum consensus in veneream delectationem." Vide *ibid. num.* 14.

XXV. P. Thomas Sanchez *Lib.* IX. *disp.* XLVI. *num.* 48. „ Oscula, & amplexus, „ aliique tactus non impudici excusantur a culpa mortali inter sponsos de futuro „ ratione contractus sponsalium inter ipsos initi. Ratio est, quoniam sicut matri- „ monium ipsum cohonestat copulam; ita sponsalia, quæ quoddam matrimonii ini- „ tium sunt, cohonestare debent huiusmodi tactus, *qui incboatio quædam sunt co-* „ *pulæ:* præsertim quia sic magis fovetur amor in ordine ad matrimonium . . . . „ *Num.* 49. Atque hæc conclusio vera est, quamvis sponsi *intendant eam delectatio-* „ *nem* sensitivam quæ ex ipsis amplexibus, & osculis oritur. Quia sponsalia, quæ „ matrimonii initium sunt, excusant a mortali hanc delectationem, quæ copulæ „ inchoatio est; & in omnino solutis esset culpa mortalis. “ Vide *ibid. num.* 15.

XXVI. P. Gobat *tract.* X. *num.* 672. „ Sanchez *loc. cit. num.* 49. utitur quidem no- „ mine delectationis *sensitivæ*, sed per hanc *certo* intelligit *veneream*, ut patet ex „ *num.* 5. . . . Fateor tamen, non raro fieri ut Confessarius *cogatur* in praxi sup- „ ponere sententiam *Sanchezii*, nisi velit tales sponsos dimittere *sine absolutione*, „ utpote quibus ægre persuadebit, *aut illos amplexus, oscula &c. esse mortalia*; „ *aut agnoscentes esse mortalia, forment propositum se emendandi*. “ Vide *ibid. num.* 16.

XXVII. Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* XV. *punct.* 4. *num.* 41. „ Quod verum esse asserit „ *Sanchez* cum *Aversa*, & *Navar. etiam ante contractum matrimonium*, si videat „ ignorantia invincibili velle ad illud accedere, credatque quod eius admonitioni „ non acquiescet, sed læsa conscientia contracturam quæ bona fide contraheret, „ *vel magna difficultate*, & scandalo a tali matrimonio recessuram. Prudenter igi- „ tur Confessarius tunc sileat; *immo tacere tenetur*, inquit Sanchez *num.* 7. *etiamsi* „ *ignorantia sit iuris divini*, propter eamdem rationem. “ Vide *infra Lib.* II. *dist.* IV. *cap.* VI. *num.* 6.

XXVIII. P. Claudius La-Croix cum Gobat ultra pergit *Lib.* VI. *part.* III. *§.* 3. *num.* 541. „ Quamvis prævideatur quod monitio sit profutura, si tamen coniuncta sit cum „ gravissimo incommodo alterius, v. g. prolium, Confessarius non tenetur monere, „ *sed potest permittere* eos in bona fide. *Gobat a num.* 57. iterumque *num.* 111. *&* „ *Sporer*. “ Vide *cit. loc. num.* 7.

XXIX. P. Georgius Gobat *tract.* VII. *num.* 315. „ Quid faciet Confessarius, si „ videat pœnitentem ex invincibili ignorantia obnoxium v. g. mollitiei, cuius gra- „ vitatem edoctus ob habitum pravum vix abstinebit? His verbis proposita fuit il- „ la quæstio, applicataque huic peculiari vitio, cum posset pluribus. Respondi au- „ tem ex scriptis illo *cit. cap.* XXXVII. *num.* 61. si, probe consideratis circumstantiis „ illius pœnitentis, omnino iudicetur *nihil plane profuturam monitionem*, sed cogni- „ to a se committi grave scelus, nihilo rarius patraturum illud quam fecit igna- „ rus turpitudinis tantæ, coram Deo DISSIMULANDAM ESSE MANIFESTA- „ TIONEM VERITATIS. “ Vide *infra Lib.* II. *dist.* IV. *cap.* VI. *§.* I. *num.* 4.

XXX

XXX. Idem Gobat ibidem *num.* 317. „ Et vero non semel didici, esse qui inculpabi-
„ liter ignorarent mortalem malitiam huius flagitii. Igitur, practice loquendo, non
„ tam quærendum est de illo qui plane numquam peccatum illud omittet ob co-
„ gnitam turpitudinem, quam de illo solo *qui vix omittet, seu vix abstinebit*, ut
„ loquuntur illæ litteræ, ideft qui quandoque, etsi rarissime, abstinebit, sicut, proh
„ dolor! gemunt Confessarii se nactos complures huius fœdissimi simul & fœtidissimi
„ furfuris. *De hoc quoque censeo intelligendam sententiam D. Augustini. Moraliter enim*
„ *non tam prodest, quam obest* ILLA MONITIO, quæ tantum impediret sex, octo,
„ decem peccata formaliter mortalia, causabit autem ducenta, trecenta itidem mor-
„ talia. " Vide *loc. cit. num.* 6.

XXXI. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *n.* 299. „ Qui probabiliter putat ma-
„ trimonium esse validum, licite petit debitum: tum quia est possessio pro illo;
„ tum etiam quia aliquis potest hic, uti & alibi, sequi sententiam probabilem...
„ *Additque* Aversa, *etiamsi opinio pro invaliditate esset* PROBABILIOR; *& hoc*
„ *est conforme* dictis *Lib.* I. *a num.* 268. *de licito usu opinionis probabilis*. " Vide
Lib. II. diss. IV. *cap.* VI. *§.* 3. *num.* 7.

XXXII. P. Dominicus Viva *de sacr. matrim. quæst.* VII. *art.* 3. *num.* 9. *pag. mihi*
135. „ Demum, si alter habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, &
„ simul habeat opinionem probabilem de eius valore, licite potest petere, & red-
„ dere; cum possit amplecti alterutram opinionem probabilem quam mavult, etiam-
„ si una sit probabilior quam altera. " Vide *inf. Lib. II. diss.* IV. *cap.* VI. *§.* 3. *num.* 11.

XXXIII. P. Claudius La-Croix *Lib.* VI. *part.* III. *num.* 302. „ Si matrimonio bona
„ fide contracto superveniat dubium de valore, & post inquisitionem nil resciri,
„ nec dubium deponi possit; *prima sententia*, quam tenet S. Thomas, S. Bonaven-
„ tura, S. Antoninus, P. Soto, Ledesm. Val. Vasq. Azor. Rebell. Pont. Hurt. Turr.
„ Arr. Aversf. & alii 17. cum Schild. dicit, posse quidem reddere debitum, sed non
„ petere, quia id videtur esse decisum *cap. Inquisit.* de sent. excom. . . . *Secunda*
„ *sententia*, quam D. Sot. Veracrux, Vict. Lopez, Suar. Con. Laym. Bon. Reg.
„ Less. Lorc. Bress. Lug. Bos. Bardi, Sanch. Dian. Dicastil. Terill. Carden. dicit, posse
„ etiam petere debitum . . . *Atque hæc secunda sententia videtur, saltem specta-*
„ *ta ratione, esse probabilior.* " Vide *loc. cit. num.* 12.

XXXIV. P. Dominicus Viva *quæst.* VII. *art.* 1. *num.* 3. „ Quæritur secundo, quo
„ tempore sit illicitus actus coniugalis? Respondeo, *non esse illicitum* diebus festis,
„ aut ieiunii, *nec die communionis*, nec quo tempore uxor est gravida, aut pro-
„ lem lactat, *aut menstruum patitur*, nec ante benedictiones nuptiales; quamvis
„ consilium sit iis temporibus abstinere ". Vide *infra loc. cit. cap.* VIII. *num.* 20.

XXXV. P. Patritius Sporer *Part. IV. cap.* II. *sec.* 3. *§.* 3. *num.* 490. *pag.* 356. „ Etsi
„ enim uxor sciat maritum *solere* copulam abrumpere, & semen effundere, non
„ ta-

„ tamen peccat *nec petendo*, *nec reddendo*, dummodo ipsa non consentiat, nec coo„ peretur: quia non sequitur ex actione uxoris, sed præcise ex malitia viri. " Vide *infra loc. cit. cap.* IX. *num.* 7.

XXXVI. P. Antoninus Diana *part.* III. *resol.* 37. „ Quidam inchoabat copulam „ cum uxore, & postea ob morbi periculum de eius consensu se retrahebat; ve„ rum ex hoc aliquando sequebatur pollutio. Quæsitum a me fuit, an talis actus „ esset licitus? *Respondi affirmative*. " Vide *ibid. num.* 8.

XXXVII. P. Sporer. *loc. supra cit.* „ Insuper cessante omni periculo pollutionis „ in utroque coniuge, coniuges mutuo consensu inchoatam copulam abrumpentes, „ *ne proles generetur*, sive ob inopiam, sive ob aliam causam, non peccare morta„ liter, docent *Doctores* satis communiter. " Vide *ibid. num.* 9.

XXXVIII. Idem P. Sporer *ibidem*. „ Qui (DD.) id etiam ab *omni culpa* excu„ sant, quando iusta causa subest; v. g. ob paupertatem, ne multiplicetur proles „ *ex una parte, ex altera vero parte ad sedandam aliqualiter concupiscentiam, &* „ *incontinentiam vitandam*. " Vide *loc. cit. num.* 10.

XXXIX. P. Thomas Sanchez *Lib.* IX. *disp.* XVII. *num.* 5. „ Quod si vir in su„ perficie tantum vasis præposteri uxoris fricaret sua verenda, vel in os eius in„ tromitteret, cessante omni pollutionis periculo, non crederem esse mortale. " Vide *ibid. num.* 16.

XL. PP. Salmanticenses *tract.* X. *cap.* VIII. *punct.* 4. *num.* 52. „ Sed nos cum hac di„ stinctione ad difficultatem respondemus, & propositionem damnatam, prout ad „ nos attinet, explicamus. Quod si fuga nec periculosa est, *nec ignominiosa aggres„ so*, irregularitatem incurret aggressorem occidendo, si fugiendo posset suum da„ mnum evitare: quia in hoc *fas non est &c.* ut inquit Pontifex. *Si vero sit igno„ miniosa illi, ut si vir nobilis, aut miles esset, quibus indecorum est fugam cape„ re*; potest resistere invasori, & *fas est* illum occidere non excedendo modera„ men. suæ. inculpatæ tutelæ. " Vide *Lib.* III. *de cens. diss.* II. *de irregul. cap.* VI. *num.* 15.

XLI. Iidem Salmanticenses *ibidem num.* 54. „ Scimus autem *Dianam* . . . . & „ *Filliucium tract.* XX. *cap.* V. *num.* 133. asserere, quod si Clerico, aut Religioso in „ aliquo esset fuga ignominiosa, posset se defendere, nec incurreret irregularitatem, „ si invasorem occidat. Et addit *Leander* tract. II. disp. XIJ. quæst. 38. quod Cleri„ ci, aut Religiosi regulariter, & absolute *nullo modo* tenentur fugere, ut evitent „ conatum iniuste invadentis; ideoque si occidant defendendo se, non fieri irregu„ lares: quia regulariter loquendo fuga in ipsis inveniri non potest, quæ *aut in„ decora non sit, aut damnosa*, aut periculosa. Scimus etiam Filliucium *num.* 135. „ sensisse, quod etiam ille qui causam sua culpa invasori dedit, si non prævidit da„ mnum futurum, posset invasorii resistere, absque eo quod incurreret irregularita„ tem "

„ tem, eum occidendo, tametsi fugiendo se liberare posset. Scimus etiam, *Fagun-* „ *dez*, & ex illo *Leandrum tract.* II. *disp.* XII. *quæst.* XXXVI. dixisse, nobiles, aut mi- „ lites, qui *etiam absque nota fugere possent*, posse licite invadenti resistere: quia „ ex se fuga nobilibus, aut militibus semper ignominiosa est, & per accidens est „ quod in tali casu non sequatur: & addit idem *Leander pluribus citatis* quæst. „ XXXVII. quod etiam *homines ignobiles, aut mechanici*, qui fugam *sine periculo* possent „ capere, licite invasori resistent, *nec fiunt irregulares occidendo: quia omni generi per-* „ *sonarum fugere est infamia, quam omnes vitare tenentur.* " Vide *loc.cit.num.* 16.

Hæc ex Salmanticensibus rescribere volui, ut semper luculentius appareat, quam sit putida, & inaudita impostura illa quam nonnulli fabulatores apud imperitum vulgus disseminant, me truncatas, & minus sincere transcribere laxas quorumdam Casuistarum opiniones. Numquid dicturi sunt, Salmanticenses minus sincere, aut fraudulenter narrare præfata laxitatis paradoxa, quæ tamen omnia nec ipsi probent? Sed ex iisdem rescribere illa volui, ut ora obstruerem illorum qui omnia casuistica commenta propugnare gloriæ sibi vertunt. Porro si citati Doctores moderni cum aliis non paucis defendere non sunt veriti, & *ignobiles, & mechanicos, & Religiosos ipsos*, qui vel consilia evangelica profitentur, non debere fugam arripere, ut evitent homicidia: quia *omni generi personarum fugere est infamia, quam omnes vitare tenentur*: sed posse resistendo occidere homines: si, inquam, hæc antievangelica laxitatis commenta evulgare ausi sunt; & tam evidenter contradicere Evangelio clamanti Luc. VI. *Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram*: quisque colligat, qua maiori libertate & facilitate laxaverint, attemperaverint, perturbaverint alias leges quæ non sunt adeo luculentæ, & manifestæ.

XLII. P. Herman Busembaum *Lib.* V. *cap.* III. *dub.* 5. apud P. Claudium La-Croix *num.* 293. *pag.* XLIII. „ Hinc *probabile est* quod docet *Nav. Tol.*&c. & non repugnat „ *Laymanus*, secluso scandalo, & alii, veniale tantum esse usque ad *vomitum* se „ cibo & potu IMPLERE: idque etiam si quis VOMAT, UT ITERATO POS- „ SIT BIBERE. " Vide *Lib.* IV. *de peccatis diss.* II. *cap.* VI. *num.* 6. *& seq.*

XLIII. P. Claudius La-Croix *Lib.* V. *num.* 313. „ Ad morbum gravem etiam non letalem curandum, *aut cavendum* licitam esse inebriationem, docent multi cum „ Gobat a *num.* 15. si aliter curari, aut caveri nequit. " Vide *loc. cit. cap.* VII. *num.* 8. *& seq.*

XLIV. P. Busembaum *Lib.* V. *cap.* III. *art.* 2. „ Si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum & malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut se- „ quatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel do- „ mus gyrari videatur; nondum plena est ebrietas: ideoque tantum peccatum ve- „ niale, quamvis ex gravioribus, si DELIBERATE sit commissum. *V. Layman* „ *loc. cit.* " Vide *loc. cit. num.* 22. *& seq.*

XLV.

XLV. P. Thomas Tamburinus *Lib.* V. *in Decal. cap.* 1. *§.* 3. *num.* 37. „ Quando „ doleo de bono alterius, ut est diminutivum meæ excellentiæ, non doleo de bo- „ no alterius absolute, sed formaliter de malo meo, seu de diminutione meæ ex- „ cellentiæ, quæ mihi mala est . . . . sicut enim si gauderem de malo alterius, „ v. g. *de morte patris, ut causante immediate bonum meum*, puta hereditatis suc- „ cessionem, non esse peccatum iuxta *omnes*, supra vidimus: *sic contra, si doleam* „ *de bono alterius*, ut causante immediate malum meum, culpa non erit. “ Vide *infra loc. cit. cap.* IX. *num.* 7. *& seq.*

XLVI. Idem P. Tamburinus *ibidem num.* 40. „ Et S. quidem Thomas, ceterique „ Doctores citati lit. H. quando tamquam certum supponunt invidiam esse tristi- „ tiam qua quis dolet de bono alterius, ut est diminutivum propriæ excellentiæ, „ SUNT INTELLIGENDI descripsisse invidiam ab effectu. “ Vide *infra loc. cit. num.* 8. *& seqq.*

CAPUT II.

Extrema unctio est verum sacramentum a Christo Domino institutum. Quænam sit eiusdem materia, & forma.

I. GRæci hoc sacramentum *sanctum oleum*, *postremam unctionem*: Latini *sacramentum exeuntium*, *unctionem sacrati olei*, *sacram unctionem*, & communius *unctionem extremam* appellare solent. Lutherus *Lib. de captiv. Babyl.* a sacramentorum censu extremam unctionem reiicit. Calvinus *Lib. IV. instit. cap.* XIX. hoc sacramentum *histrionicam hypocrisim* more suo appellat. His hæresiarchis consentiunt Protestantes omnes, præsertim Kemnitius, Melanchthon, ceterique. Fatentur hanc sacram unctionem Apostolorum tempore adhibitam fuisse, immo etiam post tempora apostolica; at cessasse cum dono linguarum, & numquam fuisse verum sacramentum effutiunt.

II. Ex divinis Scripturis extremam unctionem esse verum sacramentum evincitur. Nam in catholica Iacobi epistola hæc *cap.* V. habentur. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Omnia his verbis continentur quæ ad veram sacramenti rationem requiruntur. Habetur res sacra sensibus subiecta, ut est olei unctio, quæ *materiam*, & Presbyterorum oratio, quæ *formam* constituunt. Habetur etiam institutio dominica necessaria consecutione: Apostolus enim ad universas Ecclesias, ubique terrarum dispersas, scribit id quod a Christo Domino promulgandum acceperat. Denique in præfatis verbis effectus huius sacramenti exponitur, nempe delictorum, si qua sunt, expiatio, &

ægro-

ægroti animi alleviatio, & instauratio ad resistendum dæmonis tentationibus, & corporis sanitas, si æternæ saluti expediens fuerit. Concilium Tridentinum doctrinam catholicam confirmavit, labefactato Novatorum errore *sess.* XIV. *can.* I. his verbis. *Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere & proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a B. Iacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.*

III. Christus Dominus igitur hoc sacramentum instituit, non, ut blaterant Novatores, Iacobus, qui tantum illud promulgavit. Garriunt cæci homines, epistolam Iacobi fuisse perperam intrusam in *canonem* Scripturarum; cum ipsa divinitus inspirata non sit, nec talis ab initio habita. Sed illorum commentum SS. Patrum, & universæ Ecclesiæ cum Græcæ, tum Latinæ traditio improbat, ut innumeri Theologi catholici demonstrarunt. Disputatur etiam a nonnullis Theologis catholicis, an non modo S. Iacobi, verum etiam S. Marci Evangelistæ auctoritate evincatur sanctum oleum esse verum novæ legis sacramentum? Nam etiam Marci VI. dicitur: *Ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* I. definit, extremam infirmorum unctionem esse verum sacramentum *apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum.* Porro quamvis aliqui Theologi catholici, præsertim Dominicus Soto, & Card. Bellarminus in testimonio Marci non videant veram sacramenti institutionem, neque id definiverit Tridentina Synodus, cum ibi remissionis peccatorum mentio non fiat; omnes tamen adfirmant, verbis Iacobi verum sacramentum designari, ut Tridentinum declaravit. Unius Caietani auctoritatem obtrudunt Novatores; sed de more infeliciter. Nam Caietanus ipse extremam unctionem ut sacramentum propugnat; quamvis S. Iacobi verba falso in sensu sit interpretatus: cuius aberrationem acriter Ambrosius Catherinus profligavit in *annotationibus in Commentaria* Caietani, nihil moratus, quod Dominicanus Caietanus fuerit. Et revera qui falsas opiniones defendendas suscipiunt, quia a consodalibus eiusdem instituti traditas, non pro Ecclesia Dei, non ad maiorem Dei gloriam, sed pro domo sua, & pro imaginaria gloria infeliciter belligerant. Alia plura quæ opponere Protestantes solent, missa facio, cum sint a præclarissimis Theologis penitus labefactata.

IV. Quæst. I. *Quænam sit istius sacramenti materia?* Resp. Duplex istius sacramenti materia: remota, & proxima. Remota, de qua in præsentia, est oleum ex baccis olivarum expressum: quia istud proprie, & iuxta communem sensum absolute *oleum* nuncupatur. Et hoc docent Catholici omnes auctoritate S. Iacobi dicentis, *Ungentes eum oleo*, nixi.

V. Quæst. II. *Debet ne oleum istud consecratum ab Episcopo esse non modo necessitate præcepti, verum etiam necessitate sacramenti?* Resp. Omnes Catholici adfirmant,

mant, necessariam esse huiusce olei peculiarem benedictionem necessitate praecepti, seu ex Ecclesiae institutione; at dissertant in utramque partem circa necessitatem sacramenti. Negantem sententiam defendunt Natalis Alexander *cap.1. art.* 2. Le-Druin *Lib. VII. quaest.* 11. *cap.* 1. Iuvenin *quaest.* 111. *cap.* 1. & haec sententia, teste Ludovico Habert *quaest.* IV. *cap.* 11. in Academia Parisiensi communis evasit. Idem Habert, & Turnely utramque sententiam approbant. Mihi probabilior est sententia quae propugnat olei consecrationem necessariam esse necessitate sacramenti, quia eam esse S. Thomae certum est. Inquit enim Angelicus in Suppl. quaest. XXIX. art. 5. *Dicendum, quod quidam dicunt, quod oleum simplex est materia huius sacramenti; & in ipsa sanctificatione olei, quae fit per Episcopum, perficitur sacramentum. Sed hoc patet esse falsum ex his quae de Eucharistia dicta sunt ... ubi ostensum est, quod solum illud sacramentum consistit in consecratione materiae.*

Et ideo dicendum est, quod hoc sacramentum consistit in ipsa unctione, sicut baptismus in ipsa ablutione: & materia huius sacramenti est oleum sanctificatum. Potest autem triplex ratio assignari, quare exigitur materiae sanctificatio in hoc sacramento, & in quibusdam aliis. Prima est, quia omnis efficacia sacramentorum a Christo descendit: & ideo sacramenta illa quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo; sicut tactu suae carnis vim regenerativam contulit aquis. Sed hoc sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione: & ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiae. Secunda causa est propter plenitudinem gratiae, quae confertur, non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpae, & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc quod effectus eius corporalis, scilicet sanatio corporalis, non causatur ex materiae naturali proprietate: & ideo oportet quod haec efficacia sibi per sanctificationem detur.

VI. Rursus S. Thomas *III. Part. quaest.* LXXII. *art.* 3. quaerit, *utrum sit de necessitate huius sacramenti* (confirmationis) *quod chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum*? De necessitate sacramenti, non praecepti, hic loquitur. Porro sic concludit. *Et ideo tam chrisma, quam OLEUM SANCTUM INFIRMORUM prius benedicuntur quam adhibeantur ad usum sacramenti*. Et tempore S. Thomae communis erat sententia haec: & Concilia omnia, & Patres asserunt, materiam huius sacramenti esse oleum consecratum.

VII. Disputant Theologi, num auctoritate apostolica valeat simplex Sacerdos oleum istud consecrare? Adfirmans sententia mihi est probabilior. Communis enim sententia docet, ipsum chrisma ex apostolicae Sedis indulto a simplici Presbytero consecrari posse. Ergo potiori iure consecrari hoc oleum valet ex eiusdem sanctae Sedis privilegio; quod raro tamen conceditur, & nonnisi urgente necessitate. Sapientissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter regnans in suo opere *de Synodo Lib. VII. cap.* XVI. animadvertit, in Ecclesia Orientali a mille & amplius annis

ipsos

ipsos Presbyteros oleum istud benedicere; quem morem numquam improbavit Ecclesia Latina, sed ratum habuit.

VIII. Quæst. III. *Quanam sit materia proxima huius sacramenti?* Resp. Usus materiæ remotæ est materia proxima istius sacramenti. Si enim usus aquæ, & chrismatis, nempe ablutio, & chrismatio, sunt materia proxima baptismatis, & confirmationis: ergo unctio, quæ est consecrati olei usus, dicitur, & est materia proxima huius sacramenti.

IX. Quæst. IV. *Quot infirmi partes sunt ungendæ?* Resp. Diversa circa corporis partes inungendas disciplina in variis Ecclesiis obtinuit; ut ex pluribus Ritualibus a Martene, Launoio, Menardo adductis patet. Eugenius IV. in decreto pro Armenorum instructione septem unctiones fieri præcipit, nempe *in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Et cuilibet unctioni applicanda forma est. Similia docet Catechismus Tridentinus *Part. II. cap.* VI. §. 10. In feminis iure omittitur unctio renum propter honestatem, verecundiam, & pudorem; præsertim quod talis unctio necessaria non sit.

X. Disputant Theologi, an unctiones quinque sensuum sint essentiales? Alii adfirmant, alii negant. Illud certum est omnes saltem quinque corporis partes, nempe oculos, nares, os, aures, & manus ex præcepto Ecclesiæ inungendas esse. Non est necesse ut ambo oculi, vel ambæ manus ungantur; sed sat est unum sensum ungere. Si sensus ungendus, puta oculus, vel manus, desit, pars illi propinquior ungatur. Urgente mortis articulo, si timeatur ægrotum discessurum e vita, antequam omnes quinque sensus ungantur, Parochi *unicum sensum* (inquit BENEDICTUS XIV. loc. cit. cap. XVIII. num. 5.) *inungant, formam universalem pronuntiando. Quinimmo in prædicto eventu consultius est ut caput, a quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali inungatur.* Unusquisque in hoc administrando sacramento firmiter adhæreat suæ Ecclesiæ Rituali.

XI. Quæst. V. *Quænam sit forma extremæ unctionis?* Resp. Est oratio quam Sacerdos fundit, dum ægrotum inungit: idque habetur in epistola Iacobi: *Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Sacramenti huius formam Christus non determinavit in *specie infima*, ut aiunt, hoc est certis verbis præscripta. Quare variæ sunt orationum formulæ in Ecclesia Latina, & Græca, quæ eumdem referunt sensum, rata que habentur.

XII. Quæst. VI. *Forma hæc deprecativa ne, an indicativa esse debet?* Resp. Deprecativam esse sufficientem, & convenientem, de fide est: quia sic definivit Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *can.* III. ubi hæc habentur. *Si quis dixerit, extremæ unctionis ritum, & usum quem observat S. Romana Ecclesia, repugnare sen-*

tentiæ B. Iacobi Apostoli ; ideoque eum immutandum , posseque a Christianis absque peccato contemni ; anathema sit . In ritu autem Romanæ Ecclesiæ forma est deprecativa, nempe : *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus* &c. Hanc sententiam docet S. Thomas in *Suppl. quæst.* XXIX. *art.* 8. cui subscribunt communiter Thomistæ . Quam sententiam definivit, ut vidimus , Tridentinum citato canone . Verum non ita eam definivit , ut declaraverit indicativam fore irritam . Plures enim Theologi probabiliter defendunt , etiam indicativam validam esse . Verum , ut ut sit de hac disputatione , illud est certum , solam deprecativam in praxi adhibendam esse , quam nemo absque gravi flagitio negligere potest. Quæ adducuntur in favorem indicativæ formæ , resolvit S. Thomas *loc. cit.*

CAPUT III.

De ministro sacramenti extremæ unctionis.

I. QUæst. I. *Quis sit extremæ unctionis minister ?* Resp. Novatores contendunt , seniores ætate , vel magistratus , aut primates communitatis esse ministros sacræ unctionis quam commendat S. Iacobus . Quem errorem damnavit Tridentina Synodus *sess.* XIV. *can.* IV. his verbis . *Si quis dixerit , Presbyteros Ecclesiæ , quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur , non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos , sed ætate seniores in quavis communitate ; ob idque proprium extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem ; anathema sit*. De fide igitur est solos Presbyteros esse huiusce sacramenti ministros : & hoc perspicue ex S. Iacobo patet . *Infirmatur quis in vobis ? Inducat Presbyteros Ecclesiæ*. Nomine autem Presbyterorum intelliguntur Sacerdotes.

II. Quæst. II. *Quot requiruntur Presbyteri ad hoc sacramentum ministrandum ?* Resp. Septem adhibentur in Ecclesia Græca . Plures quoque in Ecclesia Latina olim conveniebant ad ungendum infirmum . Verum nunc unus sufficit . BENEDICTUS XIV. in sua constitutione , *Etsi pastoralis* , de Ritibus Græcorum *§.* 5. *num.* 3. inquit : *Nec refert , utrum eadem extrema unctio per unum , vel per plures Presbyteros fiat, ubi huiusmodi viget consuetudo ; dummodo credant, & asserant illud sacramentum , servata debita materia & forma , ab uno Presbytero valide & licite confici* . Quando tamen plures Sacerdotes inungunt infirmum , singuli formam pronuntiare debent. Si enim unus ungeret, alter formam pronuntiaret, non fieret sacramentum , ut docet Sylvius in *Suppl. quæst.* XXXII. *art.* 2. quia , cum unctio sit materia proxima huius sacramenti , ab eodem qui inungit, determinari debet . In extrema necessitate , quando statim infirmus decessurus timeretur , posse plures Sacerdotes unctiones præstare, & unum unam, alterum alteram corporis

poris partem ungere, & formam pronuntiare, docent non pauci iuniores, quos citat & sequitur P. Viva *quæst.* VI. *art.* 2. *num.* 2.

III. Quæst. III. *Quisnam sit minister, qui licite hoc sacramentum administrare valeat?* Resp. Parochus est minister ordinarius huius sacramenti. Ceteri Sacerdotes, qui absque Parochi licentia aut expressa, aut tacita ministrarent hoc sacramentum, graviter peccarent, & Religiosi Mendicantes excommunicationem Clementinæ de privilegiis incurrerent. Necessitate tamen urgente, ut si infirmus iam iam decessurus esset, & Parochus abesset, sufficit licentia interpretativa, qua præsumitur Parochi consensus; ut declaravit S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. *Porro si is* (Parochus) *impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat, hoc* (sacramentum) *Sacerdos alius administret*. Clementina enim est in bonum ordinata, ad impediendos nempe abusus, non in destructionem. Quare si Parochus ex malitia nollet sacramentum ministrare, quilibet Sacerdos sive sæcularis, sive regularis, etiam renuente Parocho, posset sacramentum conferre; dummodo Parochus nollet, & abesset fraus omnis. Simplex Sacerdos sub mortali non tenetur hoc sacramentum administrare, nisi infirmus valde indigeret; ut quando sine alio sacramento decedere cogeretur: tum enim etiam simplex Sacerdos ministrare renuens graviter contra caritatem peccaret.

IV. Quæst. IV. *Utrum Parochus sub mortali obstringatur hoc sacramentum conferre?* Resp. Communis sententia adfirmat. Siquidem Pastori ex officio, & iustitia incumbit pascere oves suas. Peccat autem, tum si hoc sacramentum deneget, tum si plus iusto differat cum gravi periculo infirmi. Deficiente Parocho, tenetur Episcopus. Disputant iuniores, num, grassante peste, teneatur Parochus cum periculo vitæ hoc sacramentum administrare, cum non sit sacramentum necessitatis. Adfirmat Nugnus cum aliis: ceteri communiter negant. Sed distinguendum est. Si infirmus alia sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ non suscepisset, teneretur Parochus etiam cum vitæ discrimine sacramentum istud administrare. Si præfata sacramenta essent administrata, tum non auderem peccati mortalis damnare Parochum, si tempore pestis omitteret administrare hoc sacramentum, quando instaret vitæ periculum, ut sanum se conservaret ad alia omnino necessaria sacramenta administranda. Sacramenta enim confessionis, & communionis cum periculo vitæ administrare Parochus obstringitur: quidquid in oppositum dicat Thomas Hurtado cum aliis Casuistis. Pastor enim ex iustitia est consecratus gregis sui curationi. Ergo non potest ob timorem mortis pestis tempore absolute omittere horum sacramentorum administrationem. Qui mortem timent, Pastoris officium non suscipiant. Quid, si tempore pestis ægroti sanctum oleum peterent? An sine gravissimo peccato & scandalo denegare illud Parochi possent? Tum itaque solum excusarem Parochum, quando nempe, ut posset populo peri-

clitanti succurrere aliis magis necessariis confessionis & communionis sacramentis, evitaret mortis periculum in ministrando oleo sancto. Addo: si ægroti illud petant, nullo prorsus modo, etiamsi vitæ periculum instaret, denegare illud posse. Divinæ ergo providentiæ se committant Pastores Dei, illudque S. Augustini *tract.* CXXIII. in Ioannem præ oculis habeant: *Christi amor in eo qui pascit oves eius, in tam magnum debet spiritualem crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus.*

CAPUT IV.

De subiecto extremæ unctionis.

I. QUæst. I. *Quibus ministrandum est extremæ unctionis sacramentum?* Resp. Disciplina apud Græcos obtinet administrandi cuilibet fideli pœnitenti, sive sano, sive infirmo, sacramentum istud; ut ex Euchologiis eorumdem colligitur. Apud Latinos solis decumbentibus confertur; ut ex Eugenii IV. decreto pro Armenis, Concilio Tridentino, & omnibus Ritualibus constat. Disputant Theologi, num unctio a Græcis, sanis adhibita, habeatur pro sacramento vero. Goarius contendit, illam fieri tamquam meram cæremoniam sacram, seu sacramentalem quamdam benedictionem, qua Sacerdotes sublevare infirmos inunctos intendunt ab aliqua levi infirmitate, vel a graviori præservare: quod olim etiam in Ecclesia Latina factitatum animadvertit BENEDICTUS XIV. *loc. cit. cap.* XX. *num.* 4. E contrario Arcudius defendit, Græcos sanos, vegetosque inungere animo verum conficiendi sacramentum. Ut ut de hoc sit, praxim quæ obtinet apud Græcos, numquam improbavit Ecclesia Latina.

II. Ritus tamen Ecclesiæ Latinæ prorsus consonat tum divinis Scripturis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*: inquit S. Iacobus: tum traditioni perpetuæ, cuius initium designari nequit. Quare tametsi S. Iacobus sanos non excludat expresse, & formaliter; traditio tamen non intercisa temporum serie semper textum S. Apostoli infirmis, sanis exclusis, addixit. Disciplina ergo Latinæ Ecclesiæ præferenda omnino est disciplinæ Ecclesiæ Græcæ.

III. Quæst. II. *Quibus infirmis conferendum hoc sacramentum est?* Resp. Lutherus *de captiv. Babylonica*, & Calvinus *Lib. IV. Institut. cap.* XIX. debacchantur in Catholicos, quod *semimortua cadavera*, inquit Calvinus, *sua pinguedine inficiant, cum iam iam anima in primoribus labris laborat, vel, ut ipsi loquuntur, in extremis. Si præsentem habent medicinam in suo sacramento, qua vel morborum acerbitatem leniant, vel saltem aliquod animæ solatium afferant, crudeles sunt qui numquam in tempore medentur.* Similia eructat Lutherus.

IV. Sed eiusmodi impudentissimas calumnias ipsa manifesta praxis catholicæ Ecde-

clesiæ penitus labefactat. Decumbentibus utique conferri hoc sacramentum præcipit Ecclesia; at simul iubet ne ultima expectetur periodus. Eugenius IV. in laudato decreto. *Hoc sacramentum nisi infirmo de cuius morte timetur, dari non debet*. Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* III. inquit: *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur*. Verum simul Concilia omnia improbant abusum illum protrahendi istius sacramenti administrationem ad ultimam luctæ periodum, quando æger destitutus pene sensibus est. Extrema cavenda sunt. Sacramentum istud institutum est ad roborandos infirmos in ultimo agone: idcirco, non cuilibet infirmo, de cuius vitæ periculo peritorum iudicio non timetur, conferendum est; at neque in gravi infirmitate, quæ iuxta peritos ultimum exitium minatur, ita differendum est, ut tum administretur cum semimortuus infirmus apparet, minusque aptus ad se pro tanto sacramento suscipiendo præparandum.

V. Quæst. III. *Omnibus ne infirmis periculose decumbentibus administranda est extrema unctio?* Resp. Sententia negans vera est. Nam illis qui in ipsa flagitii actione sensibus destituuntur, exhibendum non est: si tamen pœnitendi spatium habuerint, antequam rationis usum amitterent, sacra unctio non est deneganda; etiamsi nullum pœnitentiæ signum dederint. Quamvis enim istis absolutio impertiri non debeat iuxta probabiliorem sententiam, tamen hoc sacramentum administrandum est, ut communiter utriusque sententiæ Theologi docent. Denegandum quoque est sacramentum istud pueris, antequam rationis lumen illis affulgeat, & fatuis a nativitate qui nulla habuere lucida intervalla.

VI. Similiter sacramentum istud nec navigantibus, nec belligerantibus cum vitæ periculo, nec ultimo supplicio afficiendis, nec mulieribus parturientibus administratur, quamvis dolorum vi sint in periculo vitæ. Senibus vero morti propinquis, sicut & periclitantibus ob pestem, ob vulnus mortale, ob morsum rabidum, administrandum est; dummodo absit periculum irreverentiæ adversus sacramentum, ut præclare docet S. Thomas in Suppl. quæst. XXXII. art. 3. *Dicendum, quod ad effectum huius sacramenti percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, & personale meritum conferentium, & generale totius Ecclesiæ. Quod patet ex hoc quod per modum deprecationis forma huius sacramenti confertur. Et ideo illis qui non possunt recognoscere, & cum devotione suscipere hoc sacramentum, dari non debet, & præcipue furiosis, & amentibus, qui possent irreverentiam sacramento per aliquam immunditiam facere: nisi haberent lucida intervalla, in quibus sacramentum cognoscerent; & sic eis conferri in statu illo posset*. Ex qua doctrina collige, quam sit detestabilis abusus illorum qui ad illam ultimam periodum protrahunt sacramentum istud, in qua debita devotione se infirmus ad illud suscipiendum præparare nequit.

VII. Quæst. IV. *An istius sacramenti susceptio sit sub præcepto?* Resp. Negantem sententiam defendunt Suarez *disp.* XLIV. *sect.* I. Henriquez *Lib. III. cap.* X. Caballutius *Theor. Lib. III. cap.* XV. & Probabilistæ communiter. P. Viva *quæst.* VI. *art.* 3. *num.* 4. hanc opinionem communem vocat. Hæc sententia mihi falsa est. Nam principio S. Iacobus inquit: *Inducat Presbyteros.* Hæc verba non consilium, sed præceptum indicant. Secundo omnia quæ ad sacramentum hoc, vel ministros pertinent, sunt in præcepto. Ex præcepto, & quidem gravissimo, obstringuntur Parochi hoc sacramentum administrare graviter ægrotantibus: & ægroti immunes a præcepto illud suscipiendi sunt? Qua ratione graviter peccaret Parochus, omittens administrationem huiusce sacramenti, & contra caritatem, & contra iustitiam, si tantum ex consilio, secus ex præcepto, suscipi a fidelibus deberet? Sacramentum Christus instituit: & nullum est præceptum illud suscipiendi tempore ullo? Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* III. improbat eos qui dixerint *hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec MANDATUM Dei, nec promissionem gratiæ* &c. Clarius ne sacra Synodus exprimere divinum mandatum poterat? De mandato igitur divino non est ambigendum. Bonus Merbesius Theologus gravissimus *diss.* V. *quæst.* IX. refert sequentem propositionem a sacra Facultate Parisiensi an. 1634. censura inustam.

Omnes Theologi dicunt, confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest, vel, ut alii dicunt, quando commodissime, quando sine ullo, vel minima prorsus incommodo.

Censura.

Ista propositio est scandalosa, in maximum sacramenti confirmationis contemptum, maligno animo proposita, & in errorem potest deducere.

VIII. Par est utriusque sacramenti & confirmationis, & extremæ unctionis ratio. Ergo æque proscribi meretur opinio negans præceptum suscipiendæ unctionis extremæ, ac opinio negans præceptum suscipiendæ confirmationis. Quid? Ecclesia catholica sacramenta habet otiosa, indifferentia, in cassum instituta? Utique non adest præceptum expressum & peculiare ab Ecclesia latum, iubens hanc sacramenti susceptionem; sed consuetudo perpetua, constans, & universalis fidelium suscipiendi hoc sacramentum vim legis obtinet. Quorsum tot Ecclesiæ studia in asserendo adversus Novatores hoc sacramento, si nulla urgeret necessitas, nullumque præceptum eiusdem usus? An Ecclesia non vult a fidelibus observari divinum mandatum? Mandatum autem divinum tum ex S. Iacobo, tum ex Tridentino perspicue patet. Hanc sententiam defendunt Merbesius, Gennet, Turnely, Antoine, Ludovicus Habert, & alii graviores Theologi.

IX. Quæst. V. *Iterari ne hoc sacramentum potest?* Resp. Negarunt plures sæculo

lo XII. sed Synodus Tridentina *sess.* XIV. *cap.* III. iterari hoc sacramentum posse declarat his verbis. *Si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint*. Nec in re aperta, & de qua dissidium nullum inter Catholicos nunc est, diutius immorandum. Si infirmitas longa fuerit, & post instauratas aliquo modo vires relabatur ægrotus in mortalem infirmitatem, iuxta prudens Parochi, seu Superioris consilium iterari poterit, ut docet S. Thomas in Supplem. *quæst.* XXXIII. *art.* 2. his verbis. *Dicendum, quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum: quia non debet dari nisi infirmis qui secundum humanam æstimationem videntur morti appropinquare. Quædam autem infirmitates non sunt diuturnæ. Unde si in eis datur hoc sacramentum tunc quando homo ad statum illum pervenit, quod sit in periculo mortis, non recedit a statu illo nisi infirmitate curata; & ita non debet iterum inungi. Sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero sunt ægritudines diuturnæ; ut hectica, hydropisis, & huiusmodi: & in talibus non debet fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: & si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam ægritudinem reducatur, iterum potest inungi: quia iam quasi est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.*

X. Quæst. VI. *Qui ordo servandus in huius sacramenti administratione est?* Resp. Extrema unctio consummatio & perfectio pœnitentiæ appellari communiter solet: ideo post omnia sacramenta administratur. Alicubi disciplina obtinuit ante viaticum inungendi ægrotos. Quæ disciplina, inquit Natalis ab Alexandro etiamnum obtinet apud Cistercienses. Nihilominus, ubi mos iste non obtinet, servanda omnino est disciplina universalis Ecclesiæ, approbata a Tridentino, eiusque Catechismo.

CAPUT V.

De dispositionibus ad hoc sacramentum requisitis, deque eiusdem effectibus.

I. Dispositiones quæ præcedere hoc sacramentum debent, aliæ sunt remotæ, aliæ proximæ. Remotæ sunt 1. ut ungendus sit baptizatus. 2. ut periculose decumbat. 3. ut sit adultus rationis usu præditus. 4. ut nulla excommunicatione sit innodatus. Proximæ dispositiones sunt 1. ut nemo sibi peccati mortalis conscius audeat hoc sacramentum suscipere, quin prius contritus, & confessus, cum possit, absolutus sit. 2. Ad hoc sacramentum cum fructu suscipiendum opus est ut cum magna fiducia & fide quisque accedat. 3. Sancto oleo liniendi

suam intentionem, suasque preces coniungere cum intentione & precibus quibus utitur Ecclesia, debent; & dum unguntur, inquit Merbesius, Sacerdotem Christi Domini personam repraesentantem, & instar Samaritani evangelici sua ipsorum corpora consecrato oleo perfundentem, & ipsos divinae unctionis plenitudine uberius perfundentem venerabundi suspiciant.

II. Tres numerantur istius sacramenti effectus, quos describit *sess.* XIV. *cap.* II. Concilium Tridentinum. *Huius sacramenti res est gratia Spiritus sancti: cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & aegroti animam allevat, & confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, & labores levius fert, & tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur*. Primus igitur effectus est gratia sanctificans omnibus sacramentis communis. Huic vero gratiae adnexa sunt auxilia adversus ultimos furentis daemonis impetus: & hic proprie est primus effectus. 2. est peccati reliquias abstergere. 3. infirmum alleviat, erigit, & sanitatem, si expediat, restituit.

III. Peccati reliquias abstergere hoc sacramentum dicitur, quatenus infirmitates, & defectus, ex peccato originali, & actuali contractos, puta propensionem ad malum, torporem ad bonum operandum, moerorem, & gravedinem animam deprimentem expellit.

IV. Disputant Theologi, utrum hoc sacramentum per se, an vero per accidens peccata dimittat? Alii per se & primario; alii tantum per accidens defendunt, peccata hoc sacramentum expellere. Dissidium istud, ad praxim, & ad bonum spirituale animae quod attinet, nullius momenti est. Sententia adfirmans primario, & per se hoc sacramentum peccata remittere, nititur verbis Iacobi: *Si in peccatis fuerit, remittuntur ei*. Item ex Tridentino; *Cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, abstergit*. Verum haec & alia, quae adduci testimonia solent, solum evincunt peccata dimitti; at primario & per se id praestare non declarant. S. Thomas in Suppl. *quaest.* XXX. *art.* I. inquit: *Hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale, vel mortale; sed contra alios defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae gratiae, vel gloriae: & hic defectus nihil aliud est quam quaedam debilitas, & ineptitudo, quae in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali: & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quae secum non compatitur peccatum; ideo ex consequenti, si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis*.

V. Verum, missis scholasticis quaestionibus, excitanda est Pastorum vigilantia & stu-

ſtudium, quo frequentius ſacramenti huius dignitatem, neceſſitatem, & ſaluberrimos effectus populo explicent. Non pauci reperiuntur qui aut numquam, aut raro hunc gratiarum theſaurum reſerant plebi ſuæ. Ea ſocordia, ne dicam cæcitate, aliqui laborant, ut vereantur triſtia, & mortis ſententiam ominari ſuis parochianis, ſi iſtius ſancti olei beneficia, & ingentia commoda exponant. Reformidant ne animis concidant, & mœrori atque triſtitiæ ſe dedant, mortemque ad latus adſtare concipiant, ſi extremæ unctionis prærogativas, donorum copiam, & invictam fortitudinem, qua Chriſti milites illam ſuſcipientes in ultimo agone roborantur, patefaciant; ſi illos doceant, qua ratione, & devotione ſe ad tantum percipiendum remedium diſponere debeant. Heinc eſt quod populi ad ſolam iſtius *olei ſancti* vocem, veluti ad acerbum, atque fatalem nuntium, trementes perhorreſcunt. Videbis multos Chriſtianos frequentes ad confeſſionalia, ut Sacerdotibus peccata manifeſtent, ad altaria, ut Euchariſtiam accipiant: ſe ad ſacramentorum frequentiam ſingulari devotione affectos declarant; & triſtantur, ſi raro iis facultas communicandi impertiatur. Quot vero ſunt ex decumbentibus qui hilari & inflammato animo divinum extremæ unctionis remedium exoptent, efflagitent, implorent? Pauciſſimi. AEgrotorum religioſiores pientioreſque habentur qui ſe indifferentes, qui ad arbitrium Parochi, & Superioris ſe ſe accommodant, & animo patienti ferunt divinam ſibi applicari curationem. Unde hæc indolentia? Unde tantus erga alia ſacramenta, dum ſani erant, apparens fervor, & tanta erga iſtud ad ultimam victoriam opportunum ſacramentum indifferentia? Non ſane aliunde, niſi ex Parochorum negligentia atque ſocordia. Si enim illi plebem inſtruerent, ſi uberrimos iſtius ſacramenti fructus, & neceſſitatem ſe ſe armandi contra truculentiſſimum hoſtem, qui in illa extrema lucta totas ſuas exerit vires, inſidiaſque, frequenter inculcarent: fideles ipſi peterent ſe muniri atque roborari iſtius divinæ unctionis efficaciſſimo remedio; atque invicta armatura ad reſiſtendum immani beſtiæ. Vigilantiores itaque Parochi ſint, & ferventiores in accendenda populorum devotione erga hoc ſacramentum: dedoceant illos præiudicia, & ſpectra illa perniencioſiſſima, quibus mortem ſibi inferri imaginantur, dum hoc ſibi applicari cæleſte remedium ſentiunt.

DISSERTATIO II.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT I.

Ordo est verum novæ legis sacramentum.

I. PRincipio ordinis acceptiones variæ declarandæ. Plura Latini hac *ordinis* voce explicant, ut partium dispositionem: varios hominum status, senatorium, plebeium, ecclesiasticum, ordines appellant. Similiter diversi Monachorum, Monialium, Claustralium Cœtus & Instituta ordines nuncupantur. Ordo, de quo in præsentia, est ritus sacer quo personæ ecclesiasticæ consecrantur. Hic Ordo non est status, ut est sacerdotalis, sed est actio transiens, quæ in ipsa consecratione personæ sita est, unde status sacerdotalis permanens consequitur.

II. Quæst. I. *Quid sit Ordo sacer; quo consecrantur personæ ecclesiasticæ?* Resp. Communiter definitur, quod sit sacramentum novæ legis, quo potestas spiritualis traditur ad sacrosanctum Christi corpus consecrandum, & ad alia ministeria ecclesiastica rite, & ex officio obeunda. *Sacramentum* vices generis tenet. *Potestas spiritualis* &c. differentiam exprimit, qua Ordo a ceteris sacramentis distinguitur. Hæc autem potestas duplex est. Prima corpus Christi reale, seu sacrificium spectat; vocaturque *potestas Ordinis*. Altera respicit corpus Christi mysticum dirigendum, imbuendumque, seu fideles; & appellatur *potestas iurisdictionis*, qua confertur ius docendi, & dirigendi fideles ad regnum æternum.

III. Quæst. II. *Sacra Ordinatio est ne verum novæ legis sacramentum?* Resp. Pernegant Novatores, Lutherus *Lib. de Captivitate Babylonica*, Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* XIX. Kemnitius *in II. Part. Exam. Concil. Trident.* & ceteri omnes. Contra Catholici omnes de fide esse docent, hanc sacram Ordinationem vere & proprie esse sacramentum: idque omni argumentorum genere evincunt. Nam ad sacramentum, ut vel ipsi Lutherani, & Calvinistæ fatentur, tria sunt necessaria: 1. symbolum externum, seu ritus sensibilis: 2. promissio gratiæ: 3. institutio divina. Hæc tria in sacra Ordinatione habentur. Ergo est verum sacramentum.

IV. Symbolum, seu externus ritus in manuum impositione, & oratione sensibilis apparet, ut *Act.* VI. habetur. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Rursus in Ordinatione Pauli, & Barnabæ *ibidem*

cap.

cap. XIII. dicitur : *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Nec est quod Lutherani, Calvinianique opponant, impositionem manuum esse ritum quemdam externum, quem Apostoli frequentissime usurpabant vel in ipsa morborum curatione. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt* : Marc. XVI. Quoniam concedimus & nos, non quamlibet manuum impositionem ab Apostolis, & Christo adhibitam, esse ritum sacramentalem; sed illam dicimus manuum impositionem esse verum sacramentum quæ in ministris ordinandis usurpata fuit, quæque ab ipsa oratione distincta est, ut habetur I. ad Timoth. V. *Nemini cito manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Hæc manuum impositio accipi pro oratione, & communi cæremonia nequit. Numquid alienis peccatis communicat qui orat pro alio, licet indigno?

V. Patrum traditione catholicum dogma confirmatur. S. Ambrosius *Lib. de dignit. Sacerd. cap.* V. inquit : *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam* : *Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera*. Innocentius I. contra hæreticos, potestatem sibi usurpantes ordinandi ministros, *epist.* XVIII. hæc scribit. *Nec dare eius* (Spiritus sancti) *plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius quam per fidem, dixerim, perdiderant.* S. Augustinus *Lib. II. contra epist. Parmen. cap.* XIII. sic Donatistas urget. *Explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti : si enim utrumque sacramentum est, QUOD NEMO DUBITAT, cur istud non amittitur, & illud amittitur? Neutri sacramento iniuria facienda est.* Quid ad hæc Lutherani, & Calviniani? S. Leo *epist.* II. *cap.* I. ubi præscribit modum suscipiendi sacram Ordinationem a ieiunis, declarat ex apostolica traditione hanc proficisci : *ut intelligamus*, inquit, *quanta & dantium, & accipientium devotione curandum sit ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum.*

VI. Tandem Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. *cap.* III. definit. *Cum Scripturæ testimonio, apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis.* Et *can.* III. Novatorum errorem profligat. *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere & proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, & sacramentorum; anathema sit.*

CA-

C A P U T II.

De Ordinis divisione, & cuiusque Ordinis munere.

I. QUæst. I. *An sint plures sacri Ordines?* Resp. Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* II. hæc habet. *Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, & maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures, & diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent.* Deinde *can.* III. hæc subdit. *Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, & maiores, & minores, per quos, veluti per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit.* De fide itaque est, plures esse sacros Ordines.

II. Quæst. II. *Quot sunt Ordines?* Resp. Septem numerantur, videlicet *Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus,* & *Ostiariatus.* Tres priores vocantur maiores & sacri; alii quatuor minores. Hunc numerum recenset Synodus Tridentina *sess.* XXIII. *cap.* II. Quem septenarium numerum ita probavit sacra Synodus, ut non damnaverit disciplinam Græcorum, qui quatuor tantum Ordines retinent.

III. Quæst. III. *Tonsura, Cantoratus, & Episcopatus sunt ne Ordines distincti?* Resp. Communis est Theologorum sententia, neque Tonsuram clericalem, neque Cantoratum esse Ordines. Tonsuræ nulla competit actio circa corpus Christi sive reale, sive mysticum; sed quædam dumtaxat præparatio est ad Ordines. Cantoratus quoque est merum officium. Celebris vero est controversia inter Theologos, utrum Episcopatus sit sacramentum a Presbyteratu distinctum. Negat S. Thomas: cuius sententiam pleno in lumine collocavit P. BERNARDUS DE RUBEIS, sacræ eruditionis, solidioris critices, profundioris saniorisque doctrinæ fama universæ Reipublicæ Litterariæ clarissimus, qui inter cetera præclara opera quæ publici iuris fecit, omnia S. Thomæ opera, quæ nunc Venetiis eduntur, perdoctis *Admonitionibus præviis* illustrat. Porro *Admonitione prævia in Tomum XII. §.* 5. duo doceri a S. Thoma animadvertit. Primum, Episcopatum esse Ordinem, si pro eminentiore quodam officio accipiatur, a simplici Presbyteratu distinctum, ipsumque divina institutione permanentem, atque indelebilem: idque perspicuis Angelici Doctoris testimoniis evincit. Secundo fatetur, S. Thomam negare Episcopatum esse Ordinem illum qui dicitur sacramentum, & characterem imprimere a simplici Sacerdotio distinctum. Hanc esse genuinam S. Thomæ sententiam luculentissimis Aquinatis testimoniis demonstrat. Actum agerem, si huic controversiæ, a doctissimo viro penitus exhaustæ, atque uberrima eruditionis & doctrinæ co-

copia exornatæ, quidquam adiicerem. Id dumtaxat affero, sententiam S. Thomæ mihi esse probabiliorem.

IV. Quæst. IV. *Quid sit Ostiariatus, & quænam eius munia*? Resp. Est ordo, quo Clericus præficitur sacræ Ecclesiæ supellectili curandæ, Deique domui custodiendæ. Quatuor Ostiarii Clerici munia recenset Catechismus *Part. II. de sacr. Ord* 1. Ostiarius Ecclesiæ ianuas reserare dignis, & indignis claudere debet, puta infidelibus, & excommunicatis. 2. Curare debet ne laici propius ad altare accedant. 3. Illius est pulsu campanæ fidelem populum convocare ad divina officia. 4. Servare vasa sacra, & universam Ecclesiæ supellectilem. Quintum munus addidit Concilium Mediolanense I. *tit. de Ostiario*, nempe invigilare sedulo ut omnes reverenter in Ecclesia se gerant. Munus istud hac præsertim ætate nostra apprime necessarium est, cum dissolutiones in templis invalescant. Impudentissimæ feminæ luxum theatralem ad Ecclesias deferunt, mendicantium murmura devotionem fidelium interturbant, canes profanant, & plura alia scandalum ingerunt.

V. Quæst. V. *Quid sit Lectoratus, & quænam eius munia*? Resp. Lectoratus Ordo est quo confertur potestas legendi in Ecclesia Scripturam divinam, & SS. Patrum doctrinam. Quinque sunt eiusdem munia. 1. Publice legere utriusque testamenti Scripturam sanctam. 2. Erudire catechumenos, & rudes baptizatos, fidei articulos explicando. 3. Olim Lectoris munus erat eam divinæ Scripturæ partem legere quam Episcopus interpretaturus erat. 4. Divinas decantare laudes, & psallentibus præesse. 5. Priscis temporibus Lectoris erat novos benedicere fructus.

VI. Quæst. VI. *Quid sit Exorcistatus, & quænam illius officia*? Resp. Est Ordo quo potestas impertitur expellendi dæmones a corporibus sive catechumenorum, sive baptizatorum. Et hoc est Exorcistarum unicum munus, quod ipsis Concilia Laodicænum, & Carthaginense IV. ac Pontificale Romanum tribuit, videlicet dæmones adiurare.

VII. Quæst. VII. *Quid sit Acolythatus, eiusque officia*? Resp. Est Ordo quo potestas traditur inserviendi Subdiacono, & Diacono in Missæ sacrificio. Acolythus quippe iuxta vim græcæ vocis est quasi famulus & pedissequus. Tria sunt illius munia. 1. Parare vinum cum aqua in urceolis Subdiacono ab ipso exhibendis. 2. Deferre lumina cum Evangelium solemni ritu a Diacono cantatur. 3. Luminaria Ecclesiæ accendere, & asservare; ideoque vulgato nomine *Ceroferarii* nuncupantur. Antiquitus Acolythi Episcoporum epistolas deferebant, & eulogias ad absentes portabant.

VIII. Quæst. VIII. *Quid sit Subdiaconatus, & quæ eiusdem munia*? Resp. Est sacer Ordo quo potestas traditur ministrandi Diacono, & Sacerdoti in sacrificio Missæ. Subdiaconos *Hypodiaconos* Græci appellant. Disputant Theologi, sit ne Ordo iste sacramentum. Illi qui sacramenti dignitatem abdicant a quatuor minoribus Or-

Ordinibus, negant Subdiaconatum esse sacramentum. Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* II. inquit : *Subdiaconatus ad maiores Ordines a Patribus, & sacris Conciliis refertur.* Contendunt recentiores plures usque ad sæculum XII. præter propter inter minores Ordines locatum fuisse, indeque evectum ad sacros superiores Ordines, quando a Romana Ecclesia ad alias Occidentis Ecclesias promanavit lex ut Subdiaconi castitatem solemni voto profiterentur. Verum de hac controversia nihil ad nos. Subdiaconi munia quinque in Pontificali Romano recensentur. 1. Calicem & patenam in usum sacrificii Diacono offert Subdiaconus. 2. Sacerdoti sacrificanti aquam fundit ad digitorum extrema abluenda, 3. Oblationes a populo suscipit. 4. Legit Epistolam, in quem finem librum accipit ab Episcopo. 5. Pallas altaris, corporalia, & purificatoria abluit.

IX. Quæst. IX. *Quid sit Diaconatus, & quænam eiusdem officia?* Resp. Est sacer Ordo, quo traditur spiritualis potestas inserviendi proxime Sacerdoti sacrificanti. Tria illi officia Pontificale Romanum adscribit, ministrare ad altare, baptizare, & prædicare. 1. igitur Diaconi Episcopo, vel Presbytero sacra agenti præsto adsunt : materiam sacrificii panem & vinum exhibent, calicem consecrandum cum ipso offerunt. Evangelium solemniter ex altiori loco legunt. Indignos a dignis separant hac terribili voce : *Recedant pœnitentes : sancta sanctis* : quæ vox, inquit Chrysostomus, quamdam iudicii extremi imaginem præfert. Præsunt adstantium precibus: monent, quando flectenda genua, quando levanda. Iuxta veterem Ecclesiæ ritum calicem sanguinis Domini adstantibus dispensabant. 2. Diaconus ex officio baptizat, non quidem solemniter, nisi ut extraordinarius minister. 3. Diaconi sunt verbi Dei ministri vi suæ Ordinationis, si prædicatio fiat per modum catecheseos, & absque illo apparatu qui illis competit qui ex cathedra ad populum concionantur. *Evangelistæ Diaconi sunt*, inquit Auctor *Lib. eccl. Dogmatum* inter opera S. Augustini. Et S. Ambrosius in cap. IV. epis. ad Ephes. *Quamvis non sint Sacerdotes, evangelizare tamen possunt sine cathedra.*

X. Quæst. X. *Quid erant Diaconissæ, quarum Scriptores ecclesiastici meminerunt?* Resp. Diaconissarum duplex species. Aliæ erant uxores, quas Diaconi ante inaugurationem suam duxerant : hac ratione uxor Episcopi dicebatur Episcopa, Presbyteri Presbytera, Diaconi Diaconissa, Subdiaconi Subdiaconissa. Concilium Turonense II. *can.* XX. inquit : *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur.* Ambo apud Latinos perpetuam continentiam profiteri astringebantur. Aliæ Diaconissæ mulieres erant, sive viduæ, sive virgines, Deo dicatæ ad aliquod Ecclesiæ ministerium. Diaconissarum consuetudo ab ipsis Apostolis in Ecclesia universali sive Græca, sive Latina obtinuit; quarum meminit Apostolus ad Rom. XVI. *Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchris.*

ebris. Diaconissæ 1. erant ostiariæ mulierum, quæ tum a viris in templis separatæ erant. 2. Mulieres baptizandas exuebant, & induebant. 3. Mulieres rusticanas imbuebant. Diaconissarum status sacer Ordo non erat. Sensim sine sensu Diaconissæ obsolevere.

XI. Quæst. XI. *Quid sit Presbyteratus, & quænam illius officia?* Resp. Græce Presbyter idem est ac latine senior. In Republica Magistratus & Præfecti *Seniores* vocari solent. Presbyteratus autem sacer Ordo est, quo datur potestas consecrandi corpus Christi, & remittendi peccata. Quinque in Pontificali Romano eiusdem officia numerantur: *offerre, benedicere, præesse, prædicare, baptizare*. 1. Primarium officium est offerre: sacerdotium quippe & sacrificium indivulsa sunt *Omnis enim Pontifex* (inquit Paulus Heb. VIII.) *ad offerendum munera, & hostias constituitur*. 2. Presbyteri est benedicere personas, & quæ ad earum usum attinent. 3. Presbyteri sub manu Episcopi præsunt populo. 4. Iisdem prædicationis munus incumbit. Nam Presbyteri præsunt populis: eos ergo pascant oportet. Porro *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Parochi qui in pascendo grege hoc divino alimento socordes sunt, graviter in proprium ministerium peccant. 5. Presbyterorum est baptizare iure illis ordinario.

XII. Quæst. XII. *Quid sit Episcopatus, & quæ illius munera?* Resp. Episcopi nomen latine superintendens, seu speculator est. *Vult Pompeius*, inquit Cicero Lib. VII. epist. ad Atticum, *me esse quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat Episcopum, ad quem delectus, & rerum summa referatur*. S. Ioannes Chrysostomus, & alii permulti docent, tempore Apostolorum Episcopi nomen fuisse commune Sacerdotibus primi & secundi ordinis. Usus tamen obtinuit ut soli maiores Sacerdotes *Episcopi* appellarentur; & *Antistites*, qui ante alios Clericos stant, iisque præsident; & *Pontifices*, qui præ aliis multa peragere valent. Episcopatus autem est Ordo supremus, quo datur Presbytero potestas conferendi sacramenta confirmationis, & Ordinis, regendique Ecclesiam ipsi commissam, nempe Clerum, & plebem. Dicitur Ordo, quia, ut ex S. Thoma indicavi, est apex & fastigium Sacerdotii. Ordo iste confertur Presbytero: quia nequit esse Episcopus, nisi prius fuerit Presbyter. Potestas conferendi sacramenta confirmationis, & Ordinis competit soli Episcopo: in quo duplex relucet potestas, ordinis, & iurisdictionis, quæ tum complementum accipit cum Ecclesiæ regendæ præficitur.

XIII. Quæst. XIII. *Sunt ne singuli Ordines sacramenta?* Resp. De fide est Presbyteratum esse sacramentum, ut definivit Tridentinum *sess.* XXIII. *can.* 1. his verbis. *Si quis dixerit non esse in novo testamento Sacerdotium visibile & externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum corpus, & sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi .... anathema sit*. Diaconatum quoque esse sacramentum, affirmant omnes: nam Diaconatus confertur per manuum

nuum impositionem, quæ est signum sensibile: quod signum divinitus institutum est, eique gratia annectitur, quam significant illa verba: *Accipe Spiritum sanctum ad robur*. Nihil ergo ipsi deest ad veram sacramenti rationem.

XIV. Subdiaconatum, & minores Ordines permulti hodie Theologi, ut iam dixi, pernegant esse sacramenta; nec spernenda argumenta opponunt. Verum mea nunc non interest talem dispicere controversiam. Quamvis autem singuli Ordines tum maiores & sacri, tum minores essent sacramenta; unum tamen est sacramentum Ordinis: quia omnes ordinantur ad unum Sacerdotium, quo consecratur corpus, & sanguis Christi.

XV. Quæst. XIV. *Qui suscipit sacros Ordines in peccato mortali, peccat ne mortaliter?* Resp. Adfirmant vel ipsi Probabilistæ omnes, qui defendunt, etiam minores Ordines esse sacramentum. Porro suscipere sacramentum in peccato mortali gravis profanatio est sacramenti. Verum, etiamsi minores Ordines non essent sacramentum, non ideo immunis a gravi malitia esset qui illos conscientia mortifero scelere inquinata susciperet.

XVI. Quæst. XV. *An exercere Diaconatum, Subdiaconatum, & minores Ordines in peccato mortali sit mortale?* Resp. P. Viva *quæst.* VII. *art.* I. *num.* 8. refert Suarez, Vasquez, Conink, & alios plures, negantes, Diaconum, & Subdiaconum peccare mortaliter, mortali culpa inquinatos exercentes proprium officium. Hæc sententia mihi falsa est, & ita sentiunt graviores Theologi, Caietanus, Toletus, & alii plures, a quibus recensendis abstineo, quoniam ratio manifesta est. Nam isti ministerium sacramentale exercent. Ergo graviter peccant, dum conscientia sordida illud profanant. Maior difficultas est de exercitio minorum Ordinum. Communiter Probabilistæ negant, exercitium horum Ordinum in peccato mortali gravi malitia infici. Eccur non? Quia, inquiunt, Ordines isti remote distant a Sacerdotio. Quid inde? Sunt tamen iuxta istos sacramentum. Cur autem exercere sacramentale officium solemni ritu in Ecclesia non est gravis profanatio eiusdem sacramentalis Ordinis? A nemine vidi solidam productam rationem quæ id evincat quod isti contendunt. Verum de hoc infra sermo recurret, dum de dispositionibus ad Ordines suscipiendos sermo erit.

CAPUT III.

De materia & forma sacramenti Ordinis.

I. IN celebri Armenorum decreto Eugenius IV. de materia & forma sacrarum Ordinationum hæc decernit. *Sextum sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo. Sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangelio-*

liorum dationem. Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem. Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: *& sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur*. Hac auctoritate nixi plurimi Theologi defendunt, materiam essentialem sacramenti Ordinis in porrectione instrumentorum sitam esse; & in oratione quæ in horum instrumentorum porrectione recitatur, formam.

II. Verum magnum facessit negotium in hac controversia, quod Ecclesia Græca sola manuum impositione, & oratione conferat sacras Ordinationes, nullis instrumentis adhibitis, nisi post Ordinationem completam. Quid quod neque Ecclesia Latina longo sæculorum intervallo in sacris Ordinationibus perficiendis præfata adhibuit instrumenta? Unde hoc? Variata ne est in Ecclesia Latina sacramentorum materia essentialis? Hæc gravissima difficultas in diversa placita Theologos divisit.

III. Alii defendunt, impositionem manuum semper fuisse materiam essentialem, & orationem annexam, formam; instrumentorum vero porrectionem cum verbis eidem adiectis esse materiam & formam accessoriam, & accidentalem, seu integralem, ad maiorem effectus sacramentalis expressionem & declarationem: de qua tantum locutum esse Eugenium IV. in laudato decreto contendunt. Addunt vero, ut veterem ritum cum novo concilient, in impositione manus, qua antiqui utebantur, implicite ac virtute contentam fuisse instrumentorum porrectionem: quia manus est organum organorum. Alii Theologi nec aliam materiam sacrarum Ordinationum, nisi instrumentorum porrectionem, nec aliam formam, præter orationem huic porrectioni adiunctam agnoscunt. Horum aliqui dicunt, hæc instrumenta semper adhibita fuisse implicite, & virtute inclusa in impositione manus. Alii denique contendunt tam impositionem manuum, quam instrumentorum porrectionem esse materiam essentialem.

IV. Inter sententias istas oppositas, ea mihi est probabilior quæ docet manuum impositionem esse materiam essentialem, & orationem eidem adiunctam esse formam. Quandoquidem semper, ut patet ex Scripturis divinis supra adductis, impositio manuum obtinuit in Ecclesia. Neque adversus hæreticos evincere sacram Ordinationem esse verum novæ legis sacramentum possumus, nisi adducendo ritum externum impositionis manuum. Hi soli sunt textus quibus demonstramus Ordinem esse verum novæ legis sacramentum. Quod non sint alii textus in Scripturis sanctis præter istos de manuum impositione, qui habentur & Act. VI. *Hos statuerunt* &c. & cap. XIII. *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus* &c. & I. ad Timoth. IV. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*: res evidens est.

V. Accedit perpetuus usus universalis Ecclesiæ in ordinandis sacris ministris per ma-

manuum impositionem, & orationem. Præter institutum meum agerem, si omnia cuiuscumque sæculi & Conciliorum, & Patrum testimonia referre vellem, quæ hunc usum evincunt. Id præstitere innumeri Theologi: idcirco ab iis referendis supersedeo.

VI. Instrumentorum porrectio cum verbis eidem adiunctis adhibetur, & prorsus adhibenda est, ut pars integralis, non essentialis sacramenti Ordinis. Et primum, quod hæc porrectio instrumentorum omnino adhibenda sit, nemo inficiatur. Ea enim Ecclesia Latina a septingentis & amplius annis utitur. Prima huius usus apud Latinos origo obscura est, & vix designari valet; ut communiter eruditi Theologi fatentur. Quod autem hæc instrumentorum porrectio non sit materia essentialis, sed adventitia & integralis ad pleniorem traditæ potestatis declarationem, patet. Siquidem ea materia non est huic sacramento essentialis quam nec Scripturæ sanctæ assignant, nec ipsa Ecclesia Latina per decem priora sæcula adhibuit, & qua etiamnum Ecclesia Græca caret; cuius tamen Ordinationes ratas habet Ecclesia Latina.

VII. Sententia quæ sustinet Christum Dominum non determinasse aliquorum sacramentorum materiam & formam, sed id Ecclesiæ arbitrio reliquisse, expedita est, cuius supra meminimus. Verum & Scripturæ sanctæ, & usus perpetuus Ecclesiæ universalis *manuum impositionem* assignant ut materiam huius sacramenti.

VIII. Ceterum ea omnia in praxi adamussim servanda sunt quæ Ecclesiæ ritus præscribit: quoniam Ecclesiam dirigi a Spiritu sancto in fidelium regimine, & in sacramentis definiendis perficiendisque certum est.

IX. Quæ hactenus dicta sunt, comprehendunt potissimum Ordines sacros, quos vocant hierarchicos, nempe Diaconatum, Presbyteratum, & Episcopatum: quorum materiæ essentiali adiuncta sunt instrumenta, puta Diaconatui liber Evangeliorum, Presbyteratui unctio, & porrectio calicis & patenæ cum sacris symbolis consecrandis. Aliorum vero Ordinum, Subdiaconatus, & quatuor minorum, materia & forma sunt instrumenta cum precibus quas recitat Episcopus illa tradendo. Porro qui defendunt hæc esse sacramentum, dicunt in ipsa porrectione instrumentorum, manuum impositionem intelligi. Sic materia Ostiarii est traditio clavium & tintinnabuli; forma: *Sic agite, quasi rationem reddituri* &c. Materia Lectoratus est libri sacræ Scripturæ traditio; forma: *Accipite, & estote verbi Dei relatores*. Exorcistatus materia est traditio libri exorcismorum, seu Pontificalis; forma: *Accipite, & commendate memoriæ* &c. Acolythatus materia est traditio candelabri cum cereo extincto; forma vero: *Accipite ceroferarium cum cereo* &c. Traduntur etiam urceoli vacui ab Episcopo Acolythis sub hac verborum prolatione: *Accipite urceolum* &c. Partialis materia Subdiaconatus est traditio calicis vacui, & patenæ superpositæ; forma: *Videte, cuiusmodi ministerium vobis traditur* &c.

&c. Materia Diaconatus est impositio manuum cum traditione codicis Evangeliorum. Materia Presbyteratus est impositio manuum cum traditione calicis & patenæ, adiectis sacris symbolis consecrandis. Ut dictum est, in ordinibus hierarchicis, nempe Diaconatu, Presbyteratu, & Episcopatu, impositio manus expressa est, & semper in Ecclesia usurpara; in ceteris Ordinibus plus & minus intervenit manuum impositio saltem implicite, ut aiunt qui istos Ordines esse verum sacramentum defendunt.

X. Disputant Theologi, utrum necesse sit tangere singulas materiæ partes, puta calicem, patenam &c. & an iste contactus debeat esse physicus, vel sufficiat moralis. Quo ad primam quæstionis partem plures contendunt sat esse tangere aliquam materiæ partem, ut solum calicem, aut patenam &c. Quo ad secundam communior & vera sententia docet, tangendum esse physice & immediate tum calicem, tum patenam &c. Et hæc sententia, utpote tutior, amplectenda est. Quare ad evitandas in hac controversia omnes anxietates, & dissidia, ea omnia, sicuti modo dixi, exacte in praxi servanda sunt quæ Ecclesiæ ritus servanda præscribit.

CAPUT IV.

De ministro sacramenti Ordinis.

I. QUæst. I. *An solus Episcopus sit huius sacramenti minister?* Resp. De fide est, solum Episcopum esse huius sacramenti ministrum, ut definivit Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. *can.* VII. adversus Novatores. *Si quis dixerit, Episcopos... non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent, esse illis cum Presbyteris communem . . . anathema sit.* Hoc definivit Concilium, quia constat ex divina Scriptura, quæ solis Apostolis ius ordinandi tribuit, ut habetur *Act.* VI. & XIII. & *II. ad Timoth. cap.* I. & *I. ad eumdem cap.* III. Episcopi autem sunt Apostolorum successores. Accedit constans & universalis ab Apostolis ad hæc usque tempora Ecclesiæ traditio.

II. Quæst. II. *Simplex Sacerdos potest ne institui extraordinarius minister sacræ Ordinationis?* Resp. Inferiores Ordines posse ex privilegio conferri a simplici Sacerdote, patet ex facto. Nam pluribus Abbatibus concessa est facultas administrandi Tonsuram, & minores Ordines. Ceterum Ordines maiores, Diaconatum, Presbyteratum, Episcopatum, neque privilegio posse conferri a simplici Sacerdote, docent omnes. Quoniam ex Scriptura, & traditione habemus, solos Episcopos esse horum Ordinum ministros: neque hactenus concessa simplici Presbytero fuit conferendi sacros Ordines facultas. Nec est quod opponas, in Concilio Nicæno I. indultum fuisse Presbyteris a Meletio consecratis, ut Ecclesiæ ministros consecrarent: quo-

quoniam distinguenda est prærordinatio a consecratione. Iuxta morem illorum temporum Clerici probabant fideles in Sacerdotium consecrandos, & probatos ad Episcopos mittebant, ut consecrarentur. Clerici ergo solum suffragium dabant de dignitate, & probatione consecrandorum ab Episcopo.

III. Dices, Innocentium VIII. an. 1489. concessisse Abbati Cisterciensi facultatem conferendi Diaconatum, & Subdiaconatum Monachis sui Ordinis. Bullam hanc se vidisse testatur Vasquez *disp.* CCXLIII. *in III. Part. S. Thomæ* in Collegi o Complutensi, & Navarrus *Lib. V. consil.* XIII. asserit, Cistercienses Abbates ante Concilium Tridentinum semper fuisse hoc privilegio usos. Sylvius in *Suppl. quæst.* XXXVIII. *art.* I. Hallierus *sec.* V. *cap.* 2. contendunt hoc privilegium suppostitium ac fictitium esse. Victoria in *Summa num.* 235. scribit, se Bullam vidisse, sed nihil in ea de Diaconatu reperiri. Utcumque res se habeat, verum ne an fictum sit privilegium istud, sacra Congregatio Concilii Tridentini anno 1592. declaravit, eam fuisse Inocentii VIII. mentem dumtaxat, ut Abbates Cistercienses cuilibet Episcopo catholico facultatem dare possent ordinandi Monachos sibi subditos.

IV. Quæst. III. *Quot ad consecrandum Episcopum requiruntur Episcopi?* Resp. Necessitate præcepti requiruntur tres, aut duo, ut constat ex Ecclesiæ praxi. Disputatur a Theologis, utrum id requiratur non modo necessitate præcepti, sed etiam necessitate sacramenti; ita ut nullum sit sacramentum, nisi duo saltem Episcopi adsint. Adfirmant Caietanus, Bellarminus, & alii. Plures alii negant, defendentes validam esse Ordinationem Episcopi ab uno Episcopo factam, quamvis illicitam. Quoniam, inquiunt, modus disiunctivus, quo utuntur veteres canones, *a duobus aut tribus Episcopis*, maiorem præfert dignitatem, non necessitatem. Ex communi tamen & universali traditione semper Episcopi ordinati fuere a tribus vel duobus Episcopis: & plures canones irritam declarant Ordinationem aliter factam. Et hoc pro praxi satis est.

V. Quæst. IV. *A quo Episcopo ordinari Clerici debent?* Resp. A proprio: omnes enim Episcopi valide ordinare valent, sed licite solus proprius; ut Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. *cap.* VIII. statuit. *Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur... Si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

VI. Quæst. V. *Quis est censendus Episcopus proprius?* Resp. Episcopus proprius est vel originis, vel beneficii, vel domicilii, ut Bonifacius VIII. declaravit cap. *Cum nullus*, inquiens: *Superior intelligitur in hoc casu Episcopus de cuius diœcesi is est qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus; seu in cuius diœcesi beneficium obtinet; seu habeat domicilium in eadem.* Episcopus originis est in cuius diœcesi quis baptizatus est. Episcopus beneficii ille dicitur in cuius diœcesi aliquis beneficium possidet, sive pingue sit, sive tenue, sive residentiam habeat, sive non. Sat tamen non est ut sit nominatus & institutus; sed possideat illud oportet. Cavenda vero fraus est.

Si

Si enim Episcopus extrahat aliquem ex aliena diœcesi, eique beneficium conferat animo sibi eumdem addicendi; vel ipse Clericus, ut proprii Episcopi examen declinet, beneficium in aliena diœcesi procuret, tam Ordinans, quam Ordinatus incurrunt pœnas a iure latas. Plura hac de re emanarunt decreta & Congregationis Concilii Tridentini, & summorum Pontificum. Celebre est decretum Innocentii XII. datum Romæ an. 1694. cuius initium est, *Speculatores Domus Israel* &c. quod hic transcribere omitto brevitatis gratia.

VII. Episcopus domicilii is est in cuius diœcesi quis sedem fixit animo ibidem commorandi in perpetuum. Distinguunt Auctores domicilium ad matrimonium alicubi contrahendum, & alia sacramenta recipienda, a domicilio ad Ordines suscipiendos. Ad matrimonium contrahendum sat est ut quis per annum bona fide negotiorum caussa commoretur in aliqua parochia, ut contrahere ibidem coram illo Parocho matrimonium possit, licet postea sit discessurus. Ad clericalem vero Tonsuram, sacrosque Ordines suscipiendos ne decennium quidem sufficit, nisi animus adsit perpetuo commorandi, ut ex citato Innocentii XII. decreto colligitur. Ratio est, quia quisque addicitur per Ordinationem Ecclesiæ illius loci in quo ordinatur. Canones autem severe vetant ne Clericus absque Episcopi consensu a quo inauguratus est, in alteram transeat diœcesim.

VIII. Quæst. VI. *Episcopus ordinare ne potest familiarem suum sibi non subditum?* Resp. Potest, dummodo per triennium apud eumdem commoratus sit, eique beneficium conferat, ut Tridentinum declaravit *sess.* XXIII. *cap.* IX. inquiens: *Episcopus familiarem unum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat.* Fraus contingeret, si Episcopus intentione eximendi Ordinatum a disciplina propri Episcopi ipsi beneficium, conferret: quo in casu ambo in pœnas a canonibus latas inciderent.

IX. Quæst. VII. *Potest ne Episcopus in aliena diœcesi suum subditum ordinare?* Resp. Negant omnes, quia Ordinatio est officium pontificale. Sed Concilium Tridentinum *sess.* VI. *cap.* V. *de refor.* expresse prohibet Pontificalia exerceri in aliena diœcesi absque Ordinarii loci manifesta licentia. Ergo &c.

X. Quæst. VIII. *Quis est proprius Episcopus Regularium, a quo debent Ordines suscipere?* Resp. Is est in cuius diœcesi commorantur, ut plura Concilia statuerunt. Privilegium S. Pii V. revocavit Gregorius XV. Videndum circa hoc, decretum ultimum BENEDICTI XIV. an. 1746. cuius initium est, *Impositi nobis licet* &c. Hoc decretum dabimus in *Tom. I. Apparat.*

XI. Quæst. IX. *Quis concedere potest litteras dimissoriales?* Resp. 1. Episcopus proprius. 2. Eius Vicarius generalis, si tamen expressam facultatem acceperit. 3. Capitulum cathedralis Ecclesiæ, sede vacante, elapso anno ab Episcopi morte, ut de-

 cla-

claravit Concilium Tridentinum *seſſ.* VII. *cap.* X. Has litteras dimiſſoriales concedere Epiſcopus non debet niſi iis quos ſuo examine invenerit idoneos; ut declarat Tridentinum *loc. cit. cap.* III. Hæ litteræ non expirant morte concedentis, quia Sedes non moritur, ut habetur cap. *Si gratioſe*.

XII. Quæſt. X. *Proprius Epiſcopus poteſt ne denegare Tonſuram, & Ordines iis quos cognoſcit dignos?* Reſp. Manifeſtum eſt Epiſcopum non poſſe repellere vel laicum a Tonſura, vel Clericum ab Ordinibus, qui dotibus tum corporis, tum animi præditus eſt, ſimulque ſit Eccleſiæ utilis. Abuteretur enim tum poteſtate, ſibi in ædificationem, non in deſtructionem conceſſa. Licet enim Ordinatio gratia ſit; illius tamen dominus non eſt Epiſcopus, ſed diſpenſator, & œconomus, qui non ex affectu, ſed ad nutum Domini, ut prudens & fidelis miniſter, quem regere Eccleſiam ſuam conſtituit, diſpenſare illam debet. Sed raro in retinendo, frequenter & frequentiſſime in diſpenſando hanc gratiam peccari poteſt.

XIII. Quæſt. XI. *Quo tempore adminiſtrari Ordines licite poſſunt?* Reſp. Ordines maiores conferri poſſunt ſabbatis quatuor temporum, ſabbato ante Dominicam Paſſionis, & ſabbato ſancto. Conſecratio Epiſcopi quolibet die dominico. Ordines minores privatim quolibet feſto, publice *fer.* VI. ante Sabbatum quo conferri poſſunt Ordines maiores, aut eodem ſabbato. Prima Tonſura quolibet die. Hæc ſunt tempora conſueta. Ex privilegio aliis quoque diebus conferri ſacri Ordines poſſunt.

XIV. Quæſt. XII. *Quænam interſtitia ſervari in horum Ordinum adminiſtratione debent?* Reſp. Ex Tridentino *ſeſſ.* XXIII. *cap.* X. prohibetur Ordinatio in Subdiaconatum, antequam elapſus ſit annus a ſuſcepto ultimo minore Ordine; vel in Diaconatum, priuſquam elapſus annus ſit a ſuſcepto Subdiaconatu; vel in Sacerdotium, antequam elapſus annus ſit a ſuſcepto Diaconatus Ordine. Hoc tempore ſe ſe in ſuſcepto Ordine exercere Clerici debent, atque Ordinis & ſuſcepti & ſuſcipiendi dignitatem meditari. In Ordinibus minoribus conferendis nulla ſunt interſtitia, ſed eodem die adminiſtrari cum prima Tonſura poſſunt. Caveat tamen Epiſcopus ne nimis liberalis diſpenſator ſit. Sed de hoc infra.

XV. Quæſt. XIII. *Quis in interſtitiis diſpenſare valet?* Reſp. Epiſcopus ex Concilio Tridentino *loc. cit. cap.* XI. diſpenſare cum ſuis ſubditis poteſt ex iuſta & rationabili cauſſa. Quænam hæc rationabilis cauſſa? Ad diſpenſandum ſuper interſtitiis pro ſuſcipiendo Subdiaconatu, vel Diaconatu Tridentinum requirit vel neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ. Verum in præſenti, cum Eccleſia pluribus Clericis abundet, raro hæc utilitas adeſt. Prudentiæ tamen Epiſcopi iudicium huius vel neceſſitatis, vel utilitatis remittitur. Ad diſpenſandum vero pro Presbyteratu Tridentinum requirit & neceſſitatem, & utilitatem ſimul. Sed hæc omnia a prudentia Epiſcopi pendent. Capitulum Eccleſiæ cathedralis, ſede vacante, poſſe ſuper interſtitiis diſpenſare, contendunt plures.

C A-

CAPUT V.

De subiecto Ordinum.

I. QUæst. I. *Quinam apti sint ad Ordines suscipiendos?* Resp. Convenit penes omnes, solum sexum masculinum, exclusis feminis, esse Ordinis capacem. Infantes, amentes, non baptizati ordinari nequeunt.

II. Quæst. II. *Quænam ætas requiritur ad suscipiendos Ordines?* Resp. Pro minoribus Ordinibus nulla ætas designatur a Tridentino, sed solum *sess.* XXIII. *cap.* XI. *de reform.* statuitur. *Minores Ordines iis qui saltem Latinam linguam intelligant . . . conferantur.* De maioribus vero *cap.* XII. hæc præscribuntur. *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad Presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur . . . Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc exclusis.* Ex consuetudine prævalente sat est ut anni præscripti sint incepti.

III. Quæst. III. *Qui ante præscriptum tempus ordinati sunt, possunt ne functiones Ordinum exercere?* Resp. Ex Bulla Pii II. si mala fide fuerint ordinati, neque superveniente ætate exercere susceptos Ordines valent. Et si ministerium Ordinum obierint, irregularitatem continuo incurrunt. Qui vero bona fide ordinantur, existimantes se ætatem legitimam habere, absque peccato Ordinem suscipiunt, atque adeo suspensionem non incurrunt, ut communiter Auctores docent.

IV. Quæst. IV. *Potest ne suscipi superior Ordo, prætermisso inferiore?* Resp. Negant omnes, licite hoc fieri posse: valida tamen esset ordinatio, excepto Episcopatu, Qui per saltum ordinatus esset, ipso facto suspensus maneret ab executione superioris Ordinis per saltum suscepti, secus ab executione ordinis inferioris rite sibi collati. Si ministret in Ordine per saltum suscepto, fit irregularis; a qua irregularitate non potest nisi a summo Pontifice dispensari. Episcopus ex legitima caussa potest sic ordinatum per saltum absolvere a suspensione, & Ordinem prætermissum conferre, dummodo tamen in Ordine per saltum suscepto non ministraverit: quia tunc esset irregularis, a solo Pontifice summo absolvendus. Concilium Tridentinum tamen *sess.* XXIV. *cap.* VI. *de reform.* concedit ut Episcopi absolvere ab irregularitate occulta valeant. Quod ordinatio in Episcopatum, prætermisso Presbyteratu, sit invalida, patet ex iis quæ dicta sunt. Quoniam Episcopatus præcise sumptus non includit potestatem conficiendi Eucharistiam: immo iuxta sententiam S. Thomæ, mihi probabiliorem, Episcopatus non est sacramentum distinctum a Presbyteratu. Quare, ut quis consecrari Episcopus possit, prius debet esse Presbyter.

V. Quæst. V. *Qui non confirmatus Ordines suscipit, peccat ne mortaliter?* Resp. Synodus Tridentina *sess.* XXIII. *cap.* IV. *de reform.* hæc statuit. *Prima Tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint.* Quapropter peccare mortaliter illum qui scienter, prætermisso hoc sacramento, susciperet Tonsuram, & Ordines, docent Toletus, Nugnus, Castropalaus, Aversa, Bonacina, quos citat P. Claudius La-Croix *num.* 2223. ubi refert etiam Busembaum, & 12. alios præter citatos ab eodem Busembaum, qui docent esse tantum peccatum veniale. Et hæc sententia, inquit P. La-Croix, est probabilior. Eccur? Quia *ubi agitur de mortali contrahendo, non est asserenda obligatio, nisi certius constet.* Hoc est axioma probabilisticum, plurium malorum fons. Quando agitur de mortali contrahendo, debet *certius constare*. Et nisi hoc certius constet, opinio Busembaum, & quorumdam aliorum Casuistarum eiusdem subsellii evadit probabilior, quia favorabilior humanæ libertati. Lectoribus meis recordor saluberrimam S. Thomæ regulam. *Omnis quæstio in qua de peccato mortali agitur, periculose determinatur, nisi veritas expresse habeatur:* quodlib. IX. Periculose determinatur tam adfirmando, quam negando esse mortale. Quid ergo agendum? *Declina a malo, & fac bonum.* Susceptio Tonsuræ, & aliorum Ordinum prætermisso confirmationis sacramento, malum est iuxta omnes. Ergo abstinendum. Graviores Theologi, & etiam benigniores, docent malum istud esse mortale. Gravissima sacramentorum materia crimen istud formidandum repræsentat. Bilances casuisticæ ponderandi gradus malitiæ nobis desunt; sed habemus regulam hanc nobis certissimam: *In dubiis tutior pars est eligenda*, pulsis *Reflexistarum* chimæricis commentis.

VI. Quæst. VI. *Quid sit titulus clericalis, & quotuplex?* Resp. Titulus generatim accipitur pro iure ad quidquam legitime possidendum; hic vero sumitur pro Beneficii possessione. Clericalis titulus triplex, ecclesiasticus, patrimonialis, monasticus.

VII. Titulus clericalis ecclesiasticus est ius fruendi Ecclesiæ bonis. Ius istud nunc acquiritur per Beneficium pacifice possessum, aut per pensionem clericalem. Primis Ecclesiæ sæculis Clerici non ordinabantur, nisi uni Ecclesiæ addicti; ipsaque ordinatio titulus erat quo ius Clerico ordinato tribuebatur accipiendi alimenta ex bonis Ecclesiæ.

VIII. Titulus patrimonialis est ius percipiendi fructus ex aliis quam Ecclesiæ bonis, quæ vel gratuita donatione, aut hereditaria successione Ordinato obveniunt.

IX. Solo titulo ecclesiastico, excluso patrimoniali, usque ad sæculum X. ordinati fuerunt Clerici uni determinatæ Ecclesiæ addicti, & mancipati. Et hoc titulo ab Ecclesia alimenta accipiebant. Quapropter ad aliam transire Ecclesiam illis

illis permissum non erat. Plura sunt Concilia quæ hunc transitum vetant. Concilium Arelatense I. an. 314. can. XXI. *Presbyteri, & Diaconi, si relictis locis suis, in quibus ordinati sunt, ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.*

X. S. Leo, qui per Legatos præfuit Concilio Chalcedonensi, *epist.* lxxxvi. hæc scribit. *Illam quoque partem ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim a sanctis Patribus, & a nobis sæpe decretum est ut nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus Ordine, nec in subsequenti Ordine Clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuique transire sit liberum, ut integrum revoces, admonemus. Et unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ibi, ubi ordinatus est, perseveret; ita ut si quis sua quærens, non quæ Iesu Christi, ad plebem, & Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & a communionis vinculo habeatur extraneus.*

XI. Sæculo XII. vicissitudinem passa Ecclesiæ disciplina est. Nam Alexander III. in Concilio Lateranensi III. cap. v. statuit ut Episcopus qui sine titulo ecclesiastico in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, alimenta eidem subministret, *nisi forte talis qui ordinatur, extiterit, qui de sua, vel paterna hereditate subsidium vitæ possit habere.* Hæc verba Alexandri III. sæculo XIII. sub Gregorio IX. inserta fuere corpori iuris canonici. Et hic mos obtinuit usque ad Concilium Tridentinum, in quo, ut narrat Cardinalis Pallavicinus *Lib. VII. cap.* IX. acerrime disputatum est adversus titulum patrimonialem. Plures siquidem contendebant, nullum grassantibus malis, quibus laborabat Clerus, afferri remedium posse, nisi, de medio sublatis vagis ordinationibus, instauraretur prisca Ecclesiæ disciplina. Clamabant, Sacerdotes vinculo proventus, & tituli ecclesiastici solutos, similes equis esse freno destitutis. Bonis quippe paternis contenti, contempta Ecclesia, obedientiam solemni ritu promissam violant, otio diffluunt, ludis, venationibus, & ceteris mundi oblectamentis, non secus ac laici, indulgent. Ambitionis æstu succensi dignitates Ecclesiæ anhelant, & scandala sæculo ingerunt. Opponebant alii, proventus, & reditus Ecclesiæ minime sufficere ad alendos Ecclesiæ ministros, ac propterea tolerandos patrimoniales titulos.

XII. Sacra Synodus, divino lumine perfusa, ut utriusque generis malis occurreret, regulam condidit splendidissimam saluberrimamque: quæ si servaretur, mirum in modum floreret ecclesiastica disciplina. Primum statuit ut Episcopus neminem etiam titulo patrimonii ordinet, nisi quem Ecclesiæ utilem, vel necessarium iudicaverit. *Patrimonium vero* (inquit) *vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse quæ eis ad vitam sustentandam satis sint.* Ut vero Tridentini Patres occurrerent malis quæ exaggerata fuere adversus

Clericos nulli Ecclesiæ addictos, vetuit Synodus *sess.* XXIII. *cap.* XVI. *de reform.* ne quis deinceps ordinetur quin sit alicui Ecclesiæ addictus. *Cum*, inquit, *nullus debeat ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, sancta Synodus, vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo statuit ut nullus in posterum ordinetur qui illi Ecclesiæ, aut pio loco pro cuius necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur.* En disciplinam ecclesiasticam ad suum priscum restitutam splendorem. Hæc serventur, & reformatio Cleri sponte sua consurgit. Variæ sunt pœnæ in diversis diœcesibus contra illos qui fictitio titulo aut patrimonii, aut Beneficii ordinantur, quas non vacat recensere.

XIII. Tertius titulus est monasticus, vi cuius ordinantur Regulares suis Monasteriis addicti, qui titulus paupertatis vocatur. Hi enim de bonis Ecclesiæ, seu domus in qua professi sunt, sustentantur.

CAPUT VI.

De effectibus sacramenti Ordinis.

I. QUæst. I. *Quot sunt effectus sacramenti Ordinis?* Resp. Tres communiter assignantur effectus: 1. gratia sanctificans, 2. gratia sacramentalis, 3. character. Quod sacramentum Ordinis gratiam sanctificantem producat, evincit S. Thomas in *Supplem. quæst.* XXXV. *art.* 1. hac ratione. *Dicendum, quod Dei perfecta sunt opera, ut dicitur Deuter.* XXXII. *Et ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quæ executio illius potentiæ possit congrue fieri. Et hoc etiam in naturalibus patet: quia animalibus dantur membra, quibus potentiæ animæ possunt exire in actus suos, nisi sit defectus ex parte materiæ. Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne sacramenta recipiat; ita etiam ad hoc quod homo digne sacramenta dispenset. Et ideo sicut in baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem.*

II. Non modo per sacramentum Ordinis gratia sanctificans, verum etiam excellens gratia producitur, subdit S. Thomas ibidem *ad* 3. inquiens: *Ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita & superiores sint merito sanctitatis. Et ideo præexigitur gratia, quæ sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebe Christi; sed confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad maiora reddantur idonei.*

III.

III. Gratia itaque sacramenti Ordinis non modo bonum hominem efficit, sed bonum sanctiorem reddit. S. Gregorius in *cap.* x. *Lib. I. Reg.* (si tamen ille huius operis est Auctor) ait: *Saul in Principem unxit Samuel, Deus autem ei cor aliud immutavit: quia sacrorum Ordinum sacramenta ab Ecclesiæ doctoribus foris accipimus; sed sacramentorum virtute ab omnipotenti Deo interius roboramur. Virtus vero sacramenti gratia est Spiritus septiformis: quam certe gratiam qui accipiunt, quasi alio accepto corde immutantur: quia quos gratia sua sanctus Spiritus roborat, esse eos facit protinus quod non erant.* Quamvis igitur gratia sanctificans sit omnium sacramentorum communis effectus, tamen sacramenti Ordinis effectus est gratiæ excellentioris plenitudo.

IV. Quæst. II. *Omnes ne qui Ordinis sacramento insigniuntur, suscipiunt gratiæ plenitudinem?* Resp. Confertur iuxta suscipientium dispositionem iis qui vocati a Domino sunt ad tantum munus. Sacramenta enim novæ legis, tametsi natura sua gratiam producant, pro dispositione tamen suscipientium plus vel minus gratiæ conferunt. Initiandorum quisque conscientiam suam exploret, ut colligat quam gratiæ plenitudinem sperare a Deo valeat: videat, si revera vocatus, dotibusque necessariis præditus sit.

V. Quæst. III. *Quid sit gratia sacramentalis, quæ dicitur secundus sacræ Ordinationis effectus?* Resp. *Est ius fundatum in gratia sanctificante, a sacramento Ordinis producta, ad accipienda auxilia actualia supernaturalia, quæ mentem illustrant, & cor accendunt, ut initiati digne & sancte exercere proprium ministerium valeant.* Huius gratiæ sacramentalis vi inflammatur initiati animus ad Scripturarum intelligentiam, ad spiritum Ecclesiæ assequendum, ut ea adimpleat quæ desunt Christi passioni. Gratiæ huius plenitudo animum erigit ad peccatorum conversionem procurandam, mentem illuminat ad exponendam populis legem sanctam. Gratia hæc in initiati labiis diffunditur, ut indurata hominum corda emolliat, ut obtenebratas illuminet mentes, ut populum ædificet, suisque virtutum exemplis ad virtutum semitam calcandam incitet.

VI. Finis propter quem institutum hoc sacramentum est, evincit, eiusmodi dona esse illius effectus. Omnia quippe sacramenta novæ legis gratiam conferunt fini ad quem sunt instituta, comparando quammaxime consentaneam. Diximus, unctionem extremam auxilia impertiri ad mortis dolores sustinendos, ad hostium insultus repellendos, tentationesque superandas. Sacramentum matrimonii vim præbet ad libidinem comprimendam, ad liberos sancte educandos, quia in hunc finem institutum est. Ergo cum sacris Ordinibus insigniti duces electi sint, ut populum christianum dirigant in via Domini, ut eum legem sanctam doceant, eumque adversus tenebrarum harum potestates illuminent, atque contra hostes arment, animentque, gratiam confert opportunam qua obire tam excelsa ministeria queant.

VII.

VII. Quæst. IV. *Quid sit character, qui est tertius huius sacramenti effectus?* Resp. Est signum Christi in anima indelebiliter impressum, quo sacris Ordinibus initiati secernuntur a ceteris non ordinatis, & efficiuntur idonei ad functiones ecclesiasticas.

VIII. Plures alii effectus solent recenseri, sed non sunt dicendi sacramentales; ut sunt obligatio servandæ castitatis vi voti annexi, recitandi horas canonicas, privilegium canonis & fori, & alia, quæ non sunt, ut dixi, sacramenti effectus, sed obligationes, & privilegia, quæ statum clericalem consequuntur. Verum de obligationibus Clericorum mox dicam.

CAPUT VII.

De vocatione initiandorum, & de signis quibus dignosci valeat.

I. QUAE dicturus hoc in capite sum, attentiorem postulant lectorem, quod propius illius æternam salutem spectent. Splendidissima est sacerdotalis dignitas; sed S. Bernardus *epist.* XVII. ad Ardutionem inquit: *Si altiorem quam meliorem esse delectat, non præmium, sed præcipitium expectamus.* Quoniam vero plura in titulo proposui discutienda & scitu utilia, & utilitate gravissima; ideo in varios illa tribuam paragraphos. Casuistæ, qui præ ceteris sunt in Confessariorum manibus, ut La-Croix, Viva, Tamburinus, Bonacina vix verba faciunt de hoc argumento, quod unum gravissimum est inter omnia quæ de sacramento Ordinis tractantur. Illud vero pro dignitate tractant Bonus Merbesius, Antonius Godeau, Ludovicus Habert, & plures alii graviores Theologi, qui morum Theologiam non conflant ex contrariis opinationibus casuisticis, quique toti non sunt in disputando, vitilitigando, utrum hoc sit mortale, an veniale; sed in id potissimum incumbunt, ut a vitiis homines revocent, & ad christianas virtutes inflamment, doceantque recte vivere, non sophistice disputare. Ad rem igitur.

§. I.

Notio vocationis ad statum clericalem.

I. DUplici modo vocationem ad statum aliquem Theologi considerant: 1. in decretis divinis, 2. in effectibus & executione, ut sapienter de more S. Thomas *I. Part. quæst.* XXII. *art.* 1. *ad* 2. his verbis. *Dicendum, quod ad curam duo pertinent; scilicet ratio ordinis, quæ dicitur providentia, & dispositio; & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio: quorum primum est æternum, secundum temporale.* Divina providentia dupliciter spectatur. 1. in mente divina, quatenus

Deus ab æterno rebus singulis in tempore producendis fines præstituit, rationesque ordinat & media quibus unaquæque suum assequi finem valeat. 2. in tempore, in quo Deus secundum consilium voluntatis suæ ab æterno conceptum operatur. Samuel missus est ad domum Isai, ut ex eius filiis unum ungeret. Reiecit natu maiorem, & ceteros, unxitque Davidem, quem Deus ab æterno elegerat. Similiter evenit in vocatione ministrorum Ecclesiæ, quos elegit Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut sint sancti & immaculati per gratiam ab æterno illis præparatam, & suo tempore conferendam, qua sacra obire ministeria valeant.

II. Vocatio autem, de qua nunc loquimur, describi potest, quod sit *actus providentiæ supernaturalis, quo Deus hos præ illis eligit, præparatque dotibus consentaneis ad sacra officia obeunda*. Dicitur actus providentiæ supernaturalis, quia iuxta nostrum concipiendi modum duplex distinguitur providentia: alia naturalis, quæ omnia etiam vilissima & minima ordinis huius naturalis dirigit in proprium finem; altera supernaturalis, qua Deus homines ratione praditos erigit dirigitque, sicut sagittam ad scopum, inquit Angelicus, in finem supernaturalem, quem comparare propriis viribus non valent. Status autem sacerdotalis supernaturalis est, cui nemo propria industria & labore idoneus est: idcirco necessaria est supernaturalis providentia, quæ dirigat, quæque congrua & efficacia auxilia præbeat, tanto fini indipiscendo opportuna. Hæc vocatio, qua Deus alios præ aliis eligit ad hunc statum clericalem, distinguitur a vocatione ad vitam æternam: quoniam ad hanc omnes, ad statum sacerdotalem paucos ex hominibus Deus vocat. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* inquit Paulus *I. Cor.* XII.

III. Tandem Deus vocatos ad hunc statum præparat dotibus congruis ad sacra ministeria digne sancteque exercenda, ut S. Thomas *I. Part. quæst.* XXII. *art.* 3. docet, inquiens: *Deus immediate omnibus providet, qui in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum; & quascumque causas aliquibus effectis præfecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos. Unde oportet quod ordinem illorum effectuum in sua ratione præhabuerit*. Quos itaque ab æterno Deus elegit ad statum clericalem, eosdem in tempore dotibus ornat tam augusto muneri congruis.

IV. Effectus istius vocationis alii naturalis, alii supernaturalis ordinis sunt: alii ipsum vocatum, alii illos quibus præesse vocatus debet, spectant. Et principio corpus cuiusque in ipso materno utero ita format, ut ad destinatum officium aptum sit. Corporis deformitas, animi hebetudo, & sæva indoles impedimenta sunt, & signa, hunc vel illum non esse ad statum clericalem vocatum. Dona supernaturalia sunt auxilia & dona perpetuæ continentiæ, ceteræque gratiæ, sine

ne quibus pondus sublimis dignitatis sustineri haud posset. Si Sacerdos destinetur populo regendo, tamquam ad hoc munus vocatus, tum dona supernaturalia docibiles reddunt subditos, ut Pastorum voces audiant; quemadmodum Christus Dominus testatur *Ioan.* x. inquiens: *Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* Animadvertendum tamen, illis dumtaxat subditis hanc docilitatis gratiam reipsa concedi qui oves Christi sunt, secus hœdis. Ipsi Prophetæ, Apostoli, immo ipse Christus inobedientes & rebelles experti sunt: quia hœdi erant ovibus permixti. Quare Christus *Ioan.* x. ait: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Deinde ibidem subdit: *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Rursus cap. VIII. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

§. II.

De necessitate divinæ vocationis ad sacros Ordines suscipiendos.

I. NEcessitas huius divinæ vocationis ex Scripturis sanctis manifeste eruitur. In veteri testamento ex duodecim tribubus Leviticam Deus elegit, unde ministros assumeret ad sui tabernaculi cultum. Insuper peculiari electione destinavit personam Aaronis, quam constituit *super cultum Sacerdotii*, adiecta commninatione, *quod externus qui ad ministrandum accesserit, morietur*: Num. III.

II. In nova lege Christus Dominus, præordinatus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ut *Psal.* CIX. habetur, non a semetipso, sed missus a Patre est, *ut nobis esset Pontifex* (inquit Paulus Hebr. IX.) *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Quamobrem S. Ioannes *cap.* VII. inquit: *Clamabat in templo docens: A me ipso non veni, sed est verus qui misit me.* Porro ille missus a Patre vocavit ad idem Sacerdotium Apostolos. *Vocavit ad se quos voluit ipse*, inquit Marcus *cap.* III. & S. Lucas *cap.* x. subdit: *Designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit.* Et Apostoli, cum substituere deberent qui locum Iudæ impleret, implorarunt a Deo sibi vocationis & electionis signa manifestari: *Ostende quem elegeris ex his duobus*: Act. I. Illos vero qui usurpare hunc Ordinem audent, quin sint vocati, fures & latrones declarat Christus, *cap.* x. *Ioann.* dicens: *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Rapiunt ergo furanturque Sacerdotium quotquot non a Deo vocati, sed humanis rationibus ad illud ascendunt, non per ostium, sed aliunde. Quodnam ostium istud? Respondet Christus ipse *loc. cit.* inquiens: *Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium .... Per me si quis introierit, salvabitur.* Qui ergo Christo non vocante hunc Ordinem excel-

celsum, sanctumque ingrediuntur, tamquam fures & latrones punientur. Rursus Christus *Ioan. cap.* XV. Apostolos alloquens ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos . . . . ut fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Rursus Luc. cap. X. *Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*. Tandem S. Paulus Hebr. *cap.*V. inquit: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu.*

III. Ex his testimoniis tremenda proficiscuntur consectaria. Non sat est scientia, & sanctitate refulgere, ut quispiam Sacerdos, aut ovium Pastor evadat. Moyses Rector populi mansuetudine, scientia, & prudentia clarissimus fuit; tamen ad summum Pontificatum non fuit evectus. Ioseph Barsabas vir erat iustus, & timens Deum; & ob præclara merita Apostolatu dignus erat: nec propterea Deus illum elegit. Quæ ergo tremenda mala illis imminent qui & scientia, & morum integritate destituti, immo & ignorantiæ tenebris circumfusi, & flagitiorum sordibus polluti, hanc præstantissimam dignitatem usurpare sibi non reformidant?

IV. Quæ hactenus dicta sunt ex Scripturis divinis, confirmari Sacerdotum, & Episcoporum qui morum sanctitate floruerunt, exemplis possunt. Quo enim erant sanctiores, eo magis ordinationi suæ in animarum Pastores aut resistebant, aut non nisi expresse vocati annuebant. Non narrabo S. Monachum Ammonium digitos, S. Marcum Evangelistam pollicem sibi amputasse, alios fugam ad deserta & speluncas arripuisse, alios mortem a Deo impetrasse, ne Episcopi fierent. Quid non egit S. Ambrosius, ut Episcopatum declinaret? De S. Cornelio Papa hæc scribit *epist.* lII. S. Cyprianus. *Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit; sed quietus, & modestus, & quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ, & pro humilitate ingenitæ sibi, & custoditæ verecundiæ, non, ut quidam, vim fecit ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est ut Episcopatum coactus acciperet*. S. Augustinus *epist. ad Valerium* Episcopum, qui Presbyterum invitum Augustinum ipsum ordinare voluit, hæc scribit inter alia plurima. *Ante omnia peto ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum & tristius, & miserius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster Imperator iubet. Quis autem sit modus, nec a pueritia mea, nec ab adolescentia mea didici: & eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem nescio, ut secundus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram. Sed arbitror Dominum meum propterea me sic*

sic emendare voluisse, quod multorum peccata nautarum, antequam expertus essem quid illic agitur, quasi & melior reprehendere audebam. Meditare Augustinum inquientem : *Vis mihi facta est merito peccatorum meorum.*

V. S. Bernardus de vita & moribus Clericorum, seu Auctor huius tractatus *cap.* v. ait : *Videte vocationem vestram, ait vocatus Apostolus. Consideremus & nos, an vocati venerimus . . . . Quid istud temeritatis, immo quid insaniæ est ? Ubi timor Dei, ubi mortis memoria, ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa iudicii? Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi, nisi Rege introducente præsumit. Tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus?* Trahe me post te, ait illa : in odorem unguentorum tuorum curremus. *Nunc autem trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem : quorum certa est damnatio.* Rursus tractatu de conversione ad Clericos *cap.* XIX. clamat. *Tollitis, non accipitis claves, de quibus Dominus queritur per Prophetam* : Ipsi regnaverunt, & non ex me : Principes extiterunt, & ego non vocavi eos. *Unde tantus prælationis ardor, unde ambitionis impudentia tanta, unde vesania tantæ præsumptionis humanæ? Audet ne aliquis vestrum terreni cuiuslibet Reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? Nec tu Deum putes, quæ in magna domo sua a vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare.*

VI. Vel ipsos sensus percellit ratio quam prodit S. Bernardus. Nemo vel unius minimi Reguli audet, eo non iubente, aut repugnante, principatus negotia, & beneficia tractare, dispensare, dirigere. An reperitur operarius adeo insanus, ut patrefamilias non vocante, aut reluctante, illius vineam ingredi, & in eadem serere, eradicare, & plantare ausit ? An non insanus haberetur qui boni publici promovendi obtentu, Reipublicæ procurationem usurpare, officia distribuere, & civibus iura decernere non dubitaret? Quanto ergo insaniores, quanto impudentiores habendi illi sunt in regno spirituali Christi Iesu, qui supremam sibi usurpare auctoritatem & imperium, Deo ipso non vocante, audent? Quis complecti oratione valet malorum iliadem, quæ hanc divini ordinis perturbationem consequuntur? Imaginem aliquam, licet valde imperfectam, nobis adumbrabit ordinis naturalis perturbatio. Unde procellarum & tempestatum fluctus, absorbentes naves, insulas, & provincias? Unde fulgura & tonitrua ? Unde horribiles terræmotus, unde tot infortunia, tot casus adversi, tot molimina frustrata, tanta humani sanguinis effusio, tot bella truculentissima, tanta hominum carnificina? Unde? Nisi ex ordinis a Deo præscripti interturbatione. Quid quod ipsi Ethnici hanc agnovere veritatem? eamque rationum momentis, & vividis similitudinibus exornat Cicero *Lib. I. Offic.* unde plurima huc transcribenda forent. Pauca ex *cap.* XXXVIII. indicabo. *Id enim*, inquit, *maxime quemque decet quod est cuiusque suum maxime.*

Suum

Suum igitur quisque noscat ingenium, acremque se & vitiorum, & bonorum suorum iudicem præbeat, ne scenici plus quam nos videantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt. Qui voce freti sunt, Epigonos, Medeamque; qui gestu Menalippam, vel Clytemnestram: semper Rutilius, quem ego memini, Antiopam, non sæpe Aesopus Aiacem. Ergo histrio hoc videbit in scena quod non videbit sapiens in vita? Quid diceret Tullius, si viveret, & christianæ religionis lumine perfusus, spectaret hos & illos ambire altissimam æterni Sacerdotii dignitatem, quam vel referre in scena multi histriones non auderent?

VII. Vocatio divina est veluti fons & radix gratiarum & donorum quæ statui sustinendo vires pares conferunt. Sublata vocatione, desunt præsidia necessaria; & ea posita, omnia succedunt prospere, ut S. Thomas in *Supplem. quæst.* XXXV. *art.* I. docet. *Dei perfecta sunt opera: & ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quæ executio illius potentiæ possit congrue fieri.* Ergo, sublato vocationis fundamento, universum corruit sacerdotale ædificium. Quamobrem Apostolus *II. Cor.* III. inquit: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Et ut multa in pauca contraham, nullum opus gratum Deo esse potest, tametsi natura sua præferat bonitatem, nisi ad eius nutum & voluntatem fiat. Qui, Deo non vocante, suscipiunt sacros Ordines, eorumque ministeria agunt, licet hæc bona & laudabilia sint, Deo placere nequeunt. Numquid famuli opera domino grata forent quæ illo repugnante fierent? Præcipit dominus ut famulus vineam excolat, ut mercaturam exerceat, ut domum custodiat. Hic autem depingit, & quidem excellenter, volumina eruditissima scribit, ædificia construit. Numquid opera ista, quamtumvis perfecta, domino placerent, & ab eodem mercedem acciperent? *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: inquit Paulus *I. ad Tim.* III. in quem locum hæc S. Thomas *lect.* I. scribit. *Ex hoc sumpserunt aliqui occasionem ambitionis Episcopatus, & prælationis; sed non recte intelligunt quod hic dicitur. Apostolus enim hic voluit ostendere quid pertineat ad Episcopatum .... Episcopus ergo dicitur quasi superintendens. Duo ergo sunt consideranda in Episcopo, scilicet gradus superior, & actio plebi utilis. Aliqui proiiciunt forte oculos ad ea quæ circumstant eum, scilicet quod qui præest honoratur, & quod habet potestatem. Et qui propter ista desiderat Episcopatum, nescit quid sit Episcopus, & quid desideret qui Episcopatum desiderat.... Sed numquid licet ipsum desiderare? Augustinus dicit, quod non .... Cuius ratio est, quod nullus debet appetere aliquid supra vires suas, non sibi proportionatum: alias esset STULTUS. Ille ergo bene Episcopatum desiderare posset cuius facultas Episcopatui esset proportionata. Ad hoc autem nullus est idoneus: quia Prælatus secundum gradum, & convenientiam debet omnes alios excedere in conversatione, & con-*

contemplatione, ita ut in respectu sui alii sint grex. Et hanc idoneitatem de se praesumere est maximae superbiae. Aut ergo appetit circumstantias, & tunc nescit quid appetat, quia non est hic Episcopatus; vel ipsum opus, & hoc est superbiae. Revera Episcopatus bonum, & quidem praestantissimum opus est. At qui illud Deo non vocante suscipit, bonum male, immo pessime suscipit: & duo crimina committit. Alterum est omissionis: quia cum Deo non vocante Clericus efficitur, negligit alium statum ad quem electus erat, ut in eodem Deo inserviret, eaque ageret quae ad optimum christianae Reipublicae ordinem conferrent; & omnia omittit, unde perturbatio ordinis insurgit. Alterum est commissionis, & quidem continuum, quoad vitam ducit in hac mundi scena: quia aliena officia, Deo repugnante, exercet, sacrificia offert, verbum Dei praedicat, parochiam excolit; at omnia contra Dei voluntatem. Porro Christus *Matth.* xv. testatur: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur*: & Ioan. cap. xv. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Rursus Matth. vii. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo daemonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Quis haec Christi IESU oracula serio meditans, totis artubus non contremiscit? Quis non videt, quam formidanda sit deliberatio eligendi hunc prae alio statum, non implorata Dei misericordia, & vocationis gratia.

VIII. Quid ergo, inquies, agent tot Sacerdotes, tot Pastores, qui indiciis valde probabilibus deprehendunt se non esse ad haec ministeria vocatos? Seminabunt ergo isti in agro alieno, ex quo metere nequeunt? In vanum isti currunt, cum non sint a Deo missi? Numquid deserere hunc statum debent, ut alium suscipiant? Absit. Postquam status susceptus est, iuges preces fundendae Deo sunt, ut gratiae dona necessaria ad munera illius status obeunda impetrentur. Arcanum vocationis nos latet, Deoque soli patet. Vocatus Saul fuit, vocatus Iudas, & ambo improbati fuere. Aliorum vocationis initia mala fuere; sed prosecutio bona, & exitus sanctus. Catholicorum pauci electi, multi reprobi. Nemo tamen desperare de sua salute, nemo se iudicare reprobum debet. Sed omnes satagere debent ut certam sanctamque efficiant vocationem suam. Nemo deserere proprium statum licite potest, a quo recedere sine peccato nequit.

IX. Neque insistas, doctrinam datam plurimos avertere a statu religioso. Quoniam repono: utinam id verum esset, quia plurimi intrant non per ostium, sed aliunde, ceu fures, ut inquit Christus, & latrones, qui ordinem divinae providentiae pervertunt, Dei maiestatem & dignitatem laedunt, dum eiusdem implere regni sedes, ipso repugnante, non reformidant. *Satius enim est* (inquit Concilium Lateranense IV.) *maxime in ordinatione Sacerdotum paucos bonos quam multos males*

los habere. Et S. Thomas in *IV. dist.* xxiv. *art.* 3. *quæstiunc.* 4. *ad* 1. inquit: *Deus ita numquam deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei ministri sufficienter ad necessitatem plebis . . . . Et si non possent tot ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset habere paucos ministros bonos quam multos malos*. Docet ibidem Angelicus, mortaliter eum peccare qui eiusmodi non vocatos ordinat. Recogitent ergo illi qui, ut repleant Monasteria, & Conventus, & Collegia, necessitatis fuco propagandæ sobolis, & implendi sedes, indiscriminatim omnes accedentes admittunt. Propagatio hæc spiritualis & divina est. A Deo ergo proficiscatur, non ab humana industria, oportet. Tu qui praes, indignos repelle; & Deus dignos tibi abundanrer mittet. Illius, non tui est hierarchiæ ecclesiasticæ ministros deligere. Tuum est explorare, num revera a Deo missi sint qui ad te veniunt vestem religiosam suscepturi. At unde dignoscam, sint nec ne a Deo missi? Mox dicam.

§. III.

De signis divinæ vocationis ad statum religiosum, & sacerdotalem.

I. Difficile admodum est internoscere divinam ad aliquem statum vocationem. Plura tamen signa occurrunt tum corporis, tum animi, alia ambigua & dubia, alia valde probabilia & quasi certa, unde colligere possunt quorum interest, sinr nec ne candidati ad statum religiosum, ad regimen animarum vocati. Pauca hic delibabo.

II. Illi non sunt ad sacros Ordines vocati quos corporis animique defectus ineptos reddunt ad sacra ministeria obeunda, præsertim si defectus isti auferri nequeant. Corporis defectus omnibus patent, ut irregularitates, de quibus infra, & alia impedimenta.

III. Defectus animi alii sunt veluti a natura insiti, vocanturque naturæ vitia, ut animus ferox, indoles sæva & ferina, vel mollis, fluxa, & ad omnem ventum instabilis, ingenium retusum, plumbeum, stupidumque, scientiis necessariis acquirendis omnino ineptum. Alii sunt morales, & voluntarii, ut iracundia, superbia, & cetera vitia, ad quæ alii præ aliis vel ex prava indole, aut vitiosa assuefactione propensiores sunt. Qui naturæ vitiis laborant, ad sacros Ordines, ad munia sacra non sunt vocati. An Sacerdos ferocis indolis alliciet gregem, & non potius in fugam aget? An Pastores plumbei, retusique ingenii effundent in populos divina eloquia, si illi ipsi eadem ignorant? Si mollis, tenerioris, atque fluxæ indolis sint, carent evangelica fortitudine, & constantia pectoris sacerdotalis, qua repellere lupos audaces, deprimere superbos, & in ordinem redigere dissolutos, atque murum pro domo Dei se opponere valeant. Heinc collige, quam sint alte

decepti illi qui similes Sacerdotes ad animarum regimen evehunt. Feroces, agrestes, & feri communiter merito repelluntur ab omnibus. Contra ad omnem auram versatiles, teneriores, flexibiles facillime promoventur: quia isti sinunt *vadere mundum sicuti vadit*. Ad istorum latera, inquiunt, ministros idoneos designabimus, & istorum subsidio sapienter gregem dirigent. O homines miserrimi in viis suis! Ministri ergo erunt Pastores, & Pastores statuae figuram sustinebunt? Ministri carent gratia vocationis, carent caelestium donorum copia: quia isti, non Deo vocante, sed humano artificio lenocinante, intrusi sunt. Illusio est perniciosissima velle Pastoris ineptitudinem ministrorum peritia compensare. Qui ergo idonei non sunt ad docendum, ad corripiendum, ad increpandum, & quidem cum imperio, & fortitudine, ubi opus fuerit, inepti iudicari debent ad regimen animarum, & tam electi, quam electores in periculo damnationis gravissimo versantur. *Noli* (inquit Deus Eccles. VII.) *quaerere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & scandalum ponas in aequitate tua*. Nec est quod obtrudas morum integritatem, vitae sanctimoniam, animi candorem: quia dotes istae signa divinae vocationis esse ad sacerdotium queunt, secus ad animarum regimen.

IV. Defectus morales animi, quia voluntarii, corrigi possunt: propterea diverso modo de istis, ac de incurabilibus naturae vitiis iudicandum est. Nam si adsit acre ingenium, optima indoles, animi fortitudo, ceteraeque naturae dotes, morales defectus, nempe voluntaria crimina, dubiam efficere vocationem dumtaxat valent. Quam dubitationem resolvet director prudens praescribendo poenitentiam, & pietatis exercitia. Purgare a vitiorum sordibus inquinatum animum studeat: & ex fructibus dignoscet, num planta exculta sit, in vinea Domini constituenda. Non est attendendum, ad quid depravati iuvenis propensio inclinet; sed ad id quod gratiae, & poenitentiae vi sanatus animus praestare prudenter valeat.

V. Divinae vocationis signa in iuvene ad sacros Ordines, statumque religiosum capessendum haec assignari communiter solent. 1. Si adolescens a saeculi oblectamentis avulsus sit, & a mundi amicis seiunctus, & abstractus. 2. Si non ad vitam privatam secum traducendam (quod a superbis, & melancholicis, inquit doctissimus Merbesius *diss.* VI. *de sac. Ord.* §. 19. factitari solet) sed ad ferventius in Dei obsequium, proximique salutem incumbendum, succensum se sentiat. 3. Si orationis studio afficiatur, ut eiusdem ope explorare divinam possit voluntatem. Oratio enim est cum Deo commercium, animumque eidem coniungit, & dona necessaria obtinet. Si hanc sustuleris, nihil impetrare, nihil obtinere poteris. 4. Ardens desiderium adipiscendi Ordines sacros. Verum hoc signum plerumque falsum est, & a cupiditate, non a caritate proficiscens. Plures enim appetunt statum clericalem, quia a parentibus ad id incitantur, quia inde sperant aut exo-

exonerare familiam, aut proventus & subsidia sibi comparare. Alii rei familiaris angustia pressi, & laborare, fodere, ocare, piscari, & alia laboriosa exercitia fastidientes, statum clericalem considerant veluti artem & professionem, qua victum & vestitum absque labore & sudore comparare sibi facillime valeant. *Clerici* (inquit S. Hieronymus epist. ad Nepotianum) *possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace diabolo non habuerant; ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.* Alii ambiunt dignitates, primas cathedras, & salutationes in foro. Omnia igitur recensita signa ambigua sunt, & sola prudentia directoris potest distinguere, & pro circumstantiarum diversitate deprehendere, quando vera, & quando fucata sint.

VI. Quæst. unic. *Licitum ne Clericis est dignitates ecclesiasticas, & animarum regimen appetere?* Resp. Hanc difficultatem resolvit S. Thomas 2. 2. *quæst.* clxxxv. *art.* 1. ubi hæc habet. *Dicendum, quod in Episcopatu tria possunt considerari. Quorum unum est principale, & finale; scilicet episcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur, secundum illud Ioan. ult.* Pasce oves meas. *Aliud autem est altitudo gradus: quia Episcopus super alios constituitur, secundum illud Matth.* xxv. Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. *Tertium autem est quod consequenter se habet ad ista; scilicet reverentia, & honor, & sufficientia temporalium, secundum illud I. ad Timoth.* v. Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur. *Appetere ergo Episcopatum ratione huiusmodi circumstantium bonorum manifestum est quod est illicitum; & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem. Unde contra Pharisæos Dominus dicit Matth.* xxiii. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere Episcopatum est præsumptuosum. Unde Dominus arguit discipulos Matth. xx. *primatum quærentes, dicens:* Scitis quia Principes Gentium dominantur eorum. *Ubi Chrysostomus .... dicit, quod per hoc ostendit, quod Gentile est primatus cupere: & sic Gentium comparatione eorum animam æstuantem convertit.*

Sed appetere proximis prodesse est secundum se laudabile, & virtuosum. Verum quia, prout est episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente; sicut Greg. dicit in Pastor. ... quod tunc laudabile erat Episcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Unde non de facili inveniebatur qui hoc onus assumeret: præsertim cum aliquis caritatis zelo divinitus ad hoc incitatur; sicut Gregor. dicit in Pastor .... quod Isaias prodesse proximis cupiens, laudabiliter officium prædicationis appetit.

D ij Po-

Potest tamen absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam esse dignum ad talia opera exequenda; ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. Unde Chrysost. dicit super Matth. . . . Opus quidem desiderare bonum, bonum est: primatum autem honoris concupiscere vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se horret.

VII. Ex hac angelica doctrina colligitur, licitum esse appetere prodesse hominibus, admissa hypothesi quod quis esset ad id præstandum idoneus. Tria S. Thomas distinguit in dignitatibus ecclesiasticis. 1. est officium quod Dei cultum, & proximi utilitatem spectat. 2. est celsitudo gradus, vi cuius Pastor dominatur in subditos. 3. obsequium, reverentia, & reditus temporales debiti Pastoribus. Officium episcopale, parochiale, seu regimen animarum secundum se spectatum licet appetere voluntate hypothetica seu *conditionata*, ut sic loquar; nempe, si eligendus idoneus sit, & necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id postulet. *Potest* (inquit Angelicus) *absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam esse dignum ad talia opera exequenda; ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis.* Desiderium itaque, ut sit licitum, spectare opus, laborem, & salutem proximorum debet, nullo modo dignitatem, honores, emolumenta. Verum in praxi mentitur iniquitas sibi, & facillime sub fuco & larva laborandi & operandi in utilitatem Ecclesiæ latitat cupiditas, serpit ambitio, & ceteræ appetitiones pravæ zeli pallium induunt: ideo ab eiusmodi desideriis abstinendum. Facile intellectus tria præfata distinguit; at cæca voluntas omnia comprehendit, & quod fortius percellit sensus, & carnis appetitiones, vehementius quoque appetit, videlicet dominatum, emolumenta, salutationes, obsequia &c. Innumera sunt Patrum testimonia contra anhelantes dignitates ecclesiasticas. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Opus* (inquit Hieronymus epist. LXXXIII.) *non dignitatem; laborem, non delicias; per quod humilitas decrescat, non intumescat fastigio.* Si plurima PP. testimonia cupis adversus eos qui Pastoris gradum, & animarum regimen anhelant, qui industria & arte humana utuntur, ut votorum suorum compotes efficiantur, lege Natalem ab Alexandro, Bonum Merbesium, Ludovicum Habert: quia in Casuistis modernis communiter vix unum SS. PP. testimonium offendes.

VIII. Nemo ergo se dignum reputet ad tantum onus sustinendum; sed viros doctos & pios consulat. Deus mittit Saulum ad Ananiam: *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur, quid te oporteat facere:* Act. IX. Omnes Patres clamant, hanc sarcinam suscipiendam non esse, nisi caritatis necessitate, & ex illorum qui præsunt, imperio. *Quam sarcinam* (inquit Augustinus Lib. XIX. de civ. Dei cap. XIX.) *si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponi-*

ponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem. S. Gregorius *I. Part. Past. cap.* VI. ait: *Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat*. S. Isidorus *Lib. III. Sent. cap.* XXXIV. inquit: *Ad dispensationem ecclesiastici Ordinis, si ex Dei voluntate pervenerit, nolens quidem, sed humilis gubernandam suscipiat*. Quisque igitur cui sua æterna salus cordi est, inconsultis viris doctis & probis, tantam non suscipiat sarcinam, Plures possunt, nisi sint obcæcati, deprehendere in propria ignorantia, & defectu scientiæ ac fortitudinis, aliisque tum corporis, tum animi vitiis suam ineptitudinem ad tantum gradum. Qui vero scientia, zelo, pectoris robore, aliisque dotibus coruscant, non ideo se dignos reputent, excepto aliquo extraordinario casu: quia iuxta communem providentiæ ordinem vocatio Dei ad hos gradus non innotescit, nisi hominum ministerio.

IX. Episcopi autem est explorare, num ordinandus sit a Deo vocatus, ut Tridentinum *sess.* XXIII. *cap.* VI. ait. Nullus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis. Verum fieri potest ut Ecclesiæ ministris indigeant, atque adeo iudicare Episcopi possint utiles, aut necessarios esse ordinandos. At non ideo sequitur ut isti vocati, præditique sint necessariis dotibus. Et Episcopi freqnenter pluribus distenti negotiis ordinandorum vocationi explorandæ vacare nequeunt. Consulant ergo candidati, sive ad Ordines, sive ad pastorale officium suscipiendum viros doctos, & vere probos, qui non erubescant Evangelium Christi, quibus secretiora conscientiæ arcana patefaciant, ut iudicium audiant suæ vocationis.

X. Nonnulli æstu ambitionis perciti, & superbia tumidi blaterant, hac ætate iacere omnes, neminemque promoveri, nisi officia, procurationes, & consueta humana media præmittantur. Distinguo. Nemo eorum qui tacent, qui non quærunt, qui non supplicant, promovetur ab homine, concedo; a Deo, nego. Cedo: vis promoveri, & deligi ad dignitatem ab homine, repugnante Deo; vel a Deo, sublata humana industria & artificio? A Deo, inquis. Quid ergo garris iacere illos qui hominum industria non utuntur ad indipiscendas dignitates? An ignorat Deus dotes, & aptitudinem tuam? An si te iudicaverit idoneum, non disponet sua infallibili providentia ut præficiaris Ecclesiæ moderandæ? Sedulam tu impende operam scientiis addiscendis, Scripturis sanctis meditandis, conscientiæ tuæ excolendæ, & Deo te committito, ut ad eum te deligat gradum & dignitatem quam humeris tuis parem solus ille cognoscit. Non te abripiat torrens multitudinis, quæ oppositam insistit viam, & humanis artificiis, & muliercularum etiam lenociniis viam sibi aperiunt ad ecclesiasticas dignitates; sed a Deo solo, & ab iis qui Dei loco te regunt, expecta destinationem tuam. Quod si feceris, & tibi, & aliis utilis eris.

CAPUT VIII.

De cælibatu statui Clericorum annexo.

I. LEgem perpetuæ continentiæ contrariam iuri naturali, & divino esse blaterarunt VViclephus, Lutherus, Calvinus, & alii Novatores, quorum Patriarcha fuit Iovinianus a S. Hieronymo profligatus. Catholici omnes defendunt, legem perpetuæ continentiæ nec naturali, nec divino iuri adversari. Ait enim Apostolus I. Cor. VII. *Volo enim vos omnes esse sicut meipsum . . . Dico autem nuptis, & viduis: bonum est illis, si permaneant sicut & ego . . . . De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* Numquid Apostolus contra ius aut naturale, aut divinum consilium dedit? Verba divina, *Crescite & multiplicamini*, Gen. I. genus humanum universe spectant, vimque præcepti habent, quando sine coniugio genus humanum deficeret; ut mundi initio contigit, & statim post diluvium. Si lex perpetuæ continentiæ pugnaret cum iure aut naturali, aut divino, peccassent Beata Virgo, S. Ioseph, S. Ioannes Baptista, immo & ipse Christus Dominus. Ecclesia autem neminem lege continentiæ astringit, sed Clericos qui libere statum clericalem profitentur, libereque votum emittunt, cogit in proposito permanere. An herus iure respuere illos ministros non valet a sua familia qui renuunt vitam cælibem? Quidni & Ecclesia a sacro ministerio uxoratos reiicere potest? Nec est quod opponant, Apostolos habuisse uxores, quas secum conducebant; ut *I. ad Cor. cap.* IX. testatur Paulus: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli?* Tertullianus *Lib. de Monogam. cap.* VIII. S. Hieronymus *Lib. adv. Iovin.* & communiter Patres mulierum nomine intelligunt mulieres religiosas, quæ, quemadmodum Christum, ita & Apostolos sequebantur. Apostoli enim post vocationem suam, si qui habuerunt uxores, eas dimisere; ut colligitur ex *cap.* XIX. *Matth.* Communis tamen Patrum sententia est, omnes Apostolos fuisse cælibes, uno Petro excepto. Et quamvis dicat S. Clemens Alexandrinus, S. Paulum ante vocationem nuptias celebrasse; quod alii Patres negant: tamen ipse asserit post vocationem uxori non adhæsisse. Sed verius est illam numquam habuisse. Adolescens enim erat, quando Stephanus lapidatus est, & anno sequenti vocatus a Christo fuit. Idem Apostolus dum I. *Cor.* VII. ait: *Propter fornicationem .... unusquisque suam uxorem habeat:* coniugatos alloquitur, ut S. Hieronymus interpretatur; vel si de innuptis sermonem habet, nuptias non præcipit, sed permittit; ut Chrysostomus in I. *ad Timoth.* cum ceteris Patribus explicat.

II. Cælibatus non est iure divino, sed ecclesiastico, statui clericali annexus, ut communiter Theologi docent. Prima pars patet: quia nullibi in Scripturis sanctis, aut

aut in Traditione tale præceptum divinum occurrit. Ius vero ecclesiasticum, præcipiens cælibatum Clericis, ab ipsis Apostolis exordium accepisse testantur Paulinæ epistolæ. I. ad Tim. *Oportet . . . Episcopum sine crimine esse . . . sanctum, continentem*. Qui autem continens est, sine uxore vivit. Nam *qui* (subdit Apostolus I. Cor. VII.) *non se continent, nubant*. Rursus II. ad Tim. II. *Labora, sicut bonus miles Christi Iesu: nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit*. Qui ergo Christo se addixit, & quidem solemni ritu, illi soli placere totus studet. Contra, subdit Paulus I. Cor. VII. *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*. Hanc disciplinam Ecclesia tum Græca usque ad VIII. sæculum, tum Latina ad hanc usque ætatem servavit.

III. Origenes, qui II. & III. sæculo vixit in *Num. hom.* XXIII. hæc habet. *Certum est quia impeditur sacrificium indefinens iis qui coniugalibus necessitatibus serviunt: unde videtur mihi quod illius solius est offerre sacrificium qui indefinenti & perpetuæ se devovit castitati*. Eusebius Lib. I. Demonstr. evangelicæ cap. IX. *Verumtamen eos qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet*. Similia habent Concilium Ancyranum, Epiphanius, Chrysostomus, & alii. Nam S. Hieronymus diu apud Græcos degens adversus Vigilantium, quem Dormitantium, & uteros feminarum anhelantem appellat, scribit. *Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut, si uxores habuerint, mariti esse desinunt?*

IV. Ecclesiæ Latinæ testimonia luculenta sunt. Concilium Eliberitanum an. 305. cap. XXIII. *Placuit in totum præcipere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis abstinere se a coniugibus, & non generare filios*. Clarius Concilium Carthaginense II. an. 390 cap. III. *Omnibus placet ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, & observavit antiquitas, nos quoque custodiamus*. Hoc solum Conciliare testimonium perspicue apostolico-ecclesiasticam traditionem manifestat. Evidenter ergo falluntur qui a Siricio summo Pontifice hanc disciplinam arcessunt. Nam hic Pontifex *epist.* ad Himerium Tarraconensem antiquas sanctiones allegat, minime novam condidit. *Quorum sanctionum Sacerdotes omnes indissolubili lege astringimur, ut a die Ordinationis nostræ, sobrietati, & pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora*.

V. S. Leo *epist.* LXXXIV. ad Anastasium Thessalonicensem hæc scribit. *Nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, ut & qui habent, sint tamquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares, & innupti*. Superfluum est innumera posteriora Concilia allegare, in quibus legem perpetuæ continentiæ a sta-

tu clericali indivulsam fuisse narratur. Nec est quod obtrudant Novatores plura exempla Sacerdotum qui uxores ante Ordinationem ductas, non dissentientibus Conciliis, retinuerunt, & filios suscepere. Illas enim retinuerunt ut sorores. Si vero filios procrearunt, legis violatores, ut Lutherani, & Calvinistæ, fuerunt.

VI. Lex continentiæ circa Subdiaconos varia fuit. Concilia Eliberitanum, Carthaginense, S. Leo cælibes manere Subdiaconos statuunt. S. Gregorius legem, qua Antecessor suus Pelagius II. Subdiaconos Siciliæ ab uxoribus seiunxerat, austeriorem iudicavit, eamque *Lib. I. epist.* XXIV. delinivit hoc pacto, ut nullus in posterum ad Subdiaconatum promoveretur, nisi perpetuam profiteri continentiam vellet; sed uxoratis Subdiaconis indulsit uxorum usum, & liberorum procreationem. Concilium Romanum sub Gregorio II. & aliud sub Zacharia Subdiaconos continentiæ lege non obstringunt. Tandem sæculo XI. post Urbani II. in Concilio Claramontano decretum, Ecclesia Latina Subdiaconos ad perpetuam continentiam obligavit.

VII. Post hæc tempora matrimonia Subdiaconorum invalida semper fuere; ut habetur ex Concilio Lateranensi I. can. XXI. *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus, contractaque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi*. Hoc decretum confirmarunt Eugenius III. Alexander III. in Concilio Lateranensi III. Et tandem Concilium Tridentinum *sess.* XXIV. *can.* IX. hæc sancivit adversus Novatores. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos . . . posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica . . . anathema sit.*

VIII. Quam salubris, & consentanea lex continentiæ sit sacris ministris, ex eorumdem officiis, quæ præstare tenentur, colligitur. Illorum quippe est 1. offerre sacrificia, & altari inservire. 2. orationi & contemplationi Scripturarum vacare. 3. fideles ædificare, docere, & ad virtutum exercitia inflammare. 4. pauperum, atque viduarum curam gerere. Porro quis non videt, his functionibus matrimonium obesse? Matrimonii opera, quamquam licita sint, quamdam tamen & corporis pollutionem, & mentis inquinationem inducunt, quæ puritati ministrantis ad altare officiunt. Achimelech propositionis panes comedendos Davidi, eiusque militibus dare noluit, nisi certior prius factus fuit, illos ab uxoribus aliquamdiu abstinuisse. Et Sacerdotes veteris testamenti per vices ministrabant, ut ministrantes ab uxore & domo abesse possent; quemadmodum *Lib. I. Paralip. cap.* XXIV. colligitur. Heinc Innocentius I. *epist.* III. infert. *Quanto magis hi Sacerdotes, & Levitæ* (novi fœderis) *pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est; nec præterit dies qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent?* Qui vinculo coniugali obstricti sunt, quæ sunt mundi cogitant, quomodo uxoribus placeant, liberos alant; negotiis sæculi distineu-

hentur, & stabiliendæ familiæ augendæque continuam navant operam. Hinc tranquillum animum, purgatum cor, serenam mentem possident, prout Dei ministros decet? Si Paulus *I. Cor.* VII. fideles coniugatos hortatur, ut ex consensu mutuo se separent ad orationi vacandum; quanto magis Sacerdotes Dei, quibus orandi, & sacrificandi iuge officium est? Porro *qui sine uxore est* (inquit Paulus I. Cor. VII.) *sollicitus est quæ Domini sunt*.

IX. Blaterant Novatores, legem illam malam esse quæ ruinæ occasio pluribus est. Lex autem cælibatus in caussa est cur plurimi Sacerdotes sacrilegos concubinatus foveant, & fornicationibus polluantur. Plures putidas fabellas, ut illa de sex millibus infantium suffocatorum, ex fornicatoribus Clericis ortorum, tempore sancti Gregorii, narrant. Sed partim commenta mera sunt, partim ex iniquitate hominnm parta. Nulla lex tàm sancta, quæ hominum malitia depravari nequeat. Lex cælibatus non est occasio per se, ut dicitur, sed per accidens, ruinæ spiritualis plurium Sacerdotum. Si consisteret Lutheranorum, & Calvinistarum sophisma, non debuisset Deus præceptum primis parentibus imponere, nec ullam legem condere. Adeo futilia, & inepta sunt quæ obtrudunt Novatores, ut pudere illos deberet eiusmodi fabulas contra universalem Ecclesiæ legem obiicere.

CAPUT IX.

De Tonsura, babitu clericali, & præviis dispositionibus.

I. Dictum supra est, Tonsuram non esse Ordinem, sed esse cæremoniam ab Ecclesia institutam, qua laicus baptizatus, & confirmatus in Clerum adscribitur. Instituta ab Ecclesia Latina est, quam Ecclesia Græca non observat: & tribus primis sæculis nullum eiusdem vestigium apparet. Christianus solus baptizatus, & confirmatus, secus neophytus nondum confirmatione munitus, aptus est ut Tonsura initietur sacro ritu, quo ex laicorum statu in Clerum adscribitur. Sciendum tamen, non omnes Tonsura insignitos gaudere honoribus, & privilegiis Cleri, ut Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. *cap.* VI. *de refor.* decernit. *Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi Beneficium ecclesiasticum habeat, & Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel in Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versetur*. Caussa cur hanc sacram Tonsuræ cæremoniam Ecclesia instituit, est Sacerdotii sanctitas. Quemadmodum enim ad professionem monasticam idoneus non reputatur qui per annum regularis disciplinæ tyrocinium non præmiserit; sic Ecclesia sapienter ordinavit ut adscribendus in Clerum 1. abiiciat vestem laicalem, 2. caput tondeat, 3. vestem Clericorum propriam induat, 4. sanctioris vitæ disciplinam profiteatur.

II.

II. Habitus clericalis duplex. Alius communis ad usum quotidianum, qui est nigri coloris & talaris. Alius solemnis, qui superpelliceus nuncupatur, & priori vesti superponitur, ab ipso Episcopo dicente: *Induat te Dominus in novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis*. Clericus igitur exuens laicales vestes, & capillos praecidens, saecularem hominem se exuisse testatur. Dum vero superpelliceum induit, novum hominem, seu novam sanctiorem vitam profitetur. Praeclare *Ivo Carnotensis* Clericum docet methodum qua hanc sanctiorem vitam assequi valeat, exemplo ipsius superpellicei, qui ex lino fusco & obscuro repetitis percussionibus, & ablutionibus evadit candidissimus. *Byssus* (inquit Ivo de vestib. sacerd.) *est genus lini candidissimi, & ad summum candorem multa vexatione, & ablutione perductum: significat autem perfectam carnis munditiam . . . Hanc munditiam caro sacerdotalis ex se non habet, sicut nec linum ex se est candidum; sed, sicut dictum est, multis castigationibus, & ablutionibus redditur candidum, ut aptum fiat indumentis Pontificum. Forma est sacerdotalis munditiae, ut secundum Apostolum Sacerdotes carnem suam castigent, & in servitutem redigant, & praeeunte gratia habeant per industriam quod non potuerunt habere per naturam. Haec vestis . . . talaris appellatur, quia a collo usque ad talos extenditur*. Plura hic dicenda essent in commendationem habitus clericalis, sed brevitatis caussa omitto.

III. Quaest. I. *Peccant ne mortaliter qui habitum clericalem non deferunt, nempe vestem, & tonsuram?* Resp. P. Claudius La-Croix *Lib. IV. num.* 1371. *& seq.* refert opinionem *P. Gobat*, asserentis non esse mortale, *si non sit periculum causandi vilipendium & contemptum*. Et hanc opinionem more suo iudicio lectoris permittit. Subdit hanc laxam opinionem. „ Nemo enim arguet Parochum mortalis, in „ cuius capite per sex, vel octo hebdomadas non apparet vestigium coronae, *etsi* „ *constitutiones synodales id mandarent*. " Parochus ergo qui per integrum & alium mensem transgreditur constitutiones synodales, nemo arguet peccati mortalis? En unam ex caussis cur Sacerdotes nec tonsuram, nec vestem talarem deferunt. Episcopi, Concilia praecipiunt & tonsuram, & habitum clericalem deferre. Erumpunt in medium Casuistae nonnulli, & edicta Episcoporum, ac Conciliorum eludunt suis distinctiunculis. Audi aliam opinionem, quam subiicit idem La-Croix ibi *num.* 1373. „ Si Clericus in sacris constitutus alat longam comam, *Abb.* „ *Diaz*, & alii dicunt esse mortale; sed communius, & probabilius negant *Caiet.* „ *Sayr. Garz.* aliique cum *Quarti*, si absit contemptus, & scandalum: *quia* „ *quamvis fiat comminatio excommunicationis*, communis tamen est sententia, se„ cundum dicta *l.* 1. *num.* 611. quod comminatio gravis non semper indicat gra„ ve praeceptum, si poena sit ferendae sententiae. " Sub poena excommunicationis vetant Episcopi, vetant Synodi ne comas longas Clerici deferant: & haec gravissi-

vissima excommunicationis comminatio non semper indicat grave præceptum ? Et quia non semper hoc grave præceptum indicat, ideo in hoc casu non indicat : & sic dicetur in altero casu &c. An eiusmodi distinctiunculæ, & opinationes manifeste deludant & Synodorum, & Episcoporum saluberrimas sanctiones, ceteri iudicent. Rogandi essent eiusmodi Casuistæ, quo iure Synodorum decreta ad proprias cogitatiunculas detorqueant.

IV. Missis itaque horum Casuistarum commentis, ad propositum quæsitum respondeo, Theologos graviores communiter defendere, Clericum peccare mortaliter qui tonsuram, & habitum clericalem non defert. Hæc doctrina centies in Conciliis definita, & confirmata est. Quid quod ipsi Casuistæ etiam benigniores hanc sententiam defendunt, ut animadvertit doctissimus Bonus Merbesius *diss.* VI. *quæst.* XV. inquiens: *Ac reipsa quidem ipsi Casuistæ, quibus plerique nihil in sacris litteris evolvendis, nihil in sanctis Patribus, & Conciliis lectitandis versati, plus æquo confisi, omnem in omnibus habent fidem . . . in eam concessere partem, ut tonsuræ, & habitus clericalis neglectum, & omissionem inter peccata mortalia recenserent; & insuper homines talis omissionis conscios excommunicationis anathemate perculsos, vel percellendos assererent.* Allegat Fumum, Sotum, Azorium, Caietanum. Verum, ad Caietanum quod attinet, fallitur Merbesius : nam Caietanus laxam doctrinam docet in Sum. verb. *Clericor. peccata.* Quamvis enim Caietanus sub initium dicat, *Clericorum peccata ex transgressione iuris positivi sunt tot, ut vix numerari queant*; tamen postea hæc peccata ad veniales culpas restringit. Idcirco illius opinionem, non secus ac illam Gobat, La-Croix, & aliorum, improbo. Ut enim toties ad ravim usque dixi, non minus domesticorum, quam extraneorum laxitatis paradoxa refellere in animo est.

V. Quæst. II. *Peccant ne Clerici qui habitum clericalem ad formam habitus laicalis accommodant, comasque cincinnatas, & pulvere odorifero aspersas deferunt, tonsura vix apparente?* Resp. Quid adversus torrentem moris humani hiscam? Numquid contra communem, & prævalentem corruptelam vocem exaltabo? At numquid Christi Evangelium erubescam? Numquid Conciliorum, & S. matris Ecclesiæ doctrinam absconditam tenebo? Absit. Edissere ergo. Status clericalis inter omnes alios ordines sanctissimus refulget, cuius Patriarcha, non homines, ut Claustralium, sed ipse Christus est. Habitus Sacerdotum, sive Clerici sæcularis sit, sive claustralis, hostiliter oppositus est luxui, fastui, & vanitati mundanæ. Quid, si Claustrales vestem monachalem ad formam, vulgo *la moda*, accommodarent? Quid, si cincinnati, si cyprio pulvere aspersas comas deferrent? An non se deridendos, sibilandosque propinarent? Dubio procul. Quidni & Sacerdotes sæculares, quorum status propinquius ad populum sanctificandum institutus est? Clamant Sacerdotes sæculares, se a Deo ad plebem regendam, excolendamque in-

institutos esse; mendicantes vero Fratres, omnesque Claustrales cooperatores dumtaxat esse. Veritas hæc est luculenta. Maiorem ergo modestiam, sanctioresque præseferant Sacerdotes sæculares mores oportet. Quid ad hæc? Habitus clericalis Religiosus a Synodio *Lib. IV. epist.* XXIV. vocatur. Habitus sancti nominis a Salviano *Lib. IV.* Sacra vestis a Balsamone in *can.* lxi. Apostolorum. Habitus Religionis a Constantio in vita S. Germani. Porro, ut vestis clericalis sanctitatem percipiant, ministri Dei meditentur tremenda verba quibus Pontifex Clericum contumacem degradat. *Auctoritate Dei omnipotentis tibi auferimus habitum clericalem, & nudamus religionis ornatu, ac deponimus, degradamus, spoliamus . . . & veluti clericalis professionis indignum redigimus te ad servitutem, & ignominiam habitus sæcularis . . . Te veluti ingratum filium a sorte Domini, ad quam vocatus fueras, abiicimus, & coronam tui capitis, regale quidem signum Sacerdotii, de tuo capite amovemus.* Quid ad hæc Clerici, inquit Ludovicus Habert *de Tonf. Cler.* §. 4. qui cæco, rapidoque furore perciti ita in seipsos sæviunt, ut propriis manibus vestem clericalem sibi detrahant, & ad ignominiam sæcularis habitus sponte se redigant? Monachus qui habitum deserit, ut Apostata punitur. Concilium Tridentinum in Clericos qui, qualiacumque Beneficia ecclesiastica obtinent, hæc *sess.* XIV. *cap.* VI. statuit. *Si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini, & dignitati congruentem, & iuxta Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint; per suspensionem ab Ordinibus, ac officio, & Beneficio, ac fructibus, & reditibus & proventibus ipsorum Beneficiorum; nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & Beneficiorum huiusmodi coerceri possint, & debeant, secundum constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam.* An pœnæ adeo graves peccatum gravissimum non denotant?

VI. Quid porro refert quod sacram vestem, & clericalem tonsuram sive *materialiter*, sive *formaliter* (ut sic loquar, quia significans locutio est) dimittas? *Materialiter* dimittis, dum reipsa habitum sacrum exuis. *Formaliter* habitum clericalem exuis, cum illum, retento colore, ad vanam formam (vulgo *ad modam*) laicalium vestium vanitati accommodas. Tonsuram formaliter reiicis, cum illam infra cincinnatam comam abscondis. Illam deturpas & maculas, cum profano odorifero pulvere aspergis. Resipisce, o miser, & squammis cæcitatis positis, criminis tui gravitatem meditare, dum in regale illud Sacerdotii signum, quod solemni ritu suscepisti, debaccharis, sævis, furis, dum ad vanam profanamque insanientis mundi formam illud detorques. Disputandum esset, quinam gravius peccent: an qui materialiter missa clericali, laicam vestem induunt; an qui, retenta materialiter veste clericali, illam *formaliter* profanant, eamque ad elegantiam, luxum, & vanitatem sæcularem transfigurant? Memento Deum non

irs

irrideri. Indumentum clericale sive colore, sive vestium forma, sive capillorum tonsione, modestiam, humilitatem, sanctitatem, mundani fastus, vanitatis, & pomparum mundi contemptionem præferre omnino, & reipsa debet. Quid ergo adeo insanis & furis, ut audeas sacra modestiæ, humilitatis, & sanctitatis insignia cum vanis mundi pompis permiscere, atque coniungere? Claude quorumdam opiniunculis aures, & S. matris Ecclesiæ tot Conciliorum organo resonantes voces audi. Clamat quippe Tridentinum Concilium, eiusmodi vanos Clericos, uno pede viam Clericatus, altero pede viam carnis, & concupiscentiæ ambulare. *Tanta autem hodie* (inquit sess. XIV. cap. VI. de refor.) *aliquorum insolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus.*

VII. Quid vero de illis Confessariis dicendum qui eiusmodi pulitulos, barbatulos, comatos, crispatos, & cincinnatos Clericos, fastum, venerem, & satanicam pompam usquequaque crepantes, absolvunt, & ad altare sacrificaturos mittunt? *Qua conscientia* (clamat Ludovicus Habert loc. cit.) *& religione Confessarii iis absolutionis beneficium impendunt, extrema supplicia cum eiusmodi larvatis Clericis experturi?* Utique habitus non facit Monachum, ut inquit Tridentinum *loc. cit.* idcirco præter habitum necessaria est morum sanctitas: obcæcatio tamen magna est hoc axiomate abuti ad habitum clericalem profanandum. Sensus axiomatis est, satis non esse deferre humilem, modestum, & sanctum habitum clericalem, sed insuper vitæ sanctimoniam necessariam esse, ut mox dicam.

VIII. Quæst. III. *Quænam sunt dispositiones præviæ ad Tonsuram?* Resp. Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. *cap.* IV. decernit, neminem Tonsura initiandum esse qui fidei rudimenta, legere, & scribere nesciat, & de quo probabiles coniecturæ non occurrant eum esse in sortem Domini vocatum. Ætatis tempus canones non definiunt; Episcopi tamen communiter designant annum quartum decimum.

IX. Quæst. IV. *Qui conscius peccati mortalis Tonsuram suscipit, sitne gravioris delicti reus?* Resp. Tonsura, ut dixi, non est sacramentum, sed sacramentale. Susceptio autem sacramentalis in peccato non videtur inferre grave peccatum. Nihilominus hunc aliquo modo peccaturum qui in peccato hoc sacramentale susciperet, ob peculiarem illius significationem, & finem, certum est. Quid? In sortem Domini eligitur qui a Domino aversus est? Ipse communis sensus deformitatem quamdam deprehendit. Sanctiorem vitæ disciplinam sincero animo aggreditur qui culpa mortali inquinatus est? Disputari dumtaxat potest, sit ne mortalis, an venialis culpa hæc. Natalis Alexander *art.* V. *reg.* 21. Hallerus *de Ord. Part. I. sec.* IV.

IV. §. I. defendunt peccatum esse mortale. Ethices benignæ patroni stant pro veniali. Quænam sit sententia verior, me latet: idcirco nihil deliberare audeo: quia æque per excessum, ac per defectum peccari potest. Sat nobis est scire esse peccatum, ut omnes Tonsura initiandos moneamus ut suam conscientiam prius mundent.

X. Quæst. V. *Clericus potest ne tuta conscientia beneficium quodcumque accipere, vel retinere, si animum habeat deserendi, aliqua occurrente caussa, statum clericalem?* Resp. Una est, inquit Ludovicus Habert *loc. cit.* Theologorum vox, peccare mortaliter eum qui cum animo resumendi statum laicalem acceptat, aut retinet quodlibet beneficium: quia Ecclesiam circumvenit, & sacros reditus furatur, cum in sortem Domini vocatus absolute non sit. Aliqui Casuistæ affirmant peccatum esse mortale, si beneficio sit animarum cura annexa; secus, si beneficium simplex sit. Verum mihi probabilior est sententia Theologorum, & quidem gravium, qui defendunt peccare mortaliter omnes eos qui aut acceptant, aut retinent quodcumque beneficium cum animo redeundi ad sæculum. Circumveniunt enim Ecclesiam in materia gravi, animo deliberato. Neque dicas eos habere animum deliberatum permanendi in statu clericali, si familia habuerit successionem, si alter frater prole donatus fuerit; solumque in contraria hypothesi statum clericalem dimissuros. Quoniam voluntas hæc conditionata dolosa est, & uno pede in divinis, altero in carnalibus ambulat. Aut dimittendum beneficium, aut absolute firmandum animum in statu clericali. Hanc sententiam defendunt præter Habert *loc. cit.* Dominicus Soto *Lib. X. de iust. quæst.* v. *art.* 5. Cardinalis Toletus *Lib. V. cap.* v. & *Lib. IV. cap.* XVIII. Sylvius in 2. 2. *quæst.* LXIII. *quæstiunc.* 2. Sambovius *Tom. II. cap.* I. invictisque rationum momentis confirmant.

XI. Quæst. VI. *An ad validam Ordinationem necessarius sit consensus ordinandi?* Resp. Affirmant omnes. Hoc enim docet Innocentius III. cap. *Maiores* extra de baptismo, ubi hæc habentur. *Ille qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti.* Quod non minus de Ordinatione quam de baptismo verum habet. Qui tamen non absolute contradicit, sed tantum conditionali coactione ordinatur; puta, cum aliquis conscius propriæ infirmitatis, nollet absolute ordinari; sed, cogente Episcopo, aut plebe, ordinatur: hunc valide ordinatum esse, docent iuris canonici interpretes: quia, omnibus spectatis, non reluctatur.

CA-

CAPUT X.

De electione ministrorum Ecclesiæ. De eorum scientia, sanctitate, atque de spiritu, & ingenio sacerdotali.

I. NEcessariam esse ministrorum Ecclesiæ electionem, omnes Catholici adfirmant contra VViclefum, & Hus: idque perpetua traditione, ab ipsis Apostolis promanante, constat. Disputatur, a quibus eligendi ministri & Pastores Ecclesiæ sint. Ante sæculum duodecimum communiter in Episcoporum præsertim electione Cleri, & populi suffragia expectabantur. Ubique tamen hæc disciplina non obtinebat. A sæculo XII. nova electionis forma præscripta est in Concilio Lateranensi an. 1215. tit. *de elect.* cap. *Quia propter*, ubi hæc habentur. *Quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis; statuimus ut, cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant .... vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore: aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem, absque vitio celebrata*. Hoc decreto soli Clericorum Collegio Ecclesiæ cathedralis eligendi Episcopi facultas coarctatur. Anno 1448. pro natione Germanica conventio inita fuit Nicolaum V. inter & Fridericum III. Imperatorem, qua Capitulis Ecclesiarum cathedralium electiones Episcoporum adscriptæ fuere, reservata summo Pontifici electorum confirmatione, aliisque adiectis conditionibus. Concordata Leonis X. an. 1516. inita Bononiæ cum Francisco I. Francorum Rege confirmata suere in Concilio Lateranensi V. vi quorum ius nominandi Regi tribuitur, & summo Pontifici Bullas & provisiones concedendi, atque repudiandi electos destitutos dotibus necessariis, reservata facultas est.

II. Quæst. I. *An iure divino electio ministrorum Ecclesiæ pertineat ad Clerum, & plebem?* Resp. Adfirmant Lutherus, & Calvinus, eorumque sectarii; quorum errorem damnavit Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. *can.* VII. Nec unicum ex verbo divino adducere testimonium possunt, unde inferant ad plebem divino iure attinere electionem ministrorum. Heinc est quod disciplina pro temporum diversitate varia fuit.

III. Quæst. II. *Quæ, & qualis scientia requiratur in ordinandis?* Resp. Divina Scriptura a sacerdotio ignaros reiicit, ut *Oseæ* IV. habetur. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*. Et *Matth. cap.* XXIII. illiteratos

Sa-

Sacerdotes increpatos legimus : *Væ vobis duces cæci*. Et ius canonicum cap. *Illiteratos* hæc habet. *Illiteratos, aut aliqua corporis parte vitiatos, vel imminutos nullus præsumat ad Clericatus ordinem promovere : quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis : & vitiosum nihil Deo prorsus offerri legalia præcepta sanxerunt*.

IV. De necessitate scientiæ in ordinandis nemo ambigit. Explicandum nunc clarius est, qualem addiscere scientiam debeant. Scientiam quam Prophetæ, & Evangelistæ inculcant, est scientia legis divinæ in Scripturis sanctis explicata. *Peccatum non cognovi* (inquit Apostolus Rom. VII.) *nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces*. Legi ergo evangelicæ addiscendæ sedulam navare operam Clerici debent. Quandoquidem *II. ad Timoth.* III. subdit Paulus : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Ad sua divinæ legis in Scripturis sanctis traditæ normam iudicaturus est Deus universum genus humanum. Quamobrem non modo Scripturæ sanctæ, sed omnia Concilia studium Scripturarum inculcant, & SS. Patrum, qui easdem divinas Scripturas interpretantur. Concilium Nicænum II. *can.* II. inquit : *Nostræ hierarchiæ substantia sunt eloquia divinitus tradita. Divinarum Scripturarum vera scientia*. Rursus dist. I. cap. *Cum ignorantia*, hæc habentur. *Sciant ergo Sacerdotes Scripturas sanctas, & canones*. Non te Deus ob Casuistarum, sed ob Scripturarum studium neglectum redarguet, neque secundum Dianæ, Tamburini, La-Croixii, Bonacinæ opinationes, sed secundum legis suæ præscriptum iudicabit. Lubet huc transcribere præclari Theologi Ludovici Habert *de sacram. Ord. Part. II. cap.* VIII. verba.

V. „ Apage ergo modernos illos Theologos morales qui in libris a se vulgatis „ doctrinam morum stabiliunt ratiunculis, & argumentis verisimilibus, ne dicam „ sophisticis, vixque sacrarum Scripturarum meminere, nisi ut earum sensum ad „ præconceptas opiniones deflectant; eoque progrediuntur, ut suspectos in fide pro- „ nuntient qui, sicut fidei dogmata, ita morales conclusiones afferunt repetendas „ ex Scripturis sacris, canonibus Ecclesiæ, & sanctorum Patrum scriptis. Operæ „ pretium foret, ut viri hierarchici collectas apud se haberent propositiones ex „ huiusmodi libris magno numero excerptas, & censorie notatas tum a summis „ Pontificibus, tum ab Episcopis per varia loca, ac præsertim Gallicanis an. 1655. „ & 1700. tum ab insignibus Academiis."

VI. Numquam satis inculcari potest necessitas tum incumbendi in Scripturas, Patres, sacrosque canones, tum aut abstinendi a plurimm Casuistarum lectione, aut legendi illos cum magna cautione. Præter divinam legem investigandæ sunt & meditandæ humanæ leges tum ecclesiasticæ, tum civiles. Si necessaria, inquies, est

est Scripturarum, Patrum, & canonum, non Casuistarum scientia; cur Episcopi super casibus discussis a Casuistis, non super divinis Scripturis examinant ordinandos? Alibi, nempe *Tom. I. Apparatus* hanc dispicio difficultatem. Episcopi examinare ordinandos solent super Concilio Tridentino, eiusque Catechismo; quorum doctrina tota est ex Scripturis sanctis, ex Patribus, ex traditione hausta. Si plura cupis de scientia ordinandorum, lege *notif.* XVI. sapientissimi Pontificis BENEDICTI XIV. editam Bononiæ an. 1735.

VII. Unum adiicere lubet. Si in ordinandis, si in Parochis, si in Confessariis requiritur Scripturarum, canonum, & Patrum studium, quid de Episcopis dicendum erit? Si hi Scripturas sanctas, & Patrum, atque canonum doctrinam ignorant, quomodo examinare super his ordinandos, quomodo prædicare, & plebem docere valent? Deligent, inquies, doctum Vicarium, eruditos Examinatores, sapientes Auditores, qui suas vices impleant. Ita ne vero? In militia civili electus ne umquam fuit dux exercitus qui belli artem ignoraret, quive aliorum ministerio exercitum dirigeret? Et in spirituali militia aptus dux, & dignus populi Doctor ille deligetur qui istius sacræ militiæ leges, & canones ignoret? Quomodo poterit deprehendere, num Vicarius, vel Auditor, vel Examinatores reipsa secundum Scripturam sanctam ordinandos, Confessarios, Parochos examinent, si ipse Scripturas sanctas non calleat? Eo in Episcopis altior, & fulgentior requiritur scientia, quo eminentior est illorum gradus.

VIII. Quæst. III. *Quæ morum sanctitas requiritur in ordinandis, sive Clericis, sive aliis Pastoribus?* Resp. Quod ad suscipiendos sacros Ordines, seu sacramentum Ordinis necessaria sit conscientiæ munditics ab omni letali culpa, nemo est qui ignoret. In præsens autem non de hac, sed de illâ morum integritate, qua exornati absolute esse debent ordinandi, & præficiendi populis regendis, inquiritur. Apostolus Paulus ad Titum *cap.* 1. scribens designat quos in Presbyteros, & Episcopos deligere oporteat. *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi, si quis sine crimine est . . . . Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.* Non dixit Apostolus, inquit S. Augustinus *Lib. I. contra duas epist. Pelagii*, Pastores ordinandos debere sine peccato esse: quia nullus ordinari posset minister, si dixisset Apostolus: *Nullum peccatum habentes, ubi ait, Nullum crimen habentes: multi quippe baptizati sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim.* Ut itaque sensum Apostoli teneas, animadvertas oportet, neminem sine peccato esse, sine crimine vero plures. Ut autem quis sine crimine dicatur, non sat est ut ante Ordinationem suam conscientiam purget ab omni peccato; sed oportet ut vitam duxerit irreprehensibilem aut a suscepto baptismate, aut a pœnitentia diuturna peracta; ut a scandalis, & a moribus pravis abstinuerit; ut non dederit argumenta indolis sævæ, vinolen-

tæ, avaræ &c. ut exponit continuo ibi Apostolus. *Oportet ergo Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem.* Ante Ordinationem ab his criminibus immunis sit oportet in conspectu omnium. Distingue ergo peccata, quæ effectus sunt humanæ imbecillitatis, a criminibus, quæ malitia, prava indoles, & vitiosi habitus pariunt. Ab his non semper, ab illis vitam immaculatam duxisse oportere ordinandos, docet Apostolus, rationemque subiicit *I. ad Timoth. cap.* III. inquiens: *Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Si enim ordinandus vitam duxisset in ludis, cum mulierculis, matronulis, comœdis, scurris, eluonibus; his criminibus onustus omnino ad tantum munus ineptissimus esset. Quæ crimina non unica confessione ante Ordinationem præmissa, sed plurium annorum intervallo severa pœnitentia, & publica morum integritate eluantur oportet, ut populus bonum testimonium, seu debitam eiusdem probitatis existimationem habere valeat. Persequitur Apostolus ad Titum: *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Hoc S. Pauli documento summopere ætate nostra opus est. Olim sana doctrina fidei, nunc sana morum doctrina graves sustinet persecutiones. Quare si duces, si superintendentes, nempe Episcopi, sanam Scripturarum doctrinam non callent, quomodo increpare, & redarguere contradicentes, quomodo ministrorum Vicarii, Auditoris, Examinatorum opiniones non sanas a sanis distinguere, quomodo deprehendere poterunt? Si probus, & morum integritate exornatus candidatus in Scripturis sanctis, in Patribus, in disciplina Ecclesiæ ita versatus non sit, ut sanam Ecclesiæ doctrinam propugnare, & laxones, palponesque, aut immanes æquo austeriores redarguere queat, ad Episcopatum, ad Parochiam moderandam vocatus a Deo non est. Solus defectus scientiæ necessariæ ad defensionem doctrinæ sanæ certum luculentumque communiter indicium est, candidatum non esse in Rectorem animarum a Deo vocatum.

IX. Persequitur Apostolus ad Timotheum cap. III. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes.* Probatio autem non unius hebdomadæ spiritualibus exercitiis, sed diuturno tempore fiat oportet. Quandoquidem Apostolus monet, non esse eligendum *neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* Neophytus est recens conversus, in virtute novitius & rudis. Heinc Ecclesia semper neophytos, seu recens baptizatos a sacris Ordinibus reiecit; ut ex pluribus Conciliis constat.

X. Innumera sunt Patrum testimonia, quæ ordinandos in Episcopatum, & in Pastores animarum morum sanctitate exornatos postulant. Pauca delibabo. S. Hiero-

ronymus in *cap.* I. *epist. ad Titum* hæc scribit. *Primum itaque sine crimine iubetur esse Episcopus, quem puto alio verbo ad Timotheum irreprehensibilem nominatum: non quod eo tantum tempore quo ordinandus est, sine ullo sit crimine, & præteritas maculas nova conversatione diluerit; sed quod ex eo tempore quo in Christum renatus est, nulla peccati conscientia remordeatur. Quomodo enim potest Præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delicto simili corruerit? aut qua libertate corripere peccantem potest, cum tacitus sibi ipse respondeat, eadem admisisse quæ corripit?*

XI. S. Bernardus, rogatus a Brunone in Episcopum Coloniensem electo, num hanc probaret electionem, propterea quod hactenus mores suos ad normam evangelicam non informasset, *epist.* VIII. sic respondet. *Horreo, fateor (sic enim tibi, ut mibi loqui debeo quod sentio:) horreo, inquam, considerans, unde, quo voceris; præsertim cum nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod utcumque huiusmodi periculosissimus transitus fiat. Et quidem rectus ordo requirit ut prius propriam, deinde alienas curare studeas conscientias. Primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est:* Miserere animæ tuæ, placens Deo. *Ab hoc autem ad miserandum proximo recto iam tramite caritas ordinata procedit: quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur. Quod si in hunc modum quo te hactenus amasti, & tibi committendos amaturus es; malo ego quidem tibi non committi quam sic diligi: si autem te prius diligere didicisses, & me forsitan scires amare. Sed quid, si suam Deus acceleret tibi gratiam, & multiplicet misericordiam, & sit ad restituendam innocentiam efficacior, velox quam diuturna clementia? . . . Hoc salutis compendium sanctus ille latro consecutus est. Sed aliud est celerem adipisci veniam peccatorum, aliud & de ipsis sceleribus ad infulas provehi dignitatum . . . . Videte tamen Matthæum de telonio ad Apostolatus culmen assumptum. Sed hoc me rursus conturbat, quod non prius audierit cum ceteris Coapostolis suis:* Ite in orbem universum, prædicate evangelium omni creaturæ: *quam egerit pœnitentiam, multo labore sequendo Dominum quocumque iret, permanens cum eo in tentationibus suis.* Ut ceteros mittam Patres, lege S. Thomam in *Supplem. quæst.* XXXVI. *art.* I. ubi exponit, quanta morum probitate ornati esse debeant ordinandi, & illorum hallucinationem improbat qui facile semiignorantes, & minus probatos admittunt ad habitum aut clericalem, aut monasticum, propterea quod timeant defuturos Ecclesiæ ministros. Numquam enim, inquit Angelicus, ita deserit Deus Ecclesiam suam; quin sufficientes & idonei ministri inveniantur: concluditque, melius esse habere paucos ministros bonos quam multos malos.

XII. Quæst. IV. *Quam grave crimen committat Episcopus qui cito manus imponit?* Resp. Unum ex præcipuis monitis, quod *cap.* V. *I. ad Tim.* Episcopis inculcat Apostolus, istud est. *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* S. Thomas in hunc locum *lect.* III. hæc scribit. *Sicut non debet cito punire,*

 ita

ita nec cito promovere, idest ordinare de facili ad sacros Ordines .... Et quare? Quia si inordinate promoveas, & ex hoc contingat peccatum eis, vel in plebe, hoc tibi imputabitur. Vel communicat alienis, quia non corripit, cum potest. Scaturiginem tot malorum quæ Ecclesiam deturpant, ex facili manuum impositione Patres repetunt. Si promoverentur iuvenes sanie taboque libidinum diffluentes, mirandum ne esset, si castitatem, quam profitentur, horrendis sacrilegiis contaminarent, & scandala enormia patrarent? *Non miramur, fratres*, (inquit S. Bernardus Lib. de convers. ad Cler. cap. XIX.) *quicumque præsentem Ecclesiæ statum miseremur, non miramur de radice colubri regulum orientem: non miramur, si vindemiat vineam Domini, qui institutam a Domino prætergreditur viam.* S. Ioannes Chrysostomus *homil.* XVI. *in I. ad Timoth.* hæc habet. *Quid est illud cito? Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia; sed ubi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc imponito manus: neque enim ea res periculo caret: eorum quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis, qui initium dedisti etiam præcedentium delictorum.* Felicissima Ecclesiæ disciplina esset, si quod sacra Synodus Tridentina præcipit de ordinandis dumtaxat iis qui sunt aut reipsa utiles, aut necessarii Ecclesiis quibus addicti esse debent, executioni adamussim demandaretur. Excusari sæpe Episcopi possunt, quia cordium secreta non penetrant. At sæpe etiam deprehendere valent, nec utiles, nec necessarios esse illorum plurimos quos ad sacros Ordines promoveut. Confessarii nullo modo excusari possunt qui Ordinum candidatis, libidinum fœtorem olentibus, & inveterata vulnera patefacientibus, absolutionem impendunt, ut ad tantum sacramentum accedant. „ Quomodo iram Dei „ (inquit Ludovicus Habert Part. III. cap. III.) effugient Confessarii, quibus Ordinum candidati pridie, vel ipso die ordinationis conscientias occultis criminibus „ contaminatas exponunt, iisque nihilominus viam ad Ordinationem per absolutionem sternunt; quam *eo constantius denegare deberent, quo illi instantius opponunt incommoda temporalia, puta infamiam, summam pauperiem, parentum exprobrationes, beneficii obtenti periculum, nisi in præsentiarum ordinentur, cum vel inde se magis indignos probant Ordine, ac consequenter absolutione.*"

XIII. Sed quodnam temporis intervallum requiritur ad idoneam eorum probationem qui in occulta carnis crimina prolapsi sunt, antequam ad Ordines sacros promoveantur? Regula præstitui generalis nequit. Nam alii lapsi sunt ante Ordinationem, dum erant laici; alii post aliquem susceptum Ordinem: alii ex fragilitate; alii prava indole, & inveterata consuetudine. Qui peculiaria contritionis signa exhibent, & carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigere strenue curant, breviori probatione dignosci, sint nec ne idonei, poterunt. Illi vero qui ex longa assuetudine & propensione ad venerem frequenter relapsi sunt, si professi iam castitatem fuerint, diuturna, atque severa pœnitentia probandi sunt; si vero Subdia-

co-

conatu initiati non sint, ad coniugium illos remittat Confessarius, ut S. Bernardus *Lib. de conv. ad Clericos cap.* xx. suadet. *Utinam magis turrim inchoaturi, sedentes computarent, ne forte sumptus non habeant ad perficiendum. Utinam qui continere non valent, perfectionem temerarie profiteri, aut cœlibatui dare nomina vererentur. Sumptuosa siquidem turris est, & verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere quam uri; & salvari in humili gradu fidelis populi quam in Clerici sublimitate & deterius vivere, & districtius iudicari. Multi enim, non quidem omnes, sed tamen multi . . . . libertatem in qua vocati sunt, in occasionem carnis dedisse videntur, abstinentes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium effluentes. Parcite, obsecro fratres, parcite animabus vestris: parcite sanguini qui effusus est. Horrendum cavete periculum, ignem qui paratus est, declinate.* Caveant ergo Confessarii ne dignos reputent ut ad superiores Ordines, aut ad regimen animarum promoveantur pœnitentes frequenter violati aut baptismi, aut Ordinis reos, tametsi ab aliquot mensibus libidines frenaverint, nisi præterea expurgatum a terrenis affectibus animum, atque fervore caritatis æstuantem probaverint. Caveant ordinantes, ne in templo Dei idolum collocent, inquit Habert, quod nec bonum, nec male faciat. Quoniam Ordo sacramentum est non tam ad suscipientis, ut sacramentum pœnitentiæ, & cetera, quam ad aliorum salutem institutus. Communiter tum Patres, tum graviores Theologi docent, ex Religiosis longe plures damnari ob peccata omissionis quam ob crimina commissionis. Ordo assimilatur talentis, quæ *Matth.* xxv. servis dominus distribuit cum usuris exigendis. Servi inutiles in tenebras exteriores eiecti sunt, non ob defraudata talenta, quæ integra custodierunt, sed quod congruum lucrum non retulerint.

XIV. Quæst. V. *Quid sit spiritus ecclesiasticus, seu ingenium sacerdotale?* Resp. Est ardens studium promovendi gloriam Dei, & proximi salutem. Cuiuscumque artis spiritus seu ingenium situm est in flagranti studio assequendi finem in quem ars ipsa tendit. Ingenium artis militaris est præclara edere facinora, & summa animi contentione omnia eo collineare ut victoriam assequatur. Ingenium & spiritus artis negotiatoriæ est magnos quæstus facere, & vehemens desiderium ut talis taberna frequentetur. Quinam finis status sacerdotalis? Est, ut Dei nomen sanctificetur, ut eius notitiam, fidem, & legem Sacerdos promoveat, unde proximi salus pendet. Ad quid enim summus Sacerdos Christus missus fuit, nisi ut manifestaret nomen Patris sui hominibus, & sanctificaret eos in veritate? Huc ille vota, studia, & conatus suos omnes contulit. Hoc idem discipulis suis mandavit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum* &c. *Ioan.* xx. Distinguendus est exterior apparatus habitus clericalis a spiritu interiori qui vivificat statum istum. Cur imago, quantumvis omnia lineamenta exhibeat humanæ naturæ, non est homo? Quia deest

ſpiritus hominis. Modeſtia, manſuetudo, veſtitus forma, & cetera ſtatus clericalis inſignia picturam exprimunt eiuſdem ſtatus. Si ſpiritus proprius deeſt, Sacerdos æquivocus eſt; quemadmodum homo pictus non eſt homo. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*. Porro character ſacerdotalis non tam propriam quam aliorum ſalutem ſpectat. Ingenium & ſpiritus ſimplicis Chriſtiani ſibi ſtudet, ſibi invigilat, ſeipſum ſanctificat. Contra Sacerdos, quamvis externam Chriſtiani formam, & cæremonias obſervet, licet interſit divinis officiis, & alia munia obeat; ſi promovere Dei gloriam, & proximi ſalutem negligat, ſpiritu ſacerdotali caret.

XV. Diſtinguas tamen oportet Sacerdotes vitæ contemplativæ addictos, qui Deum glorificant ab humano commercio ſeiuncti, continuis ſacrificiis, proque ſalute proximorum ferventes iugeſque preces Deo fundunt, a Sacerdotibus qui vitæ activæ dant operam, atque in fidelium mores formandos divini verbi prædicatione, & ſacramentorum adminiſtratione incumbere aſtringuntur. Igitur cum finis ad quem ordo clericalis inſtitutus eſt, ſit gloria Dei, & populorum ſalus, conſequitur neceſſario illius ſpiritum & ingenium ſitum eſſe in flagranti ſtudio exequendi ea omnia quæ ad hunc finem comparandum ducunt. Ex hoc ardenti ſtudio, veluti ex uberrimo fonte, ea omnia promanant quæ ſunt ſtatus ſacerdotalis propria. Sacerdotes qui hoc ſpiritu aguntur, ardenti ſtudio flagrant ut domus Dei miniſteria ſancte adminiſtrentur: quia inde fidelium pietas, & devotio accenduntur. Non labori, non induſtriæ, non rei familiari parcunt, ut plebem gregemque univerſum ſibi commiſſum a vitiis abſterreant, a lupis, ovium veſtibus, ſeu falſarum doctrinarum fucis tectis, præſervent, & ad virtutis, & chriſtianæ legis obſervantiam inducant, provocent, inflamment. Spiritus & anima hominis chriſtiani eſt amor Dei & proximi, quatenus ipſe Chriſtianus animam ſuam hoc cæleſti amore ſanctificat excolitque. Ultra progreditur ſpiritus ſacerdotalis: quoniam iſtius amoris flammas ex ſuo inſtituto & charactere in fidelium cordibus accendit. Cum Chriſtus Petrum caput Eccleſiæ inſtituit, hunc amorem poſtulavit. *Diligis me plus his? . . Etiam Domine: tu ſcis quia amo te*. Quid inde? *Paſce agnos meos*. Ioan. XXI. Quamobrem S. Paulus continenter clamabat II. Cor. V. *Caritas Chriſti urget nos, ut qui vivunt, iam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt*: et rurſus cap. XII. *Non quæro veſtra, ſed vos: non enim debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis. Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris*. Spiritus inſitus matribus acerbiſſimos dolores ſuſtinet, ut pariant; moleſtias, tædia, faſtidia, ſollicitudines, laboreſque incredibiles ſtrenue perfert, ut editos partus nutriant, educent, perficiant. Conſidera amorem gallinæ erga pullos, & cuiuſcumqne matris erga filios. An Spiritus ſanctus vehementiorem amorem, & ſpiritum non inſuf-

flat

flat Sacerdotibus, ad fidelium curam & salutem destinatis? Ergo illi qui segnes sunt in Dei cultu, & gloria amplificanda, qui sustinere labores, fastidia, probra, maledicta, persecutiones refugiunt in curanda proximorum salute, spiritu sacerdotali vacui sunt.

XVI. Quæst. VI. *Quibus mediis comparatur spiritus ecclesiasticus?* Resp. Assignari quatuor solent. I. Præcedere Dei vocatio debet, tamquam primum fundamentum, ut docet Paulus I. Cor. VII. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* II. Abdicatio spiritus huius sæculi, idest voluptatum, concupiscentiæ, & cupiditatis. Spiritus ecclesiasticus nullo modo vivere aut cum concupiscentia carnis, illecebrarum, & oblectamentorum huius mundi; aut cum concupiscentia oculorum, spectantium comœdias theatrales, scenas, ludosque; aut cum concupiscentia divitiarum, honorum, & dignitatum potest. Hæ omnes radices præcidendæ, &, quoad fieri potest, evellendæ sunt, ut spiritus ecclesiasticus in anima vivat. III. Est iugis atque perseverans oratio, ut docet Evangelista Lucas cap. XI. *Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se.* Et Regius Propheta David *Psal.* CXVIII. inquit: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Ut hunc spiritum assequerentur discipuli, erant perseverantes in oratione, & ardentibus votis illum efflagitabant. S. Augustinus in præfatum Psalmum scribit: *Aperuit os petendo, quærendo, pulsando; & sitiens hausit spiritum bonum, unde faceret quod per seipsum facere non poterat.* IV. Adiumentum comparandi spiritum ecclesiasticum est consuetudo familiaris cum Clericis doctrina sana, pietate solida, morumque probitate florentibus. Hæc consuetudo, si animo sincero proficiendi in ecclesiastica disciplina, & excolendo sacerdotali ingenio fiat, uberrima pariet commoda. At cavendum ab hypocrisi est. Siquidem non desunt qui ambiunt, & omni astutia fovent familiarem consuetudinem cum Sacerdotibus doctrinæ & probitatis fama clarissimis, ut sua vitia obumbrent, ut auram popularem captent, ut viam sibi aperiant ad obtinenda horum patrocinio officia, & ministeria. At isti damnationem inde sibi arcessunt, unde alii spiritualia emolumenta sibi comparant. Verum, ut hos scopulos declines, consuetudo familiaris tua continua sit cum sanctissimis Clericis, & Episcopis, Petro, Paulo, Evangelistis, Patribus, Conciliisque. Hi enim spiritu Dei pleni te spiritum & disciplinam ecclesiasticam docebunt. Sedulo sacros codices, Patrum, & Concilii Tridentini volumina revolve, & serio meditare; & absque seductionis periculo spiritum sacerdotalem hauries.

CAPUT XI.

A quibus præsertim rebus abstinere Clerici debent ratione sui status. Laxæ P. Claudii La-Croix *opiniones refelluntur.*

I. PLura de vita & honestate Clericorum dicenda forent; sed paucis ea perstringam a quibus abstinere præcipue debent. Hæc omnia perstringit Concilium Mediolanense I. *cap.* XXVI. ubi hæc habentur. *Qui Deo militat, implicare se negotiis sæcularibus prohibetur. Idcirco edicimus, ne Clericus sacris initiatus, aut ecclesiastico beneficio præditus coram iudice sæculari advocati aut procuratoris nomine causas agat, nisi ab aliis in iudicium vocatus, suam, vel Ecclesiæ suæ, propinquorum etiam, si necesse erit, & miserabilium personarum causas, ab Episcopo facultate prius scripto concessa, tueatur.*

1. *Ne in profanis negotiis officium tabellionatus exerceat.*

2. *Ne artem medendi faciat.*

3. *Ne in negotiationibus & mercaturis se interpretem & medium interponat.*

4. *Artes vero honestas concedimus, ut aliquid manibus suis lucretur, quo sibi quæ ad victum necessaria sunt, comparare possit.*

5. *Ne aliena prædia lucri caussa conducat.*

6. *Ne aliorum tutelam aut curam suscipiat.*

7. *Ne pro aliis fideiubeat.*

8. *Ne alicuius Principis, aut alterius negotiorum procurator sit, sine facultate ab Episcopo prius per litteras impetrata, singulis annis renovanda. Neve parum memor ordinis, ac dignitatis suæ sit in famulatu laicorum etiam Principum, eorumque quibusvis aliis obsequiis, nisi cui ex causa, & ad officium sacerdotali munere non indignum Episcopus huius rei potestatem scripto ante fecerit.*

9. *Neve præcursor, aut assecla feminarum, aut eis discumbentibus assistat, aut ancilletur.*

Ut ab his ultimis verbis incipiam paucas quæstiunculas resolvam.

II. Quæst. I. *Peccant ne mortaliter Presbyteri sæculares qui laicis, qui matronis ancillantur?* Resp. Ut frequentissime dixi, mihi trutinæ casuisticæ non sunt ad ponderandam plurium criminum malitiam. Proposita quæstio varios admittere casus potest, in quibus aut necessitas, aut urgens convenientia vel a tanta, vel ab omni culpa excuset. Ceterum corruptela hodierna, qua Presbyteri laicis familiis inserviunt, & sub prætextu educandi liberos negotiis familiæ se se immiscent, dominabus inserviunt, manus Deo consecratas porrigunt, quibus mulier-

lierculas, quas matronas vocant, sustentent ambulantes, cum eis ludunt, iocantur: hæc, inquam, corruptela sacrilega & monstrosa est. Presbyteri isti dignitatem sacerdotalem deturpant, vilipendunt proprium characterem, profanant proprium gradum, & indignissimos Dei ministros se se produnt. Episcopi pectore sacerdotali deberent eos ab altari arcere, & a celebratione suspendere, & proculcatis humanis respectibus tam horrenda scandala a populo Dei auferre.

III. Quanta cautione Sacerdotes, & Confessarii declinare mulierum familiaritatem debeant, in præcedenti Tomo latius exposui. Christum Dominum, Sacerdotum exemplar, semel solum cum muliere Samaritana collocutum legimus. Discipuli autem admirati sunt, quod eam mulierem affaretur; cum numquam antea mulierem aliquam solam alloquentem vidissent. Hoc exemplo docere divinus Magister discipulos suos voluit, quanta cura & sollicitudine fugere mulierum familiaritatem debeant.

IV. Quæst. II. *Utrum negotiatio Clericis sit interdicta?* Resp. Negotiationem vere talem Clericis esse interdictam, omnes fatentur. *Nemo* (inquit Apostolus II. ad Timoth. 11.) *militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit*. Casuistæ plures excogitarunt opiniones, quas omnes more suo colligit P. Claudius La-Croix *Lib. III. part. 11. num. 997. & seq.* Et primo asserit, Clericum posse emere aliquid, ut consumat; & si postea pretium illius crescat, vendere potest, sperans se vilius empturum: *est enim actus œconomicæ prudentiæ*. Sub istius œconomicæ prudentiæ pallio reipsa Clerici negotiantur. Prudentia hæc œconomica & mundana filiis huius sæculi, seu laicis hominibus consentanea est, secus Sacerdotibus Deo militantibus.

V. Addit P. La-Croix ibi *num. 999.* ex *Manriquez*, *Delbene*, & aliis, teste Gobat, posse Presbyteros emere uvas, & vinum vendere; dummodo ipsimet, vel eorum familiares vinum exprimant. Advertit tamen, id negare *Molinam*, *Castropalaum*, *Lugo*, si fiat per famulos conductos. Similiter narrat, *Molinam*, & *Castropalaum* docere, illicitum Clericis esse emere lanam, ut conficiant pannos vendendos; immo illicitum hoc esse volunt, etiamsi panni conficiantur per servos conductos ex lana propriorum animalium. Tamen, subdit Croix, dubitat *Lugo* de hoc. Iure dicunt, hæc & similia commenta non inveniri in Patribus, & Conciliis.

VI. Pergit La-Croix ibidem *num.* 1000. texere censum opinionum Casuistarum. „ *Gobat num.* 10. putat in Germania licitum esse in Monasteriis per famulos ven„ dere vinum, & panem: id enim proprie non esse habere tabernam, aut nego„ tiari, sed sua vendere transeuntibus. “ Hanc corruptelam ipse propriis oculis vidi, ebriosque spectavi iuvenes inde discedentes. Illuc enim turmatim accurrunt, quia vinum est melius atque robustius. Vendere panem & vinum non est habe-

re

re tabernam, sed sua vendere transeuntibus, & ingredientibus Collegia, & Monasteria? Si tamen hoc vinum, & panem laici vendant transeuntibus, & ingredientibus, habent tabernam, nonne?

VII. *Mol. Laym. Castrop. num.* 4. dicunt illicitum esse Clerico (persequitur La-Croix) emere iumenta, ut ea pro pretio elocet: quia videtur esse quædam negotiatio: sed dubitat *Lugo num.* 34. quia emere potest domum, ut elocet.

VIII. Hac methodo tota fere contexta est Theologia casuistica P. La-Croix, quem *P. Franciscus Antonius Zaccaria* Casuistarum celeberrimum vocat: & mihi est potius opinionum contrariarum collector, qui lectoribus libertatem eligendi quam sibi placuerit opinionem passim relinquit. Hanc ego methodum, ut Pyrrhonismi casuistici speciem redolentem, reiiciendam existimo, salvo meliori iudicio. Sed, ut evidentius confirmem hanc criticen in opera P. La-Croixii, rescribo quæ ibidem *num.* 1004. *& seq.* infarcit. „ Quamvis *Mol. Rebel.* & alii cum „ *Castropal.* dicant Clericum peccare mortaliter, si per unicum actum negotietur „ in materia gravi; tamen putant aliqui probabilem esse sententiam *Caiet. Sa-* „ *las*, *Delbene* . . . & aliorum qui id negant. Et quoad negotiationem in mate- „ ria non gravi consentiunt omnes communiter cum Busemb. supra. Item plu- „ res apud Lugo num. 24. qui assentitur, *si negotiatio non sit in maxima sum-* „ *ma*. "

IX. Ecce distinctiunculam mediam, qua omnes Clerici negotiari valent, quin peccent mortaliter. Distingue negotiationem *maximam* a negotiatione *magna*, & *ordinaria*. Clerici negotiationem *maximam* exercere nequeunt, *magnam*, aut *ordinariam* possunt. Sed persequamur opinionum collectionem.

X. Persequitur P. La-Croix ibi *num.* 1005. „ Si Clericus negotietur per alium: „ v. g. si pecuniam exponat, alius autem industriam: multi apud *Lugo num. 36.* „ dicunt, esse illicitum. *Med. Arm. Mol. Rebel.* aliique communiter cum *Laym* „ *num.* 40. cum *Castrop. num.* 7. dicunt non esse *saltem mortale*; veniale tamen „ esse docent *Mald. & Mol.* quibus consentit *Bebel*, si per seipsum rationes dati „ & accepti exigat. *Turr.* dicit per se loquendo, & ratione prohibitionis ne qui- „ dem esse veniale, & consentit *Lugo*, addens tamen posse esse veniale, aut et- „ iam mortale, si Clericus se simul parum aut nimium tali negotiationi impli- „ cet. *Less. num. 6.* merito dicit id indecorum esse, nec faciendum absque iusta „ caussa. "

XI. Hæc est methodus quam in universa sua Theologia servat Doctor iste. Et hæc est ratio cur collectio harum opinionum adeo libenter ematur, & facile distrahatur. Nulla enim Moralis commodior hominibus, quibus variæ & contrariæ opiniones, veluti varia fercula pro cuiusque palati diversitate, exhibentur. Dicet ne *P. Zaccaria*, sincere a me non describi collectionem P. La-Croixii? Ro-

go

go lectores omnes ut legant Auctorem istum ; & manibus tangent veram esse meam in eumdem criticen.

XII. Conferant hunc opinandi modum cum doctrina Scripturarum, Patrum, & Conciliorum, quam supra hactenus tradidi; & iudicent, an non verum sit quod alias dixi, & repetendum sæpius est, documenta Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & Canonum inflammare ad spiritum sacerdotalem; e contrario hæc pugnantium opinionum prælia non accendere, sed frigefacere potius, & veluti extinguere spiritum illum quo Sacerdotes toti incumbere in gloriam Dei, & proximorum salutem procurandam debent. Quid? Negotiari Sacerdotes non per se, sed per alios valent? Et hoc non est tot sacrorum canonum legem circumvenire? Exponant Sacerdotes pecuniam, alii industriam; & *Turrianus* dicit, per se loquendo nullam, ne quidem venialem, intervenire culpam, & consentit *Lugo*. Contractus *societatis* in laicis est mercatura, secus in Sacerdotibus. Hoc negotiationis genus non est illis prohibitum, ut cum *Laym. Castropal.* aliisque communiter docent; quamvis multi apud *Lugo* oppositum adfirment. Ab his opinionum præliis cavete vobis, o Confessarii, o Sacerdotes Christi, & firmiter adhærescite Scripturis divinis, SS. Patribus, & Conciliis, quæ Dei Sacerdotibus omne mercimonium severe prohibent.

XIII. Quæst. III. *An quælibet venatio sit Clericis vetita?* Resp. Canone *Episcopum* extr. de Clerico venatore hæc præscribuntur. *Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, canes, aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione; si Presbyter, duobus; si Diaconus, ab omni officio suspendatur.* Et alter canon sub eodem titulo hæc continet. *Omnibus servis Dei venationes & silvaticas vagationes cum canibus, & accipitribus, & falconibus interdicimus.* S. Hieronymus in Psal. xc. *Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem; piscatores invenimus sanctos.* Concilium Aquileiense anno 1596. celebratum tit. IX. *Dicit Canon: Esau venator erat, quia peccator erat. Quam vero sit modestia clericali indignum, qui paullo ante Breviarium tractabat, & sacræ lectionis studio intendebat, eum publice accipitrem deferre, & sua in eo studia profiteri: quique cum Angelis in Ecclesia gratiarum actiones, & laudes Deo persolvebat, eum inter canum latratus, & multitudinem versari, & incomptis obstrepere vocibus: sacri canones declarant, omnes vero facile intelligunt... Quod ut longe a Clericorum vita & honestate removeamus, omnibus Clericis, cuiuscumque conditionis, & gradus sint, venatorium studium interdicimus, ac in eos gravius per illorum Ordinarios procedendum statuimus.*

XIV. Plurimos alios canones transmitto, cum res natura sua prodat indecentiam

tiam cum ſtatu clericali. Venationes autem Clericis illicitæ, ſunt clamoſæ, nempe cum canibus, avibus, & armis, puta ſclopis, peractæ. Quietæ quæ fiunt ſine canibus, avibus, & ſclopis, ſeu armis, ſed ſolis retibus, aut laqueis, licitæ ſunt; ut colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* xxiv. *cap.* xii.

XV. P. Claudius La-Croix *Lib. IV. num.* 1374. inquit: „ Prohibitiones illæ nunc „ ita mitigatæ ſunt, ut ſi recreationis cauſa fiat ſine *magno clamore*, ſcandalo, „ vel contemptu, non facile peccetur mortaliter. *Nav. Mol. Turr. Lugo*, *Illſ.* „ Addunt *Suar. Sa*, *Caſtrop.* etiam a veniali excuſari, ſi venatio ſit rara, & mo„ derata, & ad reficiendas vires.

„ Num. 1376. *Dicaſt. num.* 300. putat venationem etiam cum apparatu, & cla„ moſam non prohiberi Clericis, niſi fiat frequenter, & addit cum *Caiet. Nav.* „ *Silv. Bann. Molin. Tur. Dian.* . . licet fiat frequenter, non audere ſe damnare „ mortalis, ſi ex recreatione fiat: & ſi mortale ſit, cum *Rebel. Leſſ.* id eſſe ra„ tione ſcandali. "

XVI. Concilia condunt canones, reformare collapſam, aut conſervare vigentem diſciplinam ſtudent. Caſuiſtæ plures canones vanis ſuis commentis emolliunt, temperant, & temporis diuturnitate aut obſoleſcere, aut non obligare ſub mortali, immo ſæpe neque ſub veniali, docent. Venationes cum clamore vetitæ Clericis ſunt: P. La-Croix adiicit verbulum cum *magno clamore*, & ſic canones evaneſcunt. Quia quiſque arbitrio ſuo metitur *clamoris magnitudinem*, & omnes dicunt clamorem non eſſe *magnum*. Similiter omnes dicunt mercaturam non eſſe *maximam*, ſed vel parvam, vel mediocrem.

XVII. Quæſt. IV. *An plures Caſuiſtæ in cauſſa ſint cur ſacri canones non ſerventur?* Reſp. Recenſita commenta, & alia plurima, quæ in hoc opere refutavi, me coegerunt proponere ſapientibus deſcriptum quæſitum. Reſolutionem dare ipſe nolo. Quid reſolvendum ſit, colligant ipſi cordati prudenteſque lectores. Profecto ſi omnes Caſuiſtæ unanimi conſenſu, miſſis vanis diſtinctiunculis, ſacrorum canonum de vita & honeſtate Clericorum obſervantiam promoverent, & inculcarent, gravi oratione, divinis Scripturis adiectis, diſciplina eccleſiaſtica, & monaſtica refloreret. At quomodo reflorere poteſt, ſi Clerici legentes Caſuiſtas non paucos, vident ad eorum pravam conſuetudinem deflexos & mitigatos canones? Rem ſapientum iudicio ſubmitto. Omnes clamant: Si Confeſſarii concordes eſſent in adminiſtrando pœnitentiæ ſacramento, ingens profectus in populo Dei videretur. At quomodo concordes eſſe Confeſſarii poſſunt, ſi diſcordes, & diſſonantes ſunt magiſtri quos legunt?

XVIII. Quæſt. V. *Vetiti ne ſunt Clericis ludi alearum?* Reſp. Non modo antiqui, verum etiam moderni canones vetant Clericis ludos aleatorios, nempe omnes ludos fortunæ, ſeu ſortis. Miſſis pluribus antiquis Conciliis, Lateranenſe IV. ſub

sub Innocentio III. *can.* XXVI. inquit: *Clerici ad aleas, & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint*. Glossa plura adiicit, & citat Novellam CXXIII. cap. X. ubi hæc habentur. *Interdicimus autem sanctissimis Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, Lectoribus, & omnibus aliis .... ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes, aut inspectores fieri, aut ad quodlibet spectaculorum spectandi gratia venire*. Concilium Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* I. *de refor.* inter plura quæ de vita & honestate Clericorum præscribit, hæc inculcat. *Statuit sancta Synodus ut quæ alias a summis Pontificibus, & a sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, ALEIS, LUSIBUS, ac quibuscumque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem inposterum iisdem pœnis, vel maioribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat*.

XIX. P. Claudius La-Croix *Lib. IV. num.* 1378. refert *Salas, Mol. Rebel. Azor. Castrop.* interpretantes prohiberi consuetudinem ludendi, minime vero *una aut altera vice*. „ Immo (subdit) consuetudinem ludendi, si non fiat ob lucrum, „ sed recreationis caussa excusant a mortali *Sa, Valent.* quamvis contrarium te- „ neant *Salas, & Castrop.* putatque Salas prohibitionem horum lusuum non ex- „ tendi ad Religiosos laicos, quia textus tantum habet de Clericis; sed commu- „ nis opinio cum *Nav. Suar. Valent. Castrop.* & aliis tenent oppositum. “

XX. En mitigatos, & temperatos canones, & apertam viam Clericis ludis aleatoriis indulgendi. Legunt isti La-Croixium, aliosque citatos Auctores. Incipiunt istorum auctoritate fulti una aut altera vice ludere. Ex repetitis vicibus fit consuetudo, & tunc patrocinantibus *Sa, & Valent.* dicunt, se ludere, non ob lucrum, sed recreationis caussa. Tandem cum *Salas* tenent, hanc consuetudinem ludendi non extendi ad Religiosos laicos. Auctores citati sunt classici, ideoque efficiunt sententiam probabilem. Sed tu, lector, missis eiusmodi commentis, in Conciliorum, & maxime Tridentini, doctrinam animum sereno intendito, & a ludis omnino abstine: immo caveas ne una aut altera vice ludas: quia si inceperis, sensim sine sensu consuetudine te irretitum invenies. Lubet in sanæ doctrinæ confirmationem adducere Concilii Mediolanensis I. *part.* II. *tit. de Clericis* verba. *Clericalis Ordinis hominibus omne genus saltationis, & ludi, præsertim vero aleæ, & tesserarum, ac talorum interdicimus. Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur; item follis ludum, idest pilæ maioris. Nec solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus suis permittere. Si autem valetudinis causa parva pila, aut alio non indecoro eiusmodi exercitationis genere uti contigerit; neq publice id faciant, nec pecunia intercedat ... in ludo, nec quidquam quod facile pecunia æstimari possit*. Plurima alia Con-

Concilia provincialia post Tridentinum celebrata similia docent. Sed eo malorum modus opinandi ætate nostra recidit, ut Clerici, missis Conciliis, adeant aliquem Casuistam, ut ibi commenta inveniant quibus conscientiæ morsus obtundant. Sed sciant, sanctos Episcopos in Conciliis congregatos, Dei lumine perfusos fuisse, & Clericorum, ac Christianorum esse magistros; minime Casuistas illos qui ab horum Conciliorum sana doctrina recedunt.

XXI. Quæst. VI. *Peccant ne mortaliter Clerici qui dimisso, aut occultato habitu clericali, larvati in publicum prodeunt?* Resp. Affirmant communiter omnes vel ipsi benigniores Probabilistæ, uno excepto Marco Vidal, cuius opus proscriptum est. Vix aliquem Theologum alicuius auctoritatis reperies qui Clericos tempore bacchanaliorum larvatos incedentes excuset a peccato mortali. Audi unum Dianam, qui *Tom. VII. tract.* v. *res. 6.* quærit: *An Clerici, incedentes per civitatem in diebus bacchanalibus personati, peccent mortaliter? Puto non esse recedendum a communi sententia Doctorum, nempe in tali casu Clericos sæculares, & regulares peccatum mortale committere.* Fusius hanc quæstionem dispexi in *Disciplina Apostolico-monastica append.* III. Eam forsitan iterum confirmabo in *dissert. de ludis theatralibus*, quam prælo paratam habeo. Interim sciant, Clericis nullam occurrere opinionem vel leviter probabilem quæ eos eximat a peccato mortali, si personati per civitatem discurrant. Gravius peccarent, si personati interessent theatris, comœdiis, choreis. Abstinere quoque Clerici debent a crapula, & ebrietate, potiori iure quam ceteri Christiani. Plura dicenda adhuc essent de vita & honestate Clericorum; sed brevitatis servandæ necessitas non sinit. Huic itaque dissertationi finem impono verbis piissimi Cardinalis Bellarmini *Lib. II. de gemitu columbæ cap.* v. concludentis. *Ex facilitate manus imponendi factum est ut hoc tempore sit prope infinita turba Clericorum, quorum plurimi non aspirant ad sacros Ordines, ut sit Dominus pars eorum, sed vel ut subtrahant se a foro sæculari, vel ut subsidium quærant vitæ temporalis, vel ut ad honores ecclesiasticos aliquando conscendant.* Difficiles sint Episcopi in manibus imponendis, fictitia patrimonia reiiciant, non ordinent nisi quot sunt Ecclesiæ aut utiles, aut necessarii: & continuo reformata est disciplina clericalis.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE SIMONIA.

CAPUT I.

Simoniæ notio, eiusque variæ species.

I. SImonia a Simone mago, de quo *Act.* VIII. habetur sermo, suam denominationem accepit. Quamvis enim plures in veteri testamento hoc sacrilego vitio polluti fuerint; ut Esau, qui vendidit primogenituram, cui erat sacerdotale ministerium annexum; & Giezi, qui a Nahamano, precibus Elisei lepra mundato, mercedem obtinuit; & Balaam, qui sancta vendere Regi Balac studuit: tamen in lege evangelica Simon magus primus omnium tantum scelus patravit.

II. Communis simoniæ finitio ex S. Thoma 2. 2. *quæst.* c. *art.* 1. hæc est: *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Prima particula *studiosa voluntas* significat deliberatam voluntatis actionem. Altera, *emendi vel vendendi*, præfert, inquit S. Thomas *loc. cit. ad* 1. omne contractum onerosum, & non gratuitum, quo res spiritualis aliquo pretio temporali, seu aliqua re pretio æstimabili emitur, aut venditur, locatur, permutatur, transfigitur &c. Ultimæ particulæ, *aliquid spirituale, vel spirituali annexum*, significant aliquid a Deo auctore supernaturali proficiscens, aut ad Deum salutis æternæ auctorem directum. Hoc autem spirituale triplex est, pergit S. Thomas ibidem *art.* 2. & 3. Aliud in se ut gratia, iurisdictio, virtutes infusæ, dona Spiritus sancti, gratiæ gratis datæ, operatio miraculorum, interpretatio sermonum &c. Aliud est spirituale efficiens, quatenus, licet in se sit quid corporeum, efficit tamen supernaturale, seu spirituale; ut omnia sacramenta, quæ sunt gratiæ, & aliorum donorum quæ illam consequuntur, caussa. Tertium est spirituale effectum, seu productum a caussa spirituali, ut sanitas per gratiam miraculorum producta, dispensationes in votis, iuramentis, absolutio a censuris, & alii actus iurisdictionis spiritualis, preces fundere, cantare in choro, mortuos sepelire &c. *Vel spirituali annexum*: quod duplici modo evenit: aut quia antecedenter coniungitur cum spirituali, ut sunt beneficia ecclesiastica, quæ supponunt Ordinem clericalem, obligationem ad officium divinum, quæ in titulo spirituali fundantur; aut quia rem spiritualem comitatur, vel consequitur, vel ad rem spiritualem ordinatur, ut sunt vestes sacræ, vasa sacra, templa, reliquiæ Sanctorum, iuspatronatus præsentandi ad beneficia. Hæc omnia significant aut rem sacram, seu spiritualem, vel aliquid *rei spirituali annexum*.

III. Si-

III. Simonia duplex. Alia iuris naturalis, & divini; alia iuris ecclesiastici. Prima natura sua mala est; altera mala, quia prohibita. Simonia iure naturali & divino prohibita est, dum quæ ex se spiritualia sunt, aut spiritualibus annexa, ut gratiæ, sacramenta, iurisdictio ecclesiastica, dona, virtutes &c. venduntur, aut emuntur. Simonia iuris ecclesiastici est permutatio, vel resignatio beneficiorum. Quamvis enim beneficia spiritualia ex se sint; tamen, cum non venduntur, aut permutantur pro re temporali, non intervenit simonia iure divino prohibita; ut si fiat permutatio beneficii pro beneficio, seu rei spiritualis pro spirituali. Est tamen simonia ecclesiastici iuris: quia Ecclesia iustis de causis talem permutationem, ut simoniacam prohibuit, nisi consulta Sede Apostolica fiat; ut habetur cap. *Quæsitum*, & cap. *Olim*, de rerum permut. Simonia quoque iuris ecclesiastici est emptio, vel venditio quorumdam officiorum temporalium Ecclesiæ, ut Sacristæ, Procuratoris, OEconomi &c.

IV. Disputant Theologi, qua ratione possit dari simonia solo iure ecclesiastico? Durandus, Victoria, Rodriguez negant, dari simoniam solo iure ecclesiastico. Quoniam, inquiunt, Ecclesia efficere nequit ut id quod natura sua sacrum & spirituale non est, fiat tale. Communis tamen sententia Canonistarum, & Theologorum defendit, præfatam simoniam, iure ecclesiastico vetitam, esse proprie & vere simoniam. Utique Ecclesia nequit efficere ut res in se non sacra, fiat in se sacra, nisi benedictio accedat. Verum potest Ecclesia statuere sua lege ut res aliqua sit intra aliquam virtutem religionis, ordinemque habeat ad rem sacram: Qua lege, aut præcepto posito, violari lex nequit, nisi simul dignitas rei sacræ violetur. Nam hoc ipso quod ex religionis motivo res aliqua prohibeatur, ad materiam religionis ciusmodi res pertinet. Ergo qui prohibitionem transgreditur, vendendo, aut emendo rem ad religionem attinentem, simoniam proprie & vere talem perpetrat. Heinc dum Ecclesia prohibet extrahi furem e loco sacro, facit ut violenta extractio sit sacrilegium, & templi profanatio. Adversæ itaque sententiæ argumentatio seipsa corruit. Quoniam licet officia Ecclesiæ, & alia quæ indicavi, non fiant intrinsecus de non sacris sacra; fiunt tamen extrinsecus sacra, quatenus subsunt præcepto ex religionis motivo.

V. Dividitur ulterius simonia in *mentalem*, *conventionalem*, *realem*, & *confidentialem*. *Mentalis* est quæ intra mentem sistit, omni pacto, & conventione exteriore sublata. Hæc simonia dupliciter contingere potest. 1. Quando quis nudo interno proposito deliberat simoniam committere. 2. Quando exterius aliquod munus ab obsequio, a manu, a lingua quis offert prava intentione accipiendi aliquid spirituale medio illo munere, tamquam pretio, quin tamen extrinsecus nec explicite, nec implicite indicet, se munera ista præstare tamquam pretium rei spiritualis. *Conventionalis*, quæ mentalem supponit, & ex illa oritur, est expressa, vel tacita

cita conventio dandi temporale pro spirituali, aut contra; sed ex neutra parte executioni mandatur, aut tantum ex una. *Realis* utramque consequitur; & executioni demandatur aut in partem, aut in totum quod animo conceptum, & exterius conventum erat. *Confidentialis* est, cum quis beneficium procurat, eligendo, præsentando, resignando, aut alia via, cum confidentia, seu pacto expresso, vel tacito, ut is cui procuratur, resignet vel procuranti, vel alteri, aut ut pensionem, vel fructus ex eo reddat.

VI. Disputant Auctores, num, ut simonia conventionalis transeat in realem, requiratur utrinsque rei & spiritualis, & temporalis traditio; an sufficiat traditio rei spiritualis, licet pretium non tradatur, sed differatur, & forte etiam numquam sit tradendum? Layman, Diana, Lopez, & alii contendunt, ad simoniam realem requiri ut ex utraque parte contractus impleatur.

VII. Sententia mihi vera defendit, simoniam realem committi traditione rei spiritualis, licet pactum pretium differatur. Nam alii contractus perficiuntur sola traditione rei venalis, quamvis pretium non numeretur. Hanc sententiam defendunt Caietanus *opusc. de sim. quæst.* 11. Soto *Lib. IX. de iust. quæst.* VIII. *art.* 1. Toletus *Lib. V. cap.* XCIII. Aravius *disp.* XVI. *part.* II. *art.* 2. Salmanticenses *tract.* XIX. *cap.* 1. *punct.* 2. *num.* 18. & alii.

VIII. Quæst. I. *Utrum fictus simoniacus veram simoniam committat?* Resp. Fictus simoniacus est qui pretium promittit pro beneficio, animo non se obligandi, neque tradendi illud. Hunc gravissime peccare adfirmant omnes, tum quod opus externum simoniacum efficeret, & gravissimum mendacium perpetraret; tum quod in alterius simoniam concurreret, & influeret, pœnisque in foro exteriori contra simoniacos latis obnoxius esset. Ceterum simoniam formalem & veram hunc non incurrere, docent Salmanticenses *loc. cit. num.* 19. & citant *Lessium*, *Caietanum*, *Reginaldum*, *Villalobosium*, *Laymanum*, *Escobarium*, *Moyam*, *Ledesmam*, *Valentiam*. Huic sententiæ subscribit etiam P. Billuart *diss.* 11. *art.* 3. Quoniam, inquiunt, hæc non est simonia mentalis, cum desit animus. Ergo neque conventionalis, aut realis, cum hæ duæ supponant mentalem. Adduntque simoniam non occurrere, etiamsi fictus promissor iuramento, aut instrumento velle se obligare ostendat: quia omnia ficta, & non ex animo facta, nulla sunt. Heinc concludunt, posse hunc fictum simoniacum retinere beneficium obtentum a legitimo collatore.

IX. Hæc sententia mihi non probatur. Distinguenda sunt ea quæ a voluntate & intentione humana suam recipiunt determinationem, ut sunt sacramenta, ab iis quæ suam determinatam naturam habent. Cum enim v. g. ablutio indifferens sit ad naturalem, & sacramentalem ablutionem, ut ad sacram determinetur, necessaria est baptizantis intentio. Alia vero quæ suam determinatam speciem habent, ab intentione interna operantis non pendent. Externa & realis conventio tradendi

pretium pro beneficio, seu re spirituali, & realis traditio rei spiritualis, ita simoniam constituunt, ut non pendeant ab interiore contrahentis voluntate. Exterior promissio dandi pretium, iuramento firmata, est voluntas externa efficax, quæ collidit & deprimit contrariam interiorem voluntatem. Duæ in hoc promissore sunt voluntates: altera, quæ foras erumpit & promittit, & promissionem iuramento, vel instrumento confirmat; altera interior, quæ excludit obligationem. Exterior prævalet, dominatur, & superat interiorem. Ergo hæc voluntas promittendi est efficax, effectumque exteriorem parit. Ergo in hoc conflictu deprimit interiorem voluntatem non se obligandi.

X. Accedit quod sententia quam oppugno, aperit viam latissimam obtinendi, & retinendi beneficia his fictis simoniis, reiecta simonia reali, utpote incommoda. Quisque promittet collatori pretium cum animo se non obligandi, neque illud tradendi. Obtinet beneficium hac ficta promissione. Obtentum beneficium retinere potest, & simul pecuniam, seu pretium promissum, iuxta adversarios. Hæc est simonia eo sceleratior, quo commodior.

XI. Oppugnatur alio ex capite præfata opinio. Si promissor fictus exhiberet adulterinam, fictamque pecuniam, non ne veram simoniam patraret? Ais. Et tamen reale pretium non intervenit. Falsum, repones. Adulterina enim pecunia semper aliquid temporalis pretii continet, quod sat est ut sit simonia vera & realis. Recte & bene. Sed etiam externa promissio quid reale est, & onus temporale, vi cuius in foro exteriori plecti, ut simoniacus, fictus promissor potest. Ergo aliquid pretii exhibet fictus promissor, vi cuius obtinet beneficium. Respondent Salmanticenses, non esse veram simoniam, quia deficit vera intentio commutandi. Sed responsio futilis est, ut patet ex dictis. Scelera quæ natura sua talia sunt, non exuunt, nec accipiunt malitiam ab intentione peccantium. Communiter simoniæ conventionalis, & realis supponunt simoniam mentalem; sicuti communiter adulterium, fornicatio, & cetera vitia supponunt animum adulterum, fornicatorem, furem &c. Ceterum si versutus peccator intentionem contrariam concipiat, non propterea vitia suam iniquitatem amittunt. Utique simonia est *studiosa voluntas* &c. voluntas, inquam, commutandi, conveniendi, promittendi, non tamen semper se obligandi, & dandi pretium. Reponunt veram fore simoniam, si collator acciperet fictam promissionem pro pretio; at illam non accipit: ideo non est vera simonia. Hæc responsio non est præcedenti melior, immo futilior apparet. Utique collator beneficii non accipit promissionem ut fictam, sed fictam promissionem accipit, putans esse veram, sicut accipit aureos adulterinos existimans esse genuinos. Quibus omnibus serio expensis, sententia Salmanticensium, & aliorum plurium quos citant, mihi videtur falsa, & a praxi omnino ableganda. Potiori iure simoniam committunt qui temporale pro spirituali spondent: quoniam non solum datio, sed etiam promissio prohibita est.

XII.

XII. Quæst. II. *An simonia excipiat materiæ parvitatem?* Resp. Simoniam esse gravissimum scelus fatentur omnes contra ius naturale, & divinum, & Ecclesiæ perniciosissimum: quia truculenta bestia est, ambitione, & avaritia parta, omniaque perturbat, & profanat. Communis sententia est, simoniam ob materiæ parvitatem non esse a peccato mortali immunem: quandoquidem vel parvitas materiæ se tenet ex parte pretii; & tunc gravius dignitas rei sacræ contemnitur, cum, ut Esau, propter lenticulam vendatur, aut ematur res spiritualis: aut se tenet ex parte rei spiritualis; & hæc, quantumvis in se parva sit, dum venalis sit, gravem patitur iniuriam.

CAPUT II.

De iis quæ pretii rationem habere possunt in simonia.

I. NOtum est tria habere pretii rationem in simonia, munus *ab obsequio*, *a manu*, *a lingua*. Munus *ab obsequio* est subiectio oblata, quæ multis modis præstari potest illi a quo speratur res spiritualis; ut eidem inservire, assistere, eum comitari, instruere, docere, eiusdem caussam promovere. Munus *a manu* est pecunia, & quidquid nomine pecuniæ venit, sive tradita, sive promissa. Munus *a lingua* est favor, laus, elogia, preces, supplicationes, adulationes, intercessiones, & alia eiusmodi. Licet munus præferat quid gratuitum & liberale; hic tamen locum pretii debiti tenet.

II. Quæst. I. *An semper in munere a manu, a lingua, ab obsequio committatur simonia?* Resp. Generalis & præcisa regula designari nequit. Certum est quod si hæc tria munera, aut unum eorum offeratur tamquam pretium, seu hac intentione obtinendi, vel conferendi beneficium spirituale, committi simoniam. De munere a lingua hæc docet S. Thomas 2. 2. quæst. c. art. 5. ad 3. *Munus a lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere qui preces pro indigno porrectas exaudit. Unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum: quia subest debita causa, ex qua illi pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur. Tamen potest esse simonia in intentione, si non intendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus: & sic preces sunt pro indigno. Licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium ecclesiasticum petere sine cura animarum.* Et quia hæc tria munera, & quodlibet horum

 quan-

quandoque pretii, quandoque muneris gratuiti habere rationem possunt; ideo spectandæ sunt circumstantiæ, & dantis, accipientisque intentiones. Pecuniæ traditio, vel promissio rarissime muneris gratuiti rationem habet. Si Episcopus beneficium conferat ministris ob servitia præstita, vel præstanda absque salario, communiter simoniam committit, etiam si nullum interveniat pactum. Quoniam factum loquitur, & locum pacti obtinet. Congrua stipendia præbeant ministris suis Episcopi, ut a simoniæ labe immunes sint. Prætextus quos allegare Episcopi solent, videlicet ministros in curia retinere, ut illorum indolem, mores, & aptitudinem explorent, sunt simoniæ velamina: quoniam si hic est eorum finis, stipendium ergo præbeant, ut libere possint absque beneficio dimittere, si deprehenderint eos ineptos. Verum quando iisdem annuum salarium non confertur, omnes apparent docti, morati, & apti, licet trunci sint, & dissoluti, vel hypocritæ. Simoniam committit Episcopus, si promittat alicui beneficium, ut coram Principe, Rege, Iudice illum laudet; aut si beneficium dare nolit, nisi aliqui magnates, vel etiam matronæ intercedant, supplicentque, ut hac via sibi devinciat magnates, Principes, matronas, a quibus Episcopus aliquid sperat.

III. Communiter Auctores dicunt, quod munera a lingua, & ab obsequio, si sint gratuita, non inferant collationem beneficii esse simoniacam: quod verum habet. At perquam raro gratuita, & mera animi ingenui testimonia sunt. Sæpissime mentitur iniquitas sibi, & homines seipsos frequenter decipiunt; iactantque se exhibere gratuita munera illo ipso tempore quo reipsa pretia offerunt, ut emant. Communiter obsequia, laudes, præconia, supplices preces sunt luculenta indignitatis & ineptitudinis candidatorum ad beneficia argumenta. Qui digni sunt, his muneribus neque gratuitis, neque debitis indigent. Immo quo digniores sunt, eo ab his donis & linguæ, & obsequii abstinent. Facillime distinguunt Theologi *principaliter*, & *minus principaliter* offerre. Quæ distinctio vera absolute est; at in praxi hæc confinia distinctionis *minus principaliter*, *secundario*, *principaliter*, *primario*, latent; & versutus animus se se transformat, larvamque mutat. Quare tam candidati, quam collatores beneficiorum prorsus ab eiusmodi muneribus abstineant, & quam longissime absint. Altius infixa animo sit S. Thomæ doctrina. *Si aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus: & sic preces sunt pro indigno.* Quod autem ipse candidatus pro se roget, vel rogare faciat, perinde est.

IV. Quæst. II. *An inter munera a manu sit numerandum mutuum?* Resp. Quis confert beneficium sub conditione pecuniæ mutuandæ, ut nempe quis mutuam det pecuniam sub pacto obtinendi beneficium. Adfirmant omnes, simoniam committi, si alterutri parti obligatio mutuandi, aut conferendi beneficii ratione mutui tradendi imponatur; cum talis obligatio sit pretio æstimabilis. Similiter si mutuum ex

ex pacto vel conventione tradatur ob finem assequendæ rei spiritualis, simonia proculdubio est. Plures Casuistæ contendunt, non esse simoniam conferre beneficium sub conditione mutui tradendi, vel e contrario; sicuti, inquiunt, non est usura mutuum dare sub pacto ut alter remutuet. Sic docent Diana, Sanchez, & alii. Sed hæc sunt casuistica commenta. Quin isti & mutui gratuiti legem violant, & simoniam perpetrant.

V. Quæst. III. *Qui titulo consanguinitatis vel affinitatis beneficia confert, committit ne simoniam?* Resp. Hunc gravissime peccare, & quidem contra iustitiam, si consanguineum præferat digniori, docet communis & vera sententia. Ceterum simoniam non committit, quia nullum pretium intervenit; ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. c. art. 5. ad 2. *Quod si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio; non tamen simoniaca: quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis det beneficium ecclesiasticum alicui hoc pacto vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia.*

VI. Simoniam perpetrat Episcopus, si conveniat de pensione sibi, aut alteri solvenda, ut conferat beneficium, si alias pensionem non fuisset impositurus. Simoniæ quoque rei sunt candidati, qui in Romana Curia pensionem solvendam, aut aliquid aliud pretio æstimabile spondent aulicis, aut aliis quibuslibet, ut auxilium, favoremve præbeant ad beneficium obtinendum.

VII. Si parentes filiis munera promittant, ut sacramenta frequentent; si Christianus infidelem donis alliciat ad baptisma suscipiendum; si Catholicus nuptias futuras promittat mulieri hæreticæ, si catholicam fidem susceperit; si quis puellæ promittat dotem, dummodo Religionem ingressa fuerit: in his casibus nulla committitur simonia, cum eiusmodi dona nullam imponant obligationem, & omnia sint in bonum spirituale eiusdem promissarii. Nulla tamen obligatio promissariis imponenda est. Nihil quoque exigendum est in commodum donatoris.

VIII. Quæst. IV. *Simoniam ne perpetrat qui beneficium confert, vel aliud spirituale cum pacto ut beneficiarius aliquod onus subeat?* Resp. Si onus sit beneficio annexum, nulla est simonia. Quare si beneficio sit annexum onus docendi, legendi, cantandi, nulla est simonia conferre beneficia eiusmodi cum debito implendi præfata onera. Immo potest Episcopus onera in utilitatem Ecclesiæ, puta cantandi, docendi, promovendi Ecclesiæ negotia, adiicere beneficio, & cum pacto eadem implendi conferre: tunc enim nulla est conventio inter dantem, & accipientem. Disputatur solum, num ipsi recipienti beneficium onus personale, nullo modo beneficio annexum, imponi absque simonia possit. Adfirmat Sanchez cum aliis, si onus quod imponitur, sit spirituale. At communis, & vera sententia negat. Quam-

quam enim in ipsis rebus spiritualibus licita commutatio sit; ut si tu tot Missas hoc mense applices iuxta mentem Sempronii, cum pacto, & onere, ut totidem ille pro te applicet altero mense; tamen in beneficiis omnis conventio & pactio facta cum illo qui beneficium accipit, prohibita est; quamvis sit de re spirituali absque licentia Romani Pontificis. Quare simonia est renuntiare, vel commutare beneficia, quibuscumque conditionibus, pactionibus, modisque adiectis. Quoniam Ecclesia hæc omnia prohibet. Hinc simonia est renuntiare beneficium in favorem alicuius, ut ille vicissim renuntiet in favorem alterius. Et ne otio abutar in pluribus recensendis casibus, omnes pactiones in beneficiis conferendis, permutandis, renuntiandisve Ecclesia severe prohibet.

IX. Conveniunt duo inter se ut unus resignet beneficium in favorem alterius hac conditione ut consentiat pensioni imponendæ de Papæ licentia: & ut facilius impetrent a Papa imponendæ pensionis facultatem, augent beneficii reditus, seu exprimunt maiorem quam reipsa sit beneficii valorem. Isti simoniæ rei sunt; & facultas impetrata est subreptitia. Similiter simoniæ rei sunt qui permutant, aut renuntiant beneficium cum pensione ex licentia Papæ, sed adiecta conditione, ut renuntiatarius solvat Bullas pensionis. Simoniam quoque committeret qui conferret beneficium curatum cum onere, ut beneficium quod habet, libere resignet: quia apponeret conditionem in collatione beneficii, quæ de iure non est, ut docent Salmanticenses *loc. cit. num.* 48.

X. Quæst. V. *Committeret ne simoniam qui pecunias daret non collatori beneficii, sed intercessori, mediatori, ministro, famulo, alterive personæ, ut preces funderet apud Episcopum, ut ab eo beneficium obtineret?* Resp. Pallio laboris, lucri amissi in negotiatione, recompensationis damni tegi sæpe solent eiusmodi simoniacæ pactiones. Ab eiusmodi donationibus omnino abstinendum est. Quod enim traditur eiusmodi ministris, & intercessoribus, plurimum superat eorum industriam. Quo enim pinguius est beneficium, eo opulentiora esse solent dona: quod argumento est, non laboris, sed intercessionis & favoris ratione exhiberi. *Lessius*, *Sanchez*, *Castropalaus*, & alii Probabilistæ facile admittunt eiusmodi distinctionem pecuniæ traditæ non ob preces & intercessionem (quo in casu omnes adfirmant esse simoniam) sed ob laborem, industriam, incommodum &c. Verum in praxi vix admittenda est eiusmodi distinctio, quoties ante obtentum beneficium pecunia datur, aut dona promittuntur. Datur pecunia, inquis, famulo, ministro, alterive ad habendum illum benevolum, ut facilius pateat ad Episcopum aditus &c. Hæc omnia sunt simoniæ velamina, & tegumenta.

XI. Salmanticenses *loc. cit. num.* 51. cum aliis docent, non esse simoniam, si pecuniæ tradantur mediatori, non ut intercedat apud collatorem, sed ut præcise merita repræsentet Prælato; ipsi tamen fatentur, hoc esse periculosum, & omnino ca-

cavendum. Subdunt tamen, nullam esse simoniam, si mediator præcise exerceat munus advocati, exponendo candidati merita. Munera autem accipere pro exercitio advocati nullo modo simoniacum est. Addunt, finem proximum in tali munerum largitione esse acquisitionem bonæ opinionis apud collatorem beneficii. Ut autem sit simonia, oportet ut finis immediatus dationis pecuniæ sit acquisitio alicuius rei spiritualis. Et laudant pro hac opinione *Suarez*, *Dianam*, *Palaum*, & alios. Technæ istæ sunt, quibus, ut mihi videtur, simoniæ obtegitur & ornatur simulacrum. Si vocatus a Domino candidatus sit ad beneficium, fundere Deo preces debet, ut lumine cælesti Prælati mentem perfundat, quo digniorem eligat. Istorum ratiocinia mihi humana prudentia parta, non ex divinis Scripturis hausta videntur. Consule quæ dixi de vocatione Clericorum, & spiritu sacerdotali; & illinc colliges nimis humana esse recensita argumenta.

XII. Quæst. VI. *Simoniam ne committit qui alicui magnam pecuniæ summam in eleemosynam impendendam promittit alicui Monasterio, vel pauperibus, ut pro eo beneficium impetret precibus, intercessione ab Episcopo?* Resp. Negant Salmanticenses *num.* 54. cum Diana, & aliis: quia tunc non datur pecunia ut pretium, sed gratis, & in eleemosynam: quæ titulus est excusans largitionem munerum a simonia. Hæc sententia mihi falsa est. Nam iste revera pecuniam tradit, ut hac via obtineat beneficium. Quod autem hæc pecunia in pia sit tribuenda opera, extraneum prorsus est, & per accidens. Cur hæc pecunia traditur intercessori, & mediatori? Ut beneficium impetret. Cur ergo simonia non est? Quia pecunia impendenda est in eleemosynam, tradenda est Monasterio? Hæc ratio mihi ridicularia videtur, & purum putumque velamen ad simoniam fucandam. Quid enim refert, in quem usum sit expendenda pecunia, quando reipsa datur pro beneficio assequendo?

CAPUT III.

Quomodo simonia committatur, dum res temporalis traditur vel tamquam pretium, vel tamquam motivum, vel tamquam gratuita compensatio. Laxæ nonnullorum Casuistarum opiniones refelluntur.

I. Quemadmodum vix usura aliqua in mundo reperiretur, si consisterent plurium Moralistarum opiniones; sic nullam amplius patrarent Clerici simoniam, si veræ forent distinctiones innumeræ quas excogitarunt Casuistæ plurimi. In pecunia, seu re temporali distinguunt rationes pretii, motivi principalis, secundarii, proximi, remoti, directe, indirecte intenti; ut tandem aliqua ex his viis pe-

pecunia absque simoniæ labe perveniat in manus aut collatoris, aut intercessoris beneficii conferendi, aut collati. E contrario divinæ Scripturæ, Patres, & Concilia absolute, omnique distinctione sublata, prohibent quidquam pro re spirituali tradere. Christus Dominus inquit: *Gratis accepistis, gratis date*: Matth. x. Et S. Petrus *Act.* VIII. subdit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Canon apostolicus XXX. hæc continet. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiiciatur*. Concilium Tolosanum *can.* I. hæc statuit. *Si quis Episcoporum accepta QUOCUMQUE MODO pecunia ordinaverit Episcopum, Abbatem, Presbyterum, Diaconum, aut quemcumque alium qui numeratur inter Clericos; ipse gradus sui subiaceat periculo; & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex huiusmodi mercimonio; sed sit alienus eius dignitatis, & ordinis quem per pecunias acquisivit*.

II. Rursus I. quæst. I. can. *Sanctorum Patrum* hæc habentur a Calixto Papa præscripta. *Exempla sequentes, & officii nostri debita innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei, vel promoveri auctoritate Sedis apostolicæ modis omnibus prohibemus*. Ibidem quoque ex decreto Concilii Toletani iuri canonico inserto hæc præscribuntur. *Si quis pro percipienda Sacerdotii dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore anathematis se noverit opprobrio condemnatum*.

III. Innocentius III. in epist. ad Archiepiscopum Contuariensem. *In tantum peccatis exigentibus corda quorumdam simoniaca pravitas depravavit, ut in exterminium canonicæ sanctionis, & in elusionem quodammodo divini iudicii lucris turpibus inhiantes, ac dicentes in corde suo*, Non est Deus, *simoniam sub honesto nomine pallient, quasi mutato nomine, culpa transferatur in pœnam. Verum nec Deus, secundum Apostolum, irridetur, nec tales Simonis sectatores, etsi temporalem in præsenti forsan eludant, in futuro pœnam effugient sempiternam, cum nec honestas nominis malitiam palliabit, nec vox poterit abolere reatum*.

IV. Sed, missis innumeris tum Conciliorum, tum Patrum testimoniis, sufficiat transcribere quæ Concilium Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* XVIII. *de refor.* ubi de electione Pastorum, seu Parochorum prolixus habetur sermo, inter plura decernit. *Caveantque ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec ANTE, NEC POST ACCIPIANT: alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant; a qua absolvi nequeant, nisi DIMISSIS BENEFICIIS, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur*. Quid desiderari luculentius potest?

V. Ex his omnibus, & plurimis aliis, quæ brevitatis gratia omitto, evidentissime patet, Scripturas divinas, Patres, & Concilia eo conspirare, ut nihil pro dispen-

pensatione spiritualium thesaurorum Ecclesiæ, sive ante, sive post accipiatur, vel ab ipsis examinatoribus, nedum a collatoribus Episcopis, Prælatis, aliisque dispensatoribus. Quid? Nihil neque ante, neque post tribui examinatoribus potest; & aliquid sive ante, sive post tradi ipsis collatoribus beneficiorum licitum erit? Hoc esset delirium, nedum vanum commentum. Sublata est ergo omnis de simonia controversia. Nam neque Scripturæ, neque Patres, neque Concilia distinguunt in pecunia, seu re temporali rationes *pretii*, *motivi*, *compensationis*, vel *gratuitæ retributionis*. Sed absolute clamant: *Gratis accepistis, gratis date*. Detestantur dona Dei pecunia possideri. Universe proscribunt quidquam dari tum ante, tum post. Cedo: si Conciliorum decreta ingenuo animo servarentur iuxta pervium & nativum quem præferunt sensum, nonne simoniæ in fumum occiderent? Verum sicut alia divina, & ecclesiastica mandata, ita quoque præcepta adversus simoniam a non paucis recentioribus Theologis implicata, obscurata, & in falsa detorta sensa conspiciuntur. Istorum systema, & commenta rescribam.

VI. P. Gregorius Valentia inter primos citari solet, qui mandata contra simoniam laxavit. Hunc Auctorem propriis oculis legi, & reipsa *Tom. III. disp.* VI. *quæst.* XVI. *punct.* 3. consuetis distinctiunculis legem eludit, inquiens: „ Potest quis conferre spirituale propter temporale principaliter, tamquam propter „ finem; ita ut temporale apud eum non sit finis ipsius rei spiritualis, quasi „ temporale pluris ab eo quam spirituale æstimetur; sed tantummodo voluntatis, *sive applicationis animi ad actum conferendi spirituale: & hoc non est simonia*.

VII. P. Dominicus Viva in sua *Trut. in prop.* 45. *&* 46. *Innoc. XI. num.* 13. inquit: *Videtur hæc esse doctrina Angelici* 2. 2. *quæst.* C. *art.* 3. *ad* 4. Deinde subdit: *Montaltius in famoso illo libello* &c. *hanc doctrinam tribuit ETIAM Valentiæ*. Duo hic peccat P. Viva. Primo quod afferat videri hanc doctrinam esse Angelici. Secundo quod Montaltius talem doctrinam tribuat *etiam Valentiæ*, quasi Montaltius hanc doctrinam adscripserit S. Thomæ; quod falsum evidenter est. Epistolas Provinciales, ab Ecclesia damnatas, detestor: tum quod Ianseniana lue sint inquinatæ; tum quod quorumdam Casuistarum laxas opiniones Iesuitis, & ipsi inclytæ Societati impingere videantur: quam ego calumniam millies execratus sum, æternumque execrabor; cum & leges Societatis, & sapientiores Iesuitæ, sicuti *Probabilismum*, ita laxas, quæ inde, veluti ex fonte, profluunt, opiniones improbent. Ceterum unum adiicio, Montaltium, ut plurimum, fide summa transcribere opiniones Casuistarum & quantum ad verba, & quantum ad senta. E contrario P. Viva cum aliis non infrequenter sententias & S. Thomæ, & aliorum Thomistarum falso, ut mitissime loquar, in sensu refert. Factum hoc si quis expendere ad critices leges honesto litterario certamine voluerit, me paratum exhibeo.

Et

Et ut in hac ipsa controversia aliquod exhibeam argumentum, P. Viva rescribit verba Valentiæ, qui suam proscriptam ab Ecclesia, ut mox videbimus, opinionem affinxit S. Thomæ, quemadmodum minus exacte Augustini testimonium in medium adduxit. Doctrinam Valentiæ secutus est Tannerus *Tom. III. disp.* v. *quæst.* VIII. *dub.* 3. *num.* 64. & 76. qui tamen Valentia exactior, fatetur S. Thomam suæ adversari sententiæ. Fallitur ergo, & fallit P. Viva, dum nimis dextere scribit, S. Thomæ, & *etiam Valentiæ* attribui proscriptam doctrinam, ac si in eadem essent navi Angelicus, & Valentia.

VIII. Romana Sedes, inaudiens simoniæ scelus quorumdam iuniorum distinctiunculis, & opiniunculis foveri, & latius grassari, tres sequentes propositiones damnavit. Alexander VII. hanc *num.* 22. proscripsit. *Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis : quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

IX. Ven. INNOCENTIUS XI. duas sequentes 45. & 46. diris devovit. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis.*

X. De his propositionibus hanc tulit censuram Clerus Gallicanus anno 1700. *Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ : hæresim simoniacam, a sacra Scriptura, canonibus, & pontificiis constitutionibus reprobatam, mutato tantum nomine, per fallacem mentis sive intentionis directionem inducunt.*

XI. Tantum vero abest S. Thomam his damnatis thesibus aliquo modo favere, ut per summam iniuriam nonnulli laxioris Ethices patroni eidem imposuere; quin luculentissimis verbis easdem in antecessum præsocavit. Nam in *IV. Sent. dist.* xxv. *quæst.* III. *art.* 3. hæc scribit. *Quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquid spirituale, vel annexum, simoniam committit.* Ubi hic distinctio P. Valentiæ, Tanneri, & aliorum, utrum detur vel tamquam rei spiritualis pretium, vel per modum *motivi applicantis*, seu inflectentis animum ad conferendam rem spiritualem? Rursus 2. 2. *quæst.* c. *art.* 2. *ad* 5. paucis verbis definit, simoniam esse *per pecuniam parare sibi viam ad rem spiritualem obtinendam*. Alia nunc prætereo testimonia. S. Thomas rem temporalem, quam dispensatoribus rerum spiritualium exhibent simoniaci, pretium vocat, quia reipsa locum pretii obtinet; quamvis mentalium præcisionum, & intentionum fucis præcoloretur.

XII. P. Carolus Billuart *diss.* 11. *art.* 3. scribit, hanc quæstionem alea periculis-

que

que plenam esse, quam utrimque syrtes obsident, syrtes nempe distinctiuncularum, sub quibus simonia cubat. Sub Sole Aquinate mediam se tenere viam ait, quin declinet aut ad dexteram nimii rigoris, vel ad sinistram nimiæ laxitatis. Omnes se ab his recedere extremis ostentant. At plurimi ad laxitatis syrtim declinant, quia a sacris canonibus, & Patribus recedunt. P. Billuart in hac caussa a Sole Aquinate declinat, ideo in extremum laxitatis impingit, & consuetis distinctiunculis eiusdem S. Thomæ doctrinam, quam sibi illustrare blanditur, reipsa ad laxa iuniorum placita detorquere studet; ut mox patefaciam. Cur alea, & syrtibus plena est controversia hæc? An Scripturæ divinæ, an canones, an Patrum testimonia apertissima non sunt? Casuisticæ quorumdam recentiorum distinctiones, subtilia commenta, *pretii*, *motivi*, *obligationis antidoralis*, *compensationis gratuitæ*, *motivi intermedii*, sunt syrtes & scopuli, quibus sublatis, omnia plana sunt & luculenta.

XIII. Quæst. I. *Qui dat rem temporalem tamquam motivum proxime obtinendi spirituale, & contra, committit ne simoniam?* Resp. Adfirmant communiter etiam Probabilistæ: quia tunc, inquiunt, pecunia, seu res spiritualis rationem pretii habet; cum spirituale respiciat tamquam obiectum immediatum. Nihil enim inter rem spiritualem, & temporalem intercedit. Ergo res temporalis proxime tendit in rem spiritualem obtinendam. Nec necesse est ut qui rem temporalem confert, aut contra, intentionem habeat expressam solvendi per modum pretii; sed sat est quod reipsa tradat pecuniam pro obtinenda re spirituali. Reponebant Auctores damnatæ doctrinæ, pecuniam dari ad flectendum animum collatoris rei spiritualis. Peregregie. Qui emit mercem, non solvit pecuniam pro merce, sed ut applicet animum venditoris ad mercem tradendam. Hæc est argumentatio *P. Valentiæ*, *Tanneri*, & aliorum: quæ quam sit robusta, & theologica gravitate digna, nemo non videt.

XIV. Quæst. II. *Qui dat pecuniam tamquam motivum non immediate obtinendi rem spiritualem, sed tamquam motivum medium honestum, ex quo expectetur res spiritualis, committit ne simoniam?* Resp. Negat P. Billuart *loc. cit.* & citat Caietanum, Navarrum, Sotum, Bonacinam, Lessium, Suarez, Cabassutium, & alios plures; eamque consentaneam asserit principiis S. Thomæ, & omnium scholarum. Quoniam, inquit, dum intervenit aliud motivum verum & honestum præter spirituale, propter quod datur temporale, unde expectatur spirituale, tunc pecunia seu res temporalis nec explicite, nec implicite habet rationem pretii. Sed ad simoniam contrahendam oportet ut traditio rei temporalis rationem pretii habeat aut formaliter, aut virtualiter, aut explicite, aut implicite. Primam propositionem evincere conatur paritate eleemosynæ, quæ traditur pro Missæ celebratione, & Canonici pergentis ad chorum propter distributiones.

XV.

XV. Hanc opinionem reiicio ut falsam, laxam, & doctrinæ Scripturarum, Conciliorum, & S. Thomæ prorsus adversam. Et miror P. Billuart hanc laxam opinionem Angelici Doctoris principiis consentaneam asserere. Et ut paucis rem conficiam, quæro a P. Billuart: candidatus ad Ordines, vel ad beneficium parochiale accipiendum offert pecuniam examinatoribus, Episcopo, collatori: quodnam est motivum illud medium, verum, & honestum, a quo expectatur beneficium, aut sacramentum Ordinis, & propter quod pecunia offertur? Edisserat nobis hoc medium motivum. Nullibi illud prodit P. Billuart. Nimis vero inconsiderate obtrudit eleemosynam pro celebratione Missæ collatam, cum vel ipsi Casuistarum vulgo notum sit, hanc tradi in sustentationem Sacerdotis. Hæc sustentatio vera & realis motivum est stipendii collati pro celebratione Missæ; sicut & distributionum, quæ sustentant Canonicum frequentantem chorum. Quare hæc opinio P. Billuart verbis meris, nullo modo re, discrepat a præcedenti, quam ille ipse improbat ut laxam, & in recensitis propositionibus proscriptis contentam.

XVI. Clarius rem explico adductis verbis ipsius P. Billuart. „ Simonia ex sua „ ratione formali essentialiter requirit ut temporale detur pro spirituali tamquam „ pretium vel formaliter, vel virtualiter." Hanc eamdem doctrinam tradunt Salmanticenses *tract.* XIX. *cap.* I. *punct.* 4. *num.* 55. „ Dicendum igitur est, necessario „ requiri ad contractum emptionis & venditionis quod traditio pecuniæ, vel alte- „ rius rei temporalis fiat ex voluntate dandi illam ut pretium, seu commensu- „ randi illam cum re spirituali, tantique æstimandi; quod fit per contractum o- „ nerosum: hac tamen seclusa prava voluntate, *etiamsi temporale detur animo* „ consequendi spirituale, non ut pretium onerosum, sed gratis, vel ex gratitudine „ aut benevolentia, etiam cum aliqua antidoralis obligationis impositione, nulla „ simonia committitur, sive munus ante collationem rei spiritualis conferatur, si- „ ve post ipsam, sive simul cum ipsa."

XVII. Hac doctrina P. Billuart, Salmanticensium, & aliorum Casuistarum admissa, exulat ab orbe christiano simonia omnis. Quod Auctores citati a P. Billuart, ut Bonacina, Lessius, & alii, docuerint eiusmodi opinionem, excusatione digni sunt, cum scripserint ante Alexandrum VII. & Innocentium XI. At valde mirum est, Salmanticenses, & Billuart potuisse hanc opinionem propugnare; cum nec verbis fere differat a propositione damnata ab Innocentio XI. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale* &c. Damnata ergo est propositio in terminis tum P. Billuart, tum Salmanticensium, nempe essentialiter requiri ad simoniam ut res temporalis oblata habeat rationem pretii. Immo doctrina Salmanticensium laxior omnino est propositione damnata. Nam Salmanticenses requirunt ut traditio rei temporalis procedat *a prava voluntate dandi il-*

lam

lam ut pretium, seu commensurandi illam cum re spirituali, tantique æstimandi. Qui sic traderet pecuniam, non modo simoniacus, sed hæreticus esset, ut sapienter advertit Seraphicus Doctor S. Bonaventura in *IV. dist.* XXV. *quæst.* IV. *art.* I. inquiens: *Ille qui emit, ac vendit spiritualia, aut credit ea pro pretio posse æstimari, & valori rei terrenæ æquari, & pro pecunia possideri: & hæc est hæresis manifesta. Aut ille qui vendit, & emit, non credit quod gratia Dei per pecuniam comparetur; sed tamen ardens avaritia nititur aliquid assequi, vel impetrare per pecuniam, quod ad humanam spectat dispensationem: & sic non est peccatum fidei, sed morum: quia talis peroptime novit, & male facit; & sic simoniacus est avarus, & in pessima specie avaritiæ, nec est proprie hæreticus.*

XVIII. Vix umquam Catholicorum aliquis simoniam committit ad normam quam Salmanticenses præscribunt. Quis est qui rem temporalem *commensurari cum re spirituali, tantique æstimare* audeat? Hæreticus, nedum simoniacus is esset, ut dixi. Quis sibi præstituit illud medium motivum quod cum aliis Casuistis commentus est P. Billuart inter rem spiritualem & temporalem? Distinctiunculæ igitur tradendi rem temporalem non ut *pretium*, sed tamquam *motivum*, *incitamentum*, vel *antidorali gratitudinis titulo*, vel tamquam *gratuitam compensationem*, sunt vanissima commenta, falsa velamina, techнæ ineptissimæ ad fucandum simoniæ crimen. Scripturæ divinæ, Patres, Concilia prohibent, nulla adiecta distinctione, quidquam temporale accipere, vel tradere pro re spirituali. Circumveniunt ergo nimis patenter divinas, humanasque leges contra simoniam præfata distinctiuncularum effugia. Divinæ leges, & sacri canones non prohibent aliquid dare, vel recipere pro re spirituali sub hoc aut illo titulo, vel motivo; sed absolute vetant ne quidquam tradatur, vel accipiatur. Vanissimæ leges essent, si pro ordinibus, beneficiis, sacramentis, aliisque divinis thesauris dispensandis pecunia recipi, & dari posset, non ut pretium, sed ut motivum, ut antidoralis, vel gratuita compensatio. Acceptio pecuniæ est illa quæ proscribitur. Quod enim hoc aut illo titulo accipiatur, perinde est, ad avaritiam, & simoniam quod attinet. Neque confundenda est doctrina contra simoniam cum sustentatione ministrorum ab ipso Evangelio, & Ecclesiæ auctoritate probata, ut mox explicabo. Doctrina igitur Salmanticensium, P. Billuart, & aliorum Casuistarum continetur, ut mea præfert opinio, in *prop.* 45. damnata ab Innocentio XI. Cedo: an *Balaam* reponere non potuisset, se a Rege Moabitarum accepisse munus, non ut pretium, sed ut motivum: & *Giezi* se accepisse a Naaman munus ut gratuitam compensationem, secus ut miraculi pretium? An non vel ipse Simon magus asserere potuisset, se pecuniam Apostolis obtulisse, non ut pretium, sed tamquam incitamentum ad inflectendos illorum animos, ut potestatem sibi impertirent dandi Spiritum sanctum per manuum impositionem?

XIX. Quæst. III. *An licitum sit temporale tradere pro spirituali ex mera gratitudine, benevolentia, & amicitia?* Resp. Hanc quæstionem proponit P. Billuart *loc. cit. num. 3.* & sententiam adfirmantem ut probabiliorem amplectitur; pluresque canones adducit, ut hanc opinionem evincat. Hæc sententia, si absolute spectetur, non probabilior modo, sed certa & evidens est. Numquid divinæ Scripturæ, aut sacri canones prohibent virtutum gratitudinis, amicitiæ, & benevolentiæ officia? Verum quia in praxi sub hoc gratitudinis & amicitiæ pallio simonia cubat, ideo sacri canones absolute prohibent quamlibet temporalis rei traditionem pro spirituali. Homines natura sua, & reipsa communiter ingrati sunt, nihilque gratitudine in mundo rarius. Gratitudinis officium obligationis testimonium est. Et quia insita superbia impedit ne homines se aliis subiectos & devinctos fateantur; ideo grati communiter esse refugiunt. Solum in collatione & acceptione beneficiorum, sacrorum ordinum, aliarumve rerum spiritualium gratitudinis officia obtruduntur. Casuistæ plures hac in materia communiter omnes gratos, benevolos, sincerosque amicos præsumunt, ut eos a simoniæ labe purgent. Verum cum in praxi paucissimi ex vero & sincero amicitiæ titulo donent, offerantque pecuniam, ideo sacri canones, sicut divinæ leges, absolute pecuniæ traditionem in recensita materia severe prohibent.

XX. Præterea in recipiendis beneficiis, quibus animarum cura annexa est, quinam est titulus gratitudinis? Episcopus confert beneficium curatum, onus tremendissimum, & angelicis humeris formidandum, quod æternæ perditionis annexum periculum habet in altera, & in hac vita perpetuos labores, vigilias, sollicitudines, incommoda, fastidia, angores continuos. Et pro tanto onere sibi imposito grati esse debent Beneficiati? Quodnam, amabo, gratitudinis genus istud? Gratitudo præsupponit aliquod commodum, & utilitatem collatam ab eo cui gratitudinis testimonium exhibendum est. Beneficia, parochiæ, animarum regimina a pluribus suscipiuntur, quatenus præseferunt dignitatis fulgorem, salutationes in foro, obsequia, & imperia, & prout emolumenta temporalia, & pingues aut parvos reditus præbent. Sub hoc aspectu Casuistæ citati spectant beneficia ecclesiastica: idcirco simoniaca munera gratitudinis pallio obtegere posse sibi blandiuntur. Ne multa: gratitudinis, benevolentiæ, & amicitiæ officia, munera, donationes exerceant & laici, & Clerici, sed in civilibus negotiis, non in rerum sacrarum collatione, & acceptione. Sicuti beneficia, & sacra quæcumque non amicitiæ & benevolentiæ titulo dispensari debent, sed virtutis merito; ita nihil humani ob eiusmodi beneficia rependi collatoribus debet.

XXI. Quæst. IV. *Utrum liceat dare temporale sub spe obtinendi a donatario spirituale, & contra, titulo amicitiæ, & gratitudinis?* Resp. Adfirmat *loc. cit.* P. Billuart, dummodo sincere & non ficte expectetur ut donum spontaneum ex mera

gra-

gratitudine, amicitia, & liberalitate, & non titulo muneris temporalis debitum. Quoniam, inquit, hoc est dare temporale ut motivum quidem obtinendi spirituale, *sed mediante alio motivo honesto, scilicet gratitudine, & amicitia*. En tandem motivum illud medium honestum, vi cuius P. Billuart cum ceteris Casuistis a se citatis a simoniæ labe purgat pecuniarum munera pro collatione spiritualium tradita. Hoc admisso titulo, nulla in mundo simonia est. An Giezi, Balaam, & ipse Simon magus hoc titulo sua honestare munera non potuissent? Involucra hæc sunt, sub quibus latitat simoniæ crimen. An, ut minus, gravissimum periculum non est sub hac amicitiæ & gratitudinis larva serpere simoniæ flagitium? An reipsa in praxi non serpit? Cur ergo non clamatur contra eiusmodi munera? Ut quid officium sinceræ & non fictæ gratitudinis adducitur, quæ in praxi vix umquam reperitur, & ficta atque simulata communiter grassatur? Hæc ne instruendi lectores in practica morum disciplina vera methodus? Ad id quod in praxi communiter accidit, attendere magister morum debet, non ad conditiones mente confictas, & a praxi abstractas, quasque homines fingere pro arbitrio valent. An cachinnis sibilisque deridendos se non propinarent & donatores, & donatarii eiusmodi, si in foro exteriori has pecuniarum traditiones & acceptiones titulo amicitiæ & gratitudinis excusare a simonia contenderent? Cur hoc? Quia forum externum iudicat, & præsumit secundum ea quæ communiter contingunt. Vel ipsis simoniacis inscrutabilia sunt propria cordium secreta, & facillime sibi illudunt, gratuita esse propria munera, cum sint reipsa vilissima pretia & mercimonia. Cavere ergo lector ab eiusmodi vanis distinctiunculis debet; & in divinas Scripturas, in sacros canones animum intendere: qui absolute, sublata omni circuitione, præfata munera vetant.

XXII. Heinc sequitur, laxa & falsa esse consectaria sequentia. Salmanticenses *tract.* XIX. *cap.* I. *punct.* 4. *num.* 56. „ Si aliquis resignet beneficium in manibus Prælati, vel in favorem alterius, *sed cum eo animo, spe, & intentione*, ut alter ex „ gratitudine, & antidorali obligatione, muneribus, donis, & obsequiis correspondeat, alias sine tali spe non resignaturus; sed neque intendens illum alia obligatione *præter antidoralem* obligare, nec pacto alio oneroso, aut conventione „ interveniente, quo alium *rigorose* obligare intendat; non erit simonia." Si intervenirent pactiones & conventiones, atque *rigorosa obligatio*, esset simonia putida, & manifestissima. Simonia descripta fucata, & larvata est contenta in *prop.* 45. Qua via excusari a simonia, ut minus mentali, valet præfata spes, & intentio? Non resignaret beneficium sine hac spe consequendi munera, & donationes: & nulla erit simonia? Addunt iidem Salmanticenses *ibidem*: „ Idem est de eo qui „ beneficium in manu Prælati, vel in favorem alterius resignat ea spe & intentione, ut aliud pinguius ab Episcopo sibi conferatur, aliter non resignaturus, si „ Su-

„ Superiorem non alia, præter antidoralem, obligatione astrictum relinquere intendat. Idem est in similibus casibus. Valentia *f. 3. . . .* Sotus *art. 2.* Rodriquez „ *cap.* lviii. Palaus *punct.* 4. Suar. Ugol. Sanch. Diana, Less. Layman *loc. cit.* „ qui etiam addunt, id verum esse, *etiamsi dictam spem verbis, vel scripto exprimat Superiori* : quia quod optare licet, etiam verbis exprimere licet, „ & etiam licitum est petere ab alio quod ex naturali obligatione tenetur. " Hæc opinio adeo laxa est, & in *prop.* 45. adeo evidenter contenta, ut nulla egeat confutatione. Sufficiat referre id quod cap. *Tua nos* de simonia præscribitur. *Si tamen is qui talem donationem fecit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona spiritualia valeat adipisci; & Clerici qui eum in favorem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam iste, quam ille apud districtum iudicem culpabiles iudicantur.* Ut vides, canones animum spectant assequendi spirituale per temporalia munera : & hoc sat est ad simoniæ crimen contrahendum. Aliæ intentiones, quas comminiscuntur iuniores, dandi tamquam motivum, aut gratuitam compensationem, aut per modum obligationis antidoralis, latebræ sunt, & syrtes simoniæ : quæ si a christiana Theologia reiicerentur, controversia hæc non esset, ut ait P. Billuart, alea, & syrtibus plena.

XXIII. Fatentur Salmanticenses *loc. cit. num.* 58. in foro exteriori eiusmodi munera reputari simoniaca ex tribus coniecturis, nempe dantis & accipientis, quantitatis & qualitatis, & temporis quo datur. Verum, ut ab omnibus tricis, & effugiis te liberes, illud memento : *Gratis accepistis, gratis date*. Cetera sunt hominum inventa, & prælia opinionum. Innumeræ sunt occasiones exercendæ liberalitatis, & gratitudinis : & rarissime homines grati esse solent. Ergo, dum in sola rerum spiritualium acceptione, vel collatione hæc grati & liberalis animi officia exercentur, sunt mera chimæricæ gratitudinis, & liberalitatis figmenta. Quando nullum est simoniæ, aut alterius criminis periculum, homines nec grati, nec liberales communiter sunt : & tum veræ gratitudinis & liberalitatis argumenta perhibent, cum grave simoniæ periculum imminet, cum sacri canones, & ipsæ Scripturæ sanctæ quidquam dari prohibent? Credat Iudæus apella, non ego.

XXIV. Quæst. V. *An simoniam committat qui in pactum deducit antidoralem obligationem?* Resp. Quis dicit : Confero tibi hoc beneficium liberaliter & gratis, dummodo gratis & liberaliter talia munera mihi præbeas, aut contra. Negant eiusmodi conventiones esse simoniacas Diana, Vidal ; & in eamdem propendere sententiam Sanchez, asserunt Salmanticenses *num.* 63. Pro sententia adfirmante referunt iidem Salmanticenses Suarez, Covaruvias, Layman, Bonacinam, Filliucium. Iidem Salmanticenses hanc vocant gravissimam quæstionem, quæ mihi videtur ineptissima : quam vel referre pigeret, nisi scilicet Casuistæ eam in utramque

que partem differtarent. Plures ibidem modos distinguunt Salmanticenses, quibus exerceri absque simonia possint præfatæ pactiones. Dicunt enim *num. 66.* non committere simoniam illum qui ex obligatione antidorali aliquid temporale peteret pro collatione beneficii, seu qui peteret gratitudinis & liberalitatis argumenta exhibenda: quia, inquiunt, ex natura rei homines grati esse debent. Quare qui petit gratitudinis munera, & *verbis simplicibus* id exprimit, non imponit novum onus; sed postulat quod alias debetur. Quæ ibi Auctores isti docent, sunt mera simoniæ tegumenta, adeo manifesta, ut nec confutatione egeant. Ipsi constituunt tamquam principium certum, ad simoniam requiri ut res temporalis tradatur per modum pretii, unde postea consectaria eliciunt eidem principio conformia. Verum & hæc consectaria continentur in dicta *propos.* 45. proscripta, ut ego quidem arbitror.

CAPUT IV.

De rebus spiritualibus quæ simoniæ subiacent.

I. QUæst. I. *An gratia sanctificans, aliæque res mere spirituales, sint materia simoniæ?* Resp. Evidens est, res spirituales in se, & in abstracto acceptas vendi proprie non posse, cum sub sensibus secundum suam essentiam non cadant; at vendi in concreto, ut aiunt, & ratione alterius cui insunt, queunt, & simonia patrari: puta, si quis venderet Sacerdotem ratione consecrationis, Christianum, quia gratia sanctificante ornatum. Similiter posset quis vendere sacram Eucharistiam, & simoniam committeret. Qui pluris rem temporalem venderet propter rem sacram eidem annexam, ut si maiori pretio venderet calicem, quia consecratum, aut ablutionem baptismalem, vel absolutionem sacramentalem, aut imaginem, quia miraculosam, simoniæ crimen patraret. Iudam inauditum commisisse sacrilegium aiunt, secus simoniam: quia nullo modo cogitavit de vendenda divinitate Christi Domini.

II. Quæst. II. *An sacramentorum venditio simoniaca sit?* Resp. Simoniam committi, adfirmant omnes, dum pro sacramentorum administratione aliquid temporale exigitur, ut definitum est cap. *Cum Ecclesia* de simonia. Quoniam sacramenta, & potestas eadem administrandi sunt intrinsecus spiritualia, & ad spiritualem salutem ordinata ex Christi institutione, suntque caussæ effectuum supernaturalium gratiæ, virtutum, donorum &c. Matrimonium spectatur & ut sacramentum, pro cuius administratione nihil absque simonia exigi potest, & ut contractus, & sic multis pactionibus subest, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* c. *art.* 2. *ad* 6.

III. Quæst. III. *Possunt sacri ministri pro rerum spiritualium administratione ali-*

quid temporale recipere? Resp. Sacris ministris rerum spiritualium deberi emolumenta temporalia naturali, divino, humanoque iure, omnes fatentur. Titulus vi cuius hæc illis temporalia debeantur, exponendus est. Nam iure commutationis aut compensationis sacrorum operum ministris nihil deberi, constat ex damnatis propositionibus. Debentur illis temporalia subsidia solo sustentationis titulo, ut ex *Matth. cap.* x. colligitur. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris* &c. Subdit tamen: *Dignus enim est operarius cibo suo*. Rursus S. Paulus I. Cor. IX. *Numquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? . . . Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. Solis autem emolumentis ad victum & vestitum necessariis contenti sint oportet sacri ministri. Quoniam, inquit S. Bernardus *epist.* 11. ad Fulconem, *quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retinetur, rapina, & sacrilegium est*. Temporalia subsidia debentur sacris ministris, ut liberi & expediti a temporalium negotiorum sollicitudine rebus sacris, & regendo gregi sedulam navare operam valeant.

IV. Quæst. IV. *Est ne simonia accipere stipendium pro celebratione Missæ?* Resp. De stipendio Missæ plura diximus *Tom. VIII.* idcirco nunc paucis rem conficio. Respondet ergo S. Thomas 2. 2. *quæst.* c. *art.* 2. *ad* 2. his verbis. *Sacerdos non accipit stipendium quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ, hoc enim est simoniacum; sed quasi stipendium suæ sustentationis*. Addit *ibidem ad* 3. quod pœnæ pecuniariæ, quæ imponi excommunicatis solent, non exigantur quasi pretium absolutionis; sed ad puniendum crimen, ob quod fuit excommunicatio lata, præscribantur.

V. Quæst. V. *Committunt ne simoniam qui concionantur vel propter plausum, vel propter lucrum?* Resp. Quando quis concionatur propter alterutrum ex his finibus, dubio procul peccatum perpetrat simoniæ: nam prædicationem verbi divini, quæ spiritualis est, propter temporalia, qualia sunt humani plausus, laudes, fama, & lucrum, vendit. Nec suffragatur distinctiuncula pretii & motivi. Quid, si Concionatores propter utrumque motivum & plausus, & quæstus, Dei verbum prædicarent? Duplex peccatum perpetrarent. Debentur tamen Prædicatoribus temporalia propter sustentationem, ut Angelicus 2. 2. *quæst.* c. *art.* 3. *ad* 2. docet. *Dicendum, quod temporalia prædicantibus debentur ad sustentationem prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum . . . necessitatis est accipere, unde vivitur; caritatis est præbere: non tamen venale est Evangelium, ut pro his prædicetur*. Iterum in *IV. dist.* xxv. *quæst.* 11. *ad* 5. hæc habet. *Stipendia debentur prædicantibus ad sustentationem victus, ne cogantur relinquere verbum Dei, & circa procuranda sibi necessaria occupari; non autem debentur eis quasi pretium prædicationis*.

VI.

VI. Plura referenda essent Patrum testimonia contra quæstum, & inanem plausum Concionatorum. Ven. Innocentius XI. an. 1680. admonitionem edidit contra novum prædicandi usum, a primævo Apostolorum instituto prorsus alienum. Narrat Pontifex maximus, se diversas a pluribus christiani Orbis provinciis querelas accepisse adversus Concionatores, qui verbum Dei sanum & salutare multiplici lue inficiunt, atque fatua quadam eloquentia adulterant. Numquam a promulgato Evangelio tanta Concionatorum multitudo, & numquam tanta messis penuria, numquam tanta morum perversitas. Clamat Pontifex sanctissimus, grande esse piaculum, verbum Dei aut per scurrilitatem, in scenam traducere, aut per paradoxa vana, & quæstiones inutiles, aut per inanium verborum illecebras, & fucatæ eloquentiæ lenocinia profanare. Quælibet ætas suam passa est adulterandi verbi Dei corruptelam. AEtate nostra, quæ est eruditior ceteris, delicatioribus calamistris verbum Dei incrustatur. Methodus catechistica, qua semper sancti & apostolici viri usi sunt, in quadragesimalibus concionibus penitus obsolevit. Plures simulacra vitiorum insectantur; & quid, & ubi sint vitia, & quæ sint virtutes, quæ evangelica perfectio, ad quam aspirare Christiani, quænam sit via arcta, quam calcare fideles debeant, pauci sunt qui explicent; & utinam plures aut propter quæstum, aut propter plausum, aut propter utrumque, verbum Dei non adulterarent. Verum de hoc plura alibi dicta sunt.

VII. Quæst. VI. *Committit ne simoniam qui pro collatione sacrorum Ordinum aliquid recipit?* Resp. Concilium Tridentinum *sess.* XXI. *cap.* 1. *de reform.* hæc statuit. *Nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa etiam sponte oblatum, Episcopi, & alii collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant.* Omnes Patres, & Concilia vehementer clamabant contra simoniam in sacris Ordinationibus serpentem; nunc frequentius contra simoniacas beneficiorum collationes invehuntur. Longa sæculorum serie per ipsam Ordinationem Clerici ecclesiasticas dignitates assequebantur, quibus coniuncta emolumenta temporalia erant: idcirco in ipsis Ordinationibus simonia frequentius occurrebat. Posterioribus sæculis titulus ecclesiasticus, seu beneficium, cui ius percipiendi fructus annexum est, separatus paullatim fuit: quamobrem rarior in Ordinationibus simonia contingit. Spiritualia enim sæpe homines ambiunt propter reditus iisdem annexos.

VIII. Quæst. VII. *Licitum ne est dare pecuniam Sacerdoti, ut sacramentum administret in extrema necessitate?* Resp. S. Thomas 2. 2. *quæst.* c. *art.* 2. *ad* 1. hoc præbet responsum. *Dicendum, quod in casu necessitatis quilibet potest baptizare. Et quia nullo modo est peccandum, pro eodem est habendum, si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset qui baptizaret. Unde ille qui gerit cu-*

ram pueri, in tali casu licite potest eum baptizare, vel a quocumque alio facere baptizari. Posset tamen licite aquam a Sacerdote emere, quæ est purum elementum corporale. Si autem esset adultus qui baptismum desideraret, & immineret mortis periculum, nec Sacerdos eum vellet sine pretio baptizare, deberet, si posset, per alium baptizari. Quod si non posset ad alium habere recursum, nullo modo deberet pretium pro baptismo dare, sed potius absque baptismo decedere: suppleretur enim ei ex baptismo flaminis quod ei ex sacramento deesset. Salmanticenses usu novæ distinctiunculæ pretii, & motivi docent, hunc adultum ad redimendam vexationem suam, & ad tollendum impedimentum avaritiæ ministri iniqui, nolentis administrare sacramentum gratis, & *ad inflectendam* illius voluntatem, posse tradere pecuniam: quia tunc non dat ut pretium, nec emit sacramentum; sed intendit tollere pravam ministri voluntatem, quæ est quid temporale. Omnes enim fideles ius habent ad sacramenta. Ergo quoties iniuste privantur, redimere hanc vexationem licite possunt. Pro hac sententia citant *Valentiam*, *Lessium*, *Villalobosium*, *Laymanum*, *Ledesmam*, *Lezanam*, *Sanchezium*, & alios.

IX. Verum. Auctores citati cum scripserint ante damnatas theses, nullius sunt in hac materia auctoritatis. Iam vidimus supra, doctrinam Valentiæ, quam ceteri exscripsere, contineri in damnatis thesibus. Miror magnopere P. Carolum Billuart *diss.* 11. *art.* 5. *confect.* 2. hanc laxam adoptare opinionem. Nec dubitat asserere, hallucinari eos qui putant S. Thomam docere oppositum. Sed, pace Cl. viri, ipse evidenter fallitur, fallitque. Quibus verbis luculentius exprimere mensem suam Angelicus poterat? Figmentum removendi impedimentum avaritiæ est nimis ridicularium. An latuit Angelicum hoc commentum? An illud in *IV. dist.* v. *quæst.* 11. *art.* 2. non reiecit? Inepte opponitur ius redimendæ vexationis post obtentum beneficium, de quo infra.

X. Quæst. VIII. *Licitum ne est pretium recipere pro administratione sacramentalium?* Resp. Sacramentalia omnia sunt spiritualia, & a potestate spirituali procedunt: quare simonia est aliquid pro ipsis, sive pro eorumdem exercitio, & administratione offerre, & recipere.

XI. Quæst. IX. *Licitum ne est vendere vasa sacra?* Resp. S. Thomas in *IV. dist.* xxv. *quæst.* III. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad* 1. respondet. *Dicendum, quod vasa sacra nullo modo ratione consecrationis vendenda sunt, ut scilicet pro consecratione eorum aliquid plus exigatur; tamen in necessitate Ecclesiæ possunt vendi ex parte eius quod in eis est non spirituale, scilicet materia auri: & tunc, si venduntur ecclesiasticæ personæ, possunt integra vendi; si autem venduntur aliis non ad usum Ecclesiæ, debent prius frangi præmissa oratione, ne sancta ab aliis tractentur quam a ministris Ecclesiæ.* Quæ tribui solent pro cantu Missæ, pro officio funebri, pro processione, pro crucis gestatione, aut pueris Missæ servientibus, & pauperibus,

bus, ut precibus suffragia impetrent, a labe simoniæ immunia iuxta laudabilem consuetudinem sunt. Dantur enim eiusmodi gratuita dona in ministrorum sustentationem.

XII. Quæst. X. *Recipi ne aliquid potest absque simonia pro labore administrationis rerum spiritualium?* Resp. Acuti iuniores, concedentes nihil recipi absque simonia posse pro administratione sacramentorum, & rerum spiritualium, investigant, num aliquid offerri, & accipi possit pro labore eiusdem administrationis, puta pro labore celebrandæ Missæ, prædicandi Evangelium, administrandæ pœnitentiæ, consecrandæ Ecclesiæ, visitandæ &c. Duplicem distinguunt laborem, intrinsecum unum, alterum extrinsecum, sine quo honeste & licite exerceri præfata omnia possunt.

XIII. Affirmant omnes pro labore intrinseco, sine quo sacræ functiones exerceri nequeunt, nihil absque simoniæ labe recipi posse: quoniam talis labor ita est cum rebus spiritualibus coniunctus, ut nullo modo præstari absque eo possint. Pro labore vero omnino extrinseco, puta pro solemniori Missæ cantu, pro longo itinere ad conferendum baptisma, & pro his similibus laboribus aliquid iure exigi posse concedunt; quod verum habet, dummodo species turpis mercimonii vitetur. Quod Salmanticenses docent *tract.* XIX. *cap.* 11. *punct.* 3. *num.* 18. aliquid, ut pretium, exigi posse pro concione exquisita, & multum elaborata, falsum existimo. Nam labor iste intrinsecus est. Sacra enim concio elaborari debet, ut moveat animos auditorum. Labor extraordinarius, quem adhibere aliqui solent, corrumpit, non perficit concionem sacram. Stipendium quod communiter præbetur pro Ecclesiarum consecratione, pro visitatione, pro administratione rerum spiritualium, est in sustentationem ministrorum iuxta Ecclesiæ consuetudinem, & sacrorum canonum dispositionem. Similiter Episcopatibus, Parochiis, Canonicatibus, Cœnobiis, & ceteris ministeriis ecclesiasticis annexi sunt ingentes proventus in ministrorum solam sustentationem. Quod enim superest præter victum & vestitum, pauperibus erogandum est, ut fuse *Tom. II.* ostensum fuit.

XIV. P. Nicolaus Mazzotta *tract.* III. *disp.* V. *quæst. unic. de simonia* recenset multos qui sentiunt aliquid recipi absque simonia posse pro obligatione exercendi spiritualia, quod hæc obligatio distincta sit a functione sacra: refert simul Suarez, & Palaum oppositum sentientes. P. Mazzotta sequitur methodum Croix, proponendi opiniones contrarias lectorum arbitrio. Opus istud supra omnes Moralistas effert P. Franciscus Antonius Zaccaria in sua *histor. litter. pag.* 49. Si ea libertate qua in omnes Scriptores Italos suam criticen exercet Historicus iste, uti mihi licet, opus præfatum non supra, sed infra ferme omnia opera casuistica in universam morum Theologiam his ultimis temporibus typis edita iacet. Est enim mera opinionum contrariarum collectio, & fere P. La-Croixii purum putumque com-

compendium, ut alio in loco evincam. Ad quaestionem propositam respondeo; ministros iure accipere, & repetere posse quae necessaria sunt propriae sustentationi. Sententia autem Suarez, & Palai vera est, & altera falsa.

XV. Quid, si ministri divites essent, nec indigerent sustentatione? Etiam tum iure ipsis congrua debentur stipendia. Divitiae, aut paupertas personae extranea omnino sunt ministerio. *Nemo* (inquit S. Paulus) *militat suis stipendiis*. Ministris, ut iam supra ostensum est, iure naturali, divino, & ecclesiastico necessaria alimenta debentur, nulla adiecta distinctione de eorum aut opulentia, aut paupertate. Advertendum tamen, Parochos, Curatos, ceterosque ministros qui ex officio tenentur sacramenta ministrare populis, cadavera sepelire, funeralia celebrare, & alia istiusmodi, & aliunde ex Ecclesiae reditibus habent congruam sustentationem, peccare, si haec omittant, quia nova eis stipendia non porrigantur. Quid de illis dicendum qui pauperum cadavera vix sepelire volunt, licet reditibus abundent, nisi stipendia conferantur; & de his paciscuntur, non secus ac de merce venali? Quod scandalum non leve est populo christiano.

XVI. Quaest. XI. *Utrum pro exercitio, aut omissione virtutum aliquid exigi absque simonia possit?* Resp. Virtutum actus alii sunt potestatis Ordinis, ut absolvere, canere Evangelium; alii iurisdictionis, ut excommunicare, dispensare &c. alii ceterarum virtutum, ut preces fundere, ieiunare, eleemosynas distribuere. De his ultimis sermo nunc est. Si hae virtutes ordinentur in finem supernaturalem, simonia est quidquam pro earumdem exercitio exigere. Si vero ad finem tantum corporalem dirigantur, ut dirigi omnia opera misericordiae corporalis possunt, tunc pro temporali commoditate aliquid exigi, nulla est simonia; ut docet S. Thomas 2. 2. *quaest.* c. *art.* 3. *ad* 2.

XVII. Pro omissionibus quae diriguntur a potestate iurisdictionis spiritualis, ut pro non absolvendo indigno, pro non dispensando absque motivo, aliquid exigere simonia est; secus pro omissionibus virtutum quae a sola liberi arbitrii facultate moderantur, ut non ingredi Religionem, non dare eleemosynam, non orare &c.

XVIII. Quaest. XII. *An sit simonia vendere, aut emere actus iurisdictionis potestatis ecclesiasticae?* Resp. Distinguunt communiter Auctores iurisdictionis potestatem quae spectat forum conscientiae, ut absolvere a peccatis; & potestatem ad forum externum attinentem, ut dispensare in votis, in legibus, visitare, condemnare &c. Pro his omnibus quidquam accipere simonia est: quia eiusmodi actus spirituales sunt. Quare qui audit confessionem, aut non absolvit, aut leviorem imponit poenitentiam propter pecuniam, simoniacus est. Similiter simonia est quidquam exigere pro licentia audiendi confessiones, absolvendi a censuris, pro concessione indulgentiarum, pro facultate dispensandi in votis, iuramentis, pro assisten-

ſtentia Parochi ad matrimonium contrahendum, pro electione, collatione, confirmatione beneficiorum, pro viſitationibus, correctionibus, & pro quocumque actu eccleſiaſtici iudicii.

XIX. Opponi ſolet, quod Romana Curia pro diſpenſationibus in impedimentis matrimonii concedendis pecuniam exigit, & quo propinquiores ſunt gradus, eo maior pecuniæ ſumma exigitur, & ad maiorem numerandam divites quam pauperes aſtringuntur. Communis reſponſio eſt, hanc pecuniæ exactionem eſſe pœnam, eo graviorem, quo ditiores ſunt diſpenſandi. Ceterum numquam in gradibus propinquioribus diſpenſatio conceditur, niſi ob aliquam urgentiſſimam cauſſam mali graviſſimi declinandi, aut boni promovendi. Et quia facile ementiri, & effingi hæc mala ab humana aſtutia poſſunt: idcirco Romana Sedes hanc pœnam pecuniariam, quam difficillime, niſi vera neceſſitas urgeat, homines ſubeunt, imponit, ut fraudes & mendacia impediat, atque oſtendat ſe nolentem concedere quod neceſſitate tantum coacta impertitur.

XX. Quæſt. XIII. *An pretium pro uſu ſcientiarum accipere ſit ſimonia?* Reſp. Scientiæ quæcumque ſecundum ſe vendi nequeunt, cum in intellectu reſideant; at communicari medio organo corporeo aliis valent. Uſum ſeu communicationem ſcientiarum naturalium omnium poſſe impertiri aliis pacto pretio, convenit penes omnes. Ad ſacram Theologiam quod attinet, ſi accipiatur pro cognitione divinitus infuſa myſteriorum fidei, & divinarum Scripturarum, eam vendere & pretium pro eadem accipere ſimonia eſt, ut patet ex iis quæ dicta de Concionatoribus verbum Dei adulterantibus ſunt. Salmanticenſes *loc. cit. num.* 41. putant valde probabilem ſententiam contrariam, quam defendit P. Suarez *Lib. IV. cap.* VIII. Reginaldus *Lib. XXIII. num.* 112. Azorius *III. Part. Lib. XII. cap.* XVIII. *quæſt.* VI. Mihi autem talis opinio probabilis non eſt. Propterea ſimonia eſt quidquam accipere pro ipſa Theologia acquiſita, qua docetur doctrina chriſtiana, prædicatur Evangelium, & inſtruuntur fideles in æternæ ſalutis negotio. Dicit enim Chriſtus Dominus Matth. x. *Euntes, prædicate, docentes* &c. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Qui autem docent Theologiam, vel ſacram Scripturam in ſcholis ad auditores erudiendos pactis ſtipendiis, ſimoniam non committunt, ut communiter Auctores docent: quia licet talis doctrina ex principiis ſupernaturalibus proficiſcatur; tamen ſola induſtria, & labore humano traditur, neque ad iuſtificandos auditores dirigitur. Contra ſi quis ab eiuſmodi magiſtris & doctoribus pro ſpirituali animæ negotio extricando conſilium peteret, ſimonia eſſet quidquam recipere pro eiuſmodi conſiliis.

CAPUT V.

De simonia quae committi in ingressu Religionis potest. Salmanticensium, *& aliorum Casuistarum laxae opiniones refelluntur.*

I. HIsce diebus perdoctus Eques D. Franciscus Vargas Macciucca dissertationem edidit contra simoniam grassantem in ingressu puellarum in Monasteria, & in earumdem professione. Uberrima eruditionis & doctrinae copia profligat simoniacas corruptelas, quas serpere in dies videmus, dum eiusmodi puellae vestem religiosam induunt, & professionem monasticam emittunt. Casuistae non pauci videntes abusum gravissimum auferri vix posse, more consueto inflectere ipsum naturale divinumque ius, nedum sacros canones ad sacrilegum praevalentemque abusum, atque consuetis distinctiunculis & commentis simoniae crimen fucare conantur. Viam prorsus oppositam omni saeculo semper insttiterunt sacra Concilia, sanctique Doctores. Quo magis serpere in Monialium Monasteriis simoniae scelus conspexere, eo altius vocis sonitum exaltarunt, & severiores canones edidere; quorum paucos ex plurimis transcribam.

II. Et principio duo praemitto tamquam certa. Primum, Monasteria sive virorum, sive mulierum victum & vestitum pro solo novitiatus, seu probationis anno exigere iure posse; ut Concilium Tridentinum *sess.* XXV. *cap.* XVI. statuit. *Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiae illius temporis quo in probatione est, QUOCUMQUE PRAETEXTU . . . Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur.* Alterum, iure naturali, divino, & ecclesiastico vetitum esse, aliquid tamquam pretium accipere, vel tradere, sive pro habitus sacri susceptione, sive pro monastica professione. Haec duo certa sunt penes omnes Verum non pauci Casuistae, qui pecuniam considerant ut pretium, & ut motivum principale, aut secundarium, & titulo paupertatis ac sustentationis traditam, omnem simoniae labem de medio tollunt. Sacri vero canones adeo sunt uculenti, ut omnes praefatas distinctiunculas & excogitata commenta profligent.

III. Missis antiquorum Conciliorum canonibus, quos larga manu exhibent Thomassinus, Lupus, & permulti alii, transcribo quae statuit Concilium oecumenicum Lateranense IV. sub Innocentio III. celebratum an. 1215. *can.* LXIV. ubi haec habentur. *Quoniam simoniaca labes usque adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, PAUPERTATIS PRAETEXTU volentes huiusmodi vitium palliare: ne id de cetero fiat penitus probibemus, statuentes ut* *quae-*

quæcumque de cetero talem commiserint pravitatem, tam recipiens, quam recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudenda. De his autem quæ ante hoc synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de Monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis eiusdem Ordinis collocentur. Quod si forte propter nimiam multitudinem, alibi nequiverint commode collocari, ne damnabiliter in sæculo evagentur, recipiantur in eisdem Monasteriis dispensative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis. Hoc etiam circa Monachos, & alios Regulares decernimus observandum. Verum ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus ut diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœceses publicari.

IV. Quid clarius, quid luculentius desiderari potest? Concilium istud œcumenicum est, in quo quadringenti & duodecim Episcopi interfuere, & doctissimus atque sanctissimus Pontifex Innocentius III. eidem præsedit. Similia præscripta antea fuerant in œcumenico Concilio Nicæno II. an. 787.

V. S. Thomas, qui post Concilium Lateranense scripsit, 2. 2. *quæst.* c. *art.* 3. *ad* 4. hæc docet. *Dicendum, quod pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; licet tamen, si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes: similiter etiam licitum est, si propter devotionem quam aliquis ad Monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in Monasterio recipiatur; sicut etiam licitum est aliquem e converso provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum: licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel recipere pro ingressu Monasterii, ut habetur* 1. *quæst.* 11. *cap.* Quam pio.

VI. P. Carolus Billuart *loc. cit. consect.* IV. hanc S. Thomæ doctrinam, quam etiam tradit in *IV. dist.* XXV. *quæst.* III. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 7. contendit intelligendam esse non de sustentatione præcise, sed de sustentatione inferente gravamen Monasterio. At interpretatio hæc arbitraria est. Doctrina S. Thomæ clara & perspicua est, atque vera: nempe, admissa hypothesi, quod Monasterium sit ita tenue, quod revera alere nequeat professuros in eadem Religione, tunc titulo veræ & realis paupertatis aliquid potest accipere pro sustentatione, secluso omni pacto & conventione, sive expressa, sive tacita & implicita, per modum eleemosynæ. Doctrina ergo S. Thomæ hypothetica est. Concilium Lateranense absolute quidquam recipi vetavit, quia sub fictæ paupertatis colore recipi res temporales communiter in Monasteriis præsertim Monialium solitum erat. Et quoniam reipsa sub hac paupertatis & sustentationis larva exigere Moniales per-

ge-

gebant pro ingressu in Monasteria plura munera : idcirco post SS. Thomam, Bonaventuram, Raymundum, qui omnes eamdem, ad hoc quod attinet, docuere doctrinam, Urbanus V. sæculo XIV. clarius & expressius *cap.* Periculoso *de stat. Reg. in sexto* suso sermone plurima vetat, & præcipue *quoscumque pastus, seu prandia, seu cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias, etiam* (N. B.) *ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda directe, vel indirecte petere, vel exigere quomodocumque præsumant.*

VII. Heinc Dionysius Rikel, *Carthusianus* communiter dictus, *Lib. I. de sim. art.* 14. & *Lib. II. art.* 10. hæc docet. „ Urbanus V. tam evidenter, immo clarissime, „ omnifarie, & rigorose prohibuit omnem huiusmodi exactionem directe, indire- „ cteve factam, sive sub ratione pretii, sive sub colore indigentiæ, & sustentacu- „ li vitæ, ut constitutio illa *nullam prorsus recipiat inflexionem, retorquentiam,* „ *epikizationem*, seu *interpretationem ad oppositum* ; quemadmodum iam luce cla- „ rius ex verbis ipsius est demonstratum. Quam etiam Urbani constitutionem con- „ firmavit successor eius Gregorius absque exceptione & interpretatione. Ideo da- „ to quod Thomas, Ulricus, Raymundus, Ioannes, & qui ante Urbanum V. fue- „ runt, intenderint dicere, quod aliquid per modum sustentaculi vitæ exigi possit „ a persona recipienda, seu recepta, & quod hoc non sit simoniacum ex sua natu- „ ra; *attamen omnia illorum scripta, & dicta cessant, atque solvuntur per hoc quod* „ *Domnus Apostolicus, post eos determinavit, & iussit oppositum : per cuius defini-* „ *tionem, & probibitionem omnis talis exactio, quæ per verba Doctorum iam præ-* „ *dictorum a quibusdam licita probatur, ac reputatur, absolute prohibetur, immo si-* „ *moniaca censetur.*

VIII. Tandem Concilium Tridentinum, ut omnia effugia præcluderet, statuit ne plures in Monasteriis reciperentur quam qui vel quæ ex eorumdem reditibus ali commode possent, *sess.* XXV. *cap.* III. his verbis. *In prædictis autem Monasteriis, vel domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus* (N.B.) *constituatur, ac in posterum conservetur, qui ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.* Hæc quæ recensui, luculenta sunt, nullumque excipiunt interpretamentum. Sed verum habet quod Dionysius Carthusianus *Lib. I. de sim. art.* 17. scribit. „ Inordinata affectio, „ motusque passionum, præsertim cupiditas, corrumpunt rectæ rationis iudicium, & „ faciunt *iudicare perverse*. Idcirco avarus non impletur pecunia ; & multa puta- „ mus nobis necessaria esse quæ necessaria nobis non sunt. Religiosi ergo, si sub „ colore aliquid volunt a recipiendis, aut receptis personis exigere, in primis con- „ siderent, quod, ut ait Dominus Altisidoriensis in sua Summa, parcitas, seu te- „ nuitas victus, atque vestitus voto paupertatis indispensabiliter est annexa . . . . „ Insuper contingit quod falso prætendatur insufficientia ex eo quod proventus Mo- „ naste-

„ nasterii passim impendantur contra fundatorum, ac Ecclesiæ intentionem, in usus „ a natura bonorum Monasterii plane diversos : quo ex capite valde temerarie, „ paupertatis, sive insufficientiæ titulo', persuadent sibi licere pecuniam ab ingressuris petere, qui ex bonis Monasterii *magnifica construunt ædificia*, *divitias atque pompam sæculi*, *magis quam religiosam simplicitatem atque paupertatem exhibentia*, aut ex illis mensas sumptuosiores, quæ magis mundi delicias quam Christi „ pœnitentiam redolent, vel etiam superbam colligunt supellectilem &c."

IX. Ratio autem cur simonia sit, iure omni vetita, quidquam exigere ob ingressum, vel professionem monasticam, est, quod status religiosus sit quid spirituale, cui annexum est ius & obligatio ritu solemni firmata inserviendi Deo : idque fatentur omnes Theologi. Porro huic statui religioso coniunctum quoque est ius ad sustentationem, non secus ac præbenda annexa est officio ecclesiastico. Porro simonia est, omni iure vetita, quidquam exigere pro iure ad fructus beneficii. Continuo ac Religiosus est membrum talis Monasterii, ius habet ad alimenta, & Monasterium ex iustitia ea illi porrigere obstringitur. Omnes fatentur simoniam esse contra ius naturale & divinum, quidquam petere, vel pacisci ob ingressum istum, & professionem. Ergo, admisso gratuito ingressu, & professione, necessario consequitur debitum suppeditandi victum & vestitum. Petitio itaque pecuniæ pro sustentatione est simonia omni iure vetita.

X. Hæc omnia perspicua & evidentia sunt. At erumpunt in medium consueta & inveterata simulacra *paupertatis*, *penuriæ*, *inopiæ*, *necessitatis*, *sustentationis*, numquam a tot Conciliorum & Pontificum telis satis confossa, sed quæ ex ipsis vulneribus robustiora in dies evadunt. Quod si exterminare tot Concilia, tot apertissimi canones hanç perniciosissimam corruptelam haud valuerunt, numquid mea languidissima scriptiuncula eam profligabit?

XI. Ut paucis rem conficiam, tria omnino requiruntur ut titulo sustentationis aliquid accipi iure valeat ab ingredientibus claustra. I. Ut Monasterium revera impar sit ad alendam puellam ingressuram, & vera penuria laboret, ratione cuius nequeat victum & vestitum subministrare : qua hypothesi admissa, Monasterium paratum sit oportet gratis acceptare puellam, vel iuvenem ; sed ob veram penuriam nequeat illam, aut illum recipere, quia præbere alimenta non valet. II. Illud tantum recipiatur quod ad alendam puellam requiritur, in supplementum eorum quæ præstare Monasterium nequit ; nihil vero quod aliis Monialibus inservire debeat. III. Collata dote titulo sustentationis, nullo modo exigi potest census vitalitius, seu personalis pro commodis eiusdem puellæ, seu iuvenis qui profiteri debet. Si enim iuxta omnes etiam benigniores Casuistas recipi nihil valet nisi titulo sustentationis, data semel dote pro sustentatione, nullus superest titulus pro censu vitalitio.

XII.

XII. Nonnulla laxa consectaria Casuistarum iam convellenda sunt. Salmanticenses *tract.* XIX. *cap.* II. *punct.* 7. *num.* 47. „ Hinc etiam honestatur quod Monasteria nobilium Monialium pinguiorem dotem, & maiorem summam pro ingressæ sustentatione exigant: quia quo sunt Monasteria celebriora, maiores sumptus habent, & sic maior summa ut dos pro ingressura assignatur. " Theologia hæc, non ad evangelicæ paupertatis, non ad Tridentini, & omnium sæculorum canonum, sed ad grassantis corruptelæ normam & amussim exacta est. Quid? Non una est paupertas, non una professio, non unum Evangelium est pauperum & nobilium Monialium? In quo *celebriora* sunt hæc Monasteria præ aliis? Quia maiorem fastum & pompam præferunt, quia ingentiores sumptus faciunt. Hæc ne *celebriora* efficiunt Monasteria, quæ Christi paupertatem, humilitatem, & modestiam profitentur?

XIII. Non minus laxum est alind consectarium quod subiiciunt iidem Salmanticenses ibidem *num.* 50. „ Ceterum si præter dotem sustentationis amplius reciperent, aut peterent Moniales, vel quia ingressura est minus nobilis, *vel deformis*, vel *alia notata infamia*, *vix excusari posse* a simonia, inquit Sanchez *Lib. II. cap.* III. *dub.* XXII. *num.* 7. quod verum iudicamus, *nisi forte* (N. B.) *inde Monasterio aliquod detrimentum eveniat vel in honore, vel in aliis rebus temporalibus: quia hoc compensari per incrementum dotis licite potest*; sicut in matrimonio supra diximus compensari æqualitatem nobilitatis, vel alterius rei inter coniuges per *assignatæ dotis auctarium*. " Nisi hæc sint laxitatis paradoxa, & vilissima mercimonia, quænam erunt? Ingressus ergo & professio monastica considerari valent ut contractus civilis, quemadmodum matrimonium? Defectus nobilitatis, deformitas vultus compensari absque simonia valent, quando inde evenit detrimentum Monasterio vel in honore, vel in rebus temporalibus? Etiam ne in acceptione puellarum ad Religionem occurrunt tituli *lucri cessantis*, & *damni emergentis*? Quod puella professura sit minus pulchra, & venusta, quod sit gibbosa, aut vultu pallida, nigra, deformis, magnum inde detrimentum capit Monasterium; nonne etiam si pulcherrima anima sit? Si dixero hanc esse turpem nundinationem, excedam ne veritatis, & mitissimæ locutionis confinia?

XIV. Pergunt iidem Salmanticenses *ibidem*. „ Hinc liberatur a simonia quod apud nostras Moniales frequenter contingit, nimirum quod, ut recipiatur vigesima prima, quæ apud nos dicitur *la veinte y una*, maior dos exigitur; ut duo sorores vel tres recipiantur in eodem Monasterio, *adhuc maior summa* requiritur, nisi aliis superexcellentibus qualitatibus sint ornatæ; ut viduas admittant, *exigitur etiam ut dos augeatur*. Etenim in priori casu intenditur reddere ingressum difficilem quia cum ex *sanctissima Virgine M. N. sancta Teresia* habeant Moniales nostræ ut solum sint viginti &c. . . . In aliis duobus casibus eadem ratione maior dos exigitur, ut difficilior sit talis ingressus &c. "

XV.

XV. Quoniam mentio fit incomparabilis heroinæ Seraphicæ Matris S. Theresiæ, feminei sexus luculentissimi portenti, lubet eiusdem documenta vere divina in medium afferre, quæ in *hist. fundat. cap.* XXVI. *de fundatione Monasterii Caravagnæ* habentur. *Ne timeatis* (inquit Seraphica Virgo) *ne quidquam vobis deesse possit, neque eas umquam reiiciatis quæ Monasterium vestrum ingredi volunt, modo vobis aliunde constet, verum earum esse desiderium, easque recte dispositas esse. Licet enim magnas non habeant facultates, quibus vos in angustiis vestris iuvare possint, sufficit ut ad Religionem veniant, ut Deo liberius, & attentius serviant. Nec pensare debetis, utrum temporalibus bonis abundent, modo sint virtutibus ornatæ: quia alium modum inveniet Dominus, ut vestræ succurrat inopiæ, & multo maiora præstabit quam inde sperare potuissetis.*

Huius rei magnum habeo experimentum: novit Dominus quod, quantum meminisse possum, nullam umquam propter solam paupertatis causam recusavi, modo in reliquis mihi satisfaceret. Moniales quæ solius Dei amore receptæ sunt, quarum nostis magnum profecto esse numerum, testimonium hac in re ferre possunt: & affirmare ausim, me minori semper animi alacritate divites recepisse quam pauperes, & quæ solo Dei intuitu admittebantur. Quin potius receptio divitum numquam sine aliquo timore fuit; pauperum autem admissio spirituali gaudio plena; ita ut etiam præ gaudio aliquoties lacrymas funderem, dum vera animi libertate, & alacritate fruerer. Ecce coram Deo quia non mentior. *Si autem, dum emendæ, ædificandæque erant domus, hæc agendi ratio ex Dei misericordia ita feliciter nobis successit; quare non eamdem servaremus nunc, cum domus nostræ competenter fundatæ, & ædificatæ sunt? Mihi credite, filiolæ* (N.B.) *sæpe perdimus, dum lucrari putamus. Quando illæ quæ se se offerunt, facultates habebunt, si nullas alias obligationes habeant, cum suas opes aliis tradere necesse sit, qui fortassis nullo modo indigent, per me licet ut eas vobis per modum eleemosynæ concedant: quia si aliter in talibus circumstantiis agerent, non satis vos amare viderentur.*

XVI. Hæc est omnium Sanctorum, omnium Conciliorum doctrina. Conferantur ea quæ docent Salmanticenses cum iis quæ hic tradit documenta vere evangelica sanctissima Virgo Theresia. Mihi videntur non minus quam cælum a terra distare. Dum plurimorum Casuistarum frequentissimas opiniones offendo, quæ mihi laxitatis paradoxa videntur, sæpe me reprehendens exclamo: Numquid tu solus sapis? Numquid tu solus evangelicam doctrinam intelligis? Et his angustiis exagitatus & pressus, quasi me a Casuistarum auctoritate veluti a contrario vento abripi sentio. Verum dum animum in Evangelium, in Conciliorum, in Sanctorum doctrinam converto, istorum præsidio sane validiore & firmiore suffultus vires instauro, & plures nonnullorum Casuistarum opiniones, cum divinis Scripturis & Sanctorum documentis pugnantes, fortius pro modulo meo refellere studeo.

XVII. Quæst. I. *An a divitibus Monasteriis aliquid pro ingressu puellarum vel iuvenum titulo sustentationis recipi possit absque simonia?* Resp. Salmanticenses *loc. cit. num.* 52. respondent. *Duplex datur sententia . . . utraque probabilis*. Ipsi vero sententiam adfirmantem amplectuntur, inquientes *num.* 53. „ Si Monasterium etiam „ ditissimum a recipiendis exigat *ex pacto* pecuniam pro sustentatione, nec ex iu- „ re divino, nec ex positivo simoniam committet. " Quoniam, inquiunt, titulus sustentationis idem est in divite ac in paupere Monasterio. In paupere acceptio pecuniæ ex pacto non est simoniaca iure divino vetita: ergo neque in divite Monasterio. Quod non sit simonia prohibita iure humano evincunt sic. Concilium Tridentinum permittit tempore novitiatus exigere pecunias pro victu & vestitu. *Sed eadem ratio est pro aliis temporibus*. Et tandem nullus datur textus expresse hoc prohibens. Hæc sunt tria sophismata, supra quam dici potest, vana, quibus hanc munire opinationem student, pro qua citant *Aravium*, *Torrem*, *Candidum*, *Sylvestrum*, *Sotum*, *Talaum*, *Avarrum*, *Bonacinam*, *Sanchezium*, & alios. An hi omnes revera tam laxam opinionem doceant, penes Salmanticenses sit. Ad Dominicum Sotum quod attinet, hæc *Lib. IX. quæst.* VI. *art.* 2. *in fin.* docet. *Quocirca Monasteria ditissima, quæ pauperes recipere absque pretio renuunt, eodemque ingenti, profecto citra scandalum facere id non possunt; tunc maxime quando videntur pecuniam recipere, non pro sustentatione, sed aliis de causis, nempe quia puella non est tam bono sanguine nata, aut alia notata infamia, aut deformitate. Hæc enim pretio in Conventu æstimare, vix a simoniæ macula elui potest*.

XVIII. Recensita Salmanticensium & aliorum opinatio laxa, falsa, & scandali plena est. Ipsi fatentur *num.* 54. avaritiæ scandalum, & simoniæ præsumptionem præferre talem pecuniæ receptionem; addunt tamen laxitatem laxitati, nempe *consuetudine ubique recepta* purgari vel ab ipsa simoniæ præsumptione, & avaritiæ nota has pecuniarum exactiones. Iniuria summa pro hac opinione citant S. Thomam. Ratiunculæ quas obtrudunt, sunt apertissima sophismata. Quid? Titulus sustentationis idem est in ditissimo Monasterio ac in paupere? Manducare, bibere, vestire dubio procul idem est in paupere ac in opulentissimo Monasterio physice. Accipere rem alienam in extrema necessitate, & in plena abundantia physice idem est; & tamen in posteriori casu furtum est, secus in priori. In Monasterio ditissimo deest paupertas seu inopia: ergo deest titulus accipiendi. Ergo simonia est naturali & divino iure vetita quidquam accipere. Concilium Tridentinum permittit pro anno novitiatus expensas victus exigere, quia omnes possent fingere susceptionem habitus, & per annum Monasterii expensis lætanter vivere. Novitii non sunt Monasterii membra. Idcirco expresse prohibet Tridentinum pro tempore alio quidquam recipi. Est apertissima falsitas quod nullus textus prohibeat hanc pecuniarum receptionem, ut patet ex paucis quos adduxi. Sed piget refellere argutationes, & vitiligationes sane vanissimas.

XIX.

XIX. MONITUM ad Confessarios. Sæpe mecum serio cogitavi, unde in Monialibus avaritiæ, & simoniæ labes proficiscatur. Istæ Casuistis non student: morum doctrinam a suis Confessariis epotant. Ergo Monialium falsæ, & obstinatæ persuasiones a Confessariis cum primis proficiscuntur. Si enim Confessarii uno ore intrepide sacramentorum administrationem Monialibus divitibus, & ditissimis, accipientibus pecuniarum summam ab ingredientibus puellis, denegarent, istæ destitutæ casuisticis distinctiunculis cervices submitterent, & tandem resipiscerent. Sed reponunt Confessarii, Monasteria ditissima suas habere consuetudines inveteratas, quas qui evellere auderent, continuo repellerentur. Peregregie. Hæc unica silentii ratio? Timor amittendi *Confessionarii* os obstruit? Quid quod vel ipsis Confessariis solvi a puellis pecuniæ debent? Obtrudunt Confessarii Casuistarum auctoritatem, & Episcoporum tolerantiam. Episcopi viderint, inquiunt Confessarii: & Episcopi reclamant, Viderint Confessarii. Et infra hæc septa simoniæ & avaritiæ scandala grassantur, & animarum strages inducitur. Quo ditiora sunt Monasteria, eo copiosiores reditus accipiunt Confessarii. Si Moniales votum paupertatis servarent, exactamque communitatem; crebra munera & munuscula non acciperent Confessarii: idcirco apostolicæ communitatis observantia non suadetur, & contra horrendum simoniæ crimen non inclamatur. Quid, si hic recensere vellem omnes expensas quas facere miseri parentes puellæ Novitiæ, in Musica, in apparatu Ecclesiæ, in prandiis, in muneribus tradendis singulis Monialibus, & vel ipsis Confessariis, in dote, in censu vitalitio, coguntur? Ea sane summa conficitur qua fundi emi possent sufficientes ad alendam per totam vitam puellam ditissima & celebriora Monasteria ingredientem. Quid, si absurda quæ heinc necessario consequuntur, sermone complecti vellem? Innumeræ sunt puellæ pauperes optimæ indolis, & morum integritate ornatæ, quæ Monasteria sanctitatis splendore illustrarent; ateiiciuntur, quia dote, quia censu vitalitio carent. Recipiuntur sæpe divites nullo indolis, & morum instituto examine. Habeant, aut careant vocatione, & spiritu religionis, dummodo non careant dote, & censu, acceptari solent. Inde fit ut Monasteria quo ditiora sunt, non propterea Dei spiritu, & observantia regulari magis abundent. Quare si vera sunt Christi oracula, uti sunt verissima: Quam *difficile est divites intrare in regnum cælorum*! *Facilius est camelum per foramen acus transire quam* &c. profecto in Religiosis maxime, & in primis qui solemni voto divitiis renuntiarunt, locum habent. Horum omnium absurdorum, corruptelarum, & scandalorum proximiores caussæ extrinsecæ vereor ne sint Confessarii, qui os clausum tenent ad exterminandas corruptelas.

XX. Præstigia dæmonis, & avaritiæ seductiones decipiunt eos qui effutiunt remedium impossibile esse. Qui sunt hi qui talia obtrudunt? Illi ipsi qui clementiam Dei, qui suavitatem iugi Christi exaggerant, qui gratiam divinam præsto adess-

adesse omnibus, qui præcepta divina observatu faciliora prædicant. Tum solum de divinis auxiliis, & cælesti præsidio diffidunt, cum scelerum amputandæ radices sunt. Legem ferant Episcopi, qua congrui reditus a Monasteriis tradendi Confessariis pro sufficienti sustentatione designentur, severissimis adiectis pœnis, ne præter hos reditus vel crustulum quidem in munus tradatur, aut accipiatur: eligant Confessarios in disciplina monastica versatos, spiritu evangelicæ paupertatis, & morum integritate ornatos: & continuo reformata erunt Monasteria. Edicta, legesque, & cetera omnia effectu carent, nisi Confessarii eo spiritu & pectore evangelico præditi sint qui, universo mundo contempto, executioni legum Moniales subiiciant. Soli Confessarii evangelicam paupertatem altius inculcando, & a sacramentis arcendo, refractarias exterminare corruptelas valent. At reponunt Episcopi: Ubinam sunt Confessarii isti? Respondet Angelicus Doctor, immo Scripturæ divinæ, numquam Deum ita deserere Ecclesiam suam, quin de optimis ministris illi provideat. Plura scriberem, nisi ad alia properare deberem.

CAPUT VI.

De simonia in collatione beneficiorum.

I. IN beneficiorum collatione potissimum serpit simoniæ crimen: & ideo Auctores non pauci innumeras excogitarunt distinctiunculas, seu larvas, simoniæ vultui affigendas. Ea qua potero brevitate graviora puncta excutiam.

II. Quæst. I. *Est ne simonia, iure divino vetita, beneficia quæcumque conferre intuitu temporalis emolumenti?* Resp. Duo in beneficiis includuntur iura. Aliud spirituale, seu ius administrandi spiritualia, & dicitur *Officium*: aliud est ius percipiendi temporalia, & dicitur *Præbenda*, seu *Beneficium*. Iuxta omnes simonia est, omni iure vetita, a qua nec Papa dispensare valet, venditio beneficii, prout ius dicit administrandi spiritualia. Disputant Auctores, num sit simonia, iure divino prohibita, captare, vel conferre beneficia intuitu solius temporalis emolumenti? Negant Lessius, Ugolinus, & probabile asserit Bonacina. Sed hac opinione reiecta ut falsa, S. Thomas 2. 2. *quæst.* c. *art.* 4. adfirmantem sententiam defendit. Advertit autem, alia esse annexa spiritualibus antecedenter; ut patet in calice consecrato, in quo primum omnium præcedit temporale, nempe aurum, vel argentum, cui postea succedit consecratio: alia consequenter, quatenus emolumentum temporale consequitur ad spirituale. De his autem hæc docet. *Huiusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus; & propter hoc nullo modo vendere licet: quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subiici.* Idque iure quoque canonico declaratum est cap. *Si quis* &c. 1. quæst. 111. his verbis. *Qui horum alterum vendit sine quo alterum non provenit, nihil invenditum relinquit.* Ratio evi-

videns est : quia ius ad temporales reditus ita annexum est cum iure ad officia spiritualia, ut separari nullo modo valeat. Distinguendi itaque sunt fructus beneficii, quos locare, vendere, permutare Beneficiarius valet, a iure percipiendi hos fructus. Hoc autem ius beneficiale inseparabile est a iure priori administrandi spiritualia : idcirco qui unum vendit, & alterum vendat necessum est. Et, hac sola distinctione posita, evanescunt adversariorum offuciæ.

III. Quæst. II. *Est ne simonia aliquid offerre Titio, ut intercedat apud collatorem?* Resp. P. Claudius La-Croix *Lib. III. num.* 90. adfirmat, quod probabilius sit esse simoniam, contra Dianam, dum pecuniam præbes Titio, ut is intercedat apud Sempronium, ut postea Sempronius intercedat apud collatorem : quia pretium saltem mediate datur pro beneficio. Verum continuo subdit, non esse simoniam, si des pro labore. Cuius laxam opinionem transcribit de more P. Nicolaus Mazzotta *tract.* III. *disp.* V. *cap.* III. *pag.* 235. „ Si autem des aliquid intercessori „ sive mediato, sive immediato, non quidem pro intercessione, sed pro labore, „ lucro cessante, damno emergente, *dispendio temporis* &c. in eundo & redeundo, non est simonia : quia ista sunt quid temporale omnino extrinsecum. *Croix* „ *num.* 91. & alii communiter." Revera Croix totidem verbis hanc laxam opinionem docet cum *Diana*, *Castropalao*, *Raynaudo*, & aliis. Istius opinionis laxitas evidens est. Tradere pecuniam pro intercessione apud collatorem beneficii, simoniam esse fatentur; tradere vero pecuniam pro tempore impendendo in loquendo, in intercedendo, pro lucro cessante, & damno emergente, in eundo, & in redeundo, non est simonia? Cur? Quia hæc sunt quid temporale omnino extrinsecum. Ita ne vero? Fieri ergo potest intercessio *sine aliquo temporis dispendio, sine accessu, & recessu a collatore*? Si quis intercedere debet, loquatur oportet. Mutus ne intercessor? Per nutus, & signa intercedet? At & ista, ut fiant, temporis intervallum, accessum, & recessum postulant. Tam ridicularia paradoxa refellere cogor? Quis tam stultus qui non dicat, pecuniam se tradere non pro intercessione, sed pro tempore quod insumere intercessor debet in loquendo, in eundo, & redeundo? Lepida hæc & venusta mihi videntur commenta, nec dubito quin talia apparere aliis debeant. Diana has distinctiones invenit : easdem transcripsere alii Casuistæ: easdem compilavit Croix, & ex Croix Mazzotta : & postea concludunt : *Ita communiter Doctores*. Verum Doctores Ecclesiæ, & sacri canones oppositum apertissime docent. *Qui beneficium* (inquit S. Carolus in Concil. Mediol. I.) *ecclesiasticum vacans multis & ambitiosis precibus per se, vel per alios petierit, eo facto ita redditur indignus, ut per biennium in eum neque illud, neque aliud beneficium conferri possit*. S. Bernardus *Lib. IV. de consid. cap.* IV. inquit : *Alius pro alio, alius forte & pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus : qui ipse rogat pro se, iam iudicatus est : nec interest, per se, an per alium quis roget*. Quæ zeli te-

la non iaculasset Bernardus, si audisset absque simoniæ crimine offerri pecuniam posse non pro intercessione, sed pro tempore in intercessione oranda consumendo, pro lucro cessante, & damno emergente ex iactura temporis insumpti in loquendo, in eundo, & redeundo?

IV. Quæst. III. *An vendere habitus, & commendas ordinum militarium sit simonia?* Resp. Venditionem habituum ordinum militarium qui dantur Religiosis choro, & divino officio deputatis, esse simoniam, non secus ac venditionem alterius habitus religiosi, fatentur omnes. Similiter venditio commendarum spiritualium simoniaca penes omnes est. De commendis vero, & habitibus militiæ Equitum militarium non esse simoniam, si emantur, aut vendantur, docent Salmanticenses *num. 65.* ubi plures citant. Quia habitus, & commendæ istæ dantur principaliter propter honorem, & temporale emolumentum, quamquam tradantur personis *religiosis*. Titulus enim omnino sæcularis est, inquiunt. Peccare tamen mortaliter contra iustitiam afferunt illos qui hæc vendunt: quia agunt & contra finem, intentionemque fundatorum, & contra bonum publicum Religionis militaris. Debent enim hæc conferri illis qui in christianæ Reipublicæ defensionem præliati sunt. Quare emptores, & venditores talium commendarum, & habituum infesti sunt bono publico Religionis, & christianæ Reipublicæ, iuraque divina, & humana pervertunt.

X. Quæst. IV. *An pensiones, & præstimonia emi, aut vendi absque simonia possint?* Resp. Alia est pensio erecta in titulum beneficii, ut præstimonia, seu beneficia simplicia, quæ vere & proprie sunt beneficia: & de his pensionibus disputatio nulla; cum certum sit simoniacos esse illarum emptores & venditores. Alias pensiones vocant *clericalem*, *laicalem*, & *mixtam*. *Laicalis* indiscriminatim conferri potest & laicis, & Clericis, quia Ordinem non supponit, neque ad aliquid spirituale ordinatur. *Clericalis* in accipiente supponit Ordinem, & ad functiones spirituales ordinatur. *Mixta* est quæ in accipiente Ordinem supponit; at datur titulo prorsus temporali, & ad functionem omnino temporalem. Hanc esse quadruplicem aiunt, quæ non datur quidem in beneficii titulum, sed *pro beneficio*. 1. Datur Clerico pauperi in alimentum. 2. Parocho seni impotenti. 3. Resignanti beneficium pacifice possessum. 4. Uni litigantium circa beneficia ob bonum pacis. Vendere pensiones clericales iure naturali, divino, & humano simonia est, ut omnes fatentur. Vendere tres alias pensiones, quæ non dantur in titulum beneficii, sed pro beneficio, communis sententia docet non esse simoniam iure naturali, & divino prohibitam; cum nihil spirituale contineant, nec propter bonum spirituale tradantur, licet dentur Clerico; qui si relinqueret statum clericalem, pensionem amitteret: immo sunt qui contendunt, neque iure ecclesiastico esse vetitam, ut simoniacam, eiusmodi venditionem. Verum ex Bulla S. Pii V. quæ inci-

ci-

cipit, *Ex proximo*, omnes recensitæ pensiones annexæ sunt titulo spirituali, omnesque Clerici pensionarii astringuntur recitare officium parvum B. V. ideo nec vendi, nec redimi absque simonia valent. P. Lessius de more asserit *num.* 129. Bullam S. Pii V. nullibi esse receptam; sed Lessius fallitur, fallitque. Testantur enim Salmanticenses *num.* 74. ex Raphaele a Torre, in Hispania esse receptam. Et communis sententia docet, eiusmodi pensiones vendi, aut redimi absque simonia non posse.

VI. Quæst. V. *An vendi absque simonia possit iuspatronatus?* Resp. Sermo nunc est non de civili, sed de canonico, seu ecclesiastico iurepatronatu. Tribus modis iuris dispositione acquiritur iuspatronatus, ut commune habet axioma: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*: ex privilegio quoque Papæ, aut ex multiplicatis præsentationibus, quæ excedant hominum memoriam. Iuspatronatus ecclesiasticus dicitur, non quia Clericus possidet: is enim laicum iuspatronatum possidere etiam valet: sed ecclesiasticus nuncupatur, vel quia habetur ratione dignitatis ecclesiasticæ; vel quia ille cui competit, ex bonis ecclesiasticis fundavit, ædificavit, aut dotavit Ecclesiam. Laicus est quem quis habet, quia de bonis sæcularibus fundavit, dotavit, aut ædificavit Ecclesiam, vel beneficium. Iuspatronatus laicus, si donatione, aut alio titulo immigret in Ecclesiam, Capitulum, vel Monasterium, vel annectatur alicui dignitati, aut beneficio ecclesiastico, fit ecclesiasticus; ut habetur *§. de iurepatronatus* in VI. Iuspatronatus laicus intra quatuor, ecclesiasticus intra sex menses præsentare tenetur.

VII. Quæritur ergo, num iuspatronatus præsentandi ad aliqua beneficia ecclesiastica possit absque simonia vendi? Convenit penes omnes simoniacam esse talem venditionem iure ecclesiastico; ut patet ex cap. *de iurepatronatus*, & cap. *Præterea*. Disputant vero Auctores in utramque partem, sit ne simoniaca talis venditio etiam iure divino! Affirmant plures, quia tale ius est spirituale, ab ecclesiastica potestate institutum, & ad finem spiritualem ordinatum. Et hæc opinio videtur probabilior.

VIII. Si iuspatronatus annexus sit fundo, vendi potest ratione rei cui hæret; dummodo fundus pluris non vendatur ratione iurispatronatus. Si iuspatronatus hæreat non rei, sed personæ, tum nullo modo, neque hereditario iure, neque donatione, neque venditione transire ad alios valet.

IX. Quæst. VI. *Est ne simonia dare pecuniam pro beneficio patrono hæretico?* Resp. Affirmans sententia vera est. Verum, si hæreticus sit publice denuntiatus, sicut excommunicatus, amisit iuspatronatum. In hæreticis tamen toleratis manere iuspatronatum defendunt plures. P. Claudius La-Croix *Lib. III. part. 1. num.* 135. probabile iudicat non esse simoniam dare hæretico patrono pecuniam, ut non eligat hæreticum, vel Catholicum indignum; etiamsi contingat, tibi tradenti pecu-

niam beneficium conferri. Verum abſque ſcandalo hoc fieri non poſſe exiſtimo. Neque prætextus vexationis redimendæ locum in hoc caſu habere poteſt, quando tibi confertur beneficium, cum ius acquiſitum ad illud non habeas. Et quamvis impediri pecunia poſſit ne indignus eligatur; tamen hæc vexationis redemptio cum hæreticis peracta ſcandalo carere vix poteſt.

CAPUT VII.

De variis modis, conventionibus, & pactis perpetrandi ſimoniam.

I. QUæſt. I. *Utrum poſt acquiſitum ius in re, vel ad rem ſpiritualem, poſſit vexatio contra illud pecunia auferri abſque ſimonia?* Reſp. Ius acquiſitum iuſtitia commutante debitum eſt, & alio nomine vocatur *ius in re*. Qui electus eſt ad beneficium, habetque collationem a legitimo Superiore, licet nondum poſſeſſionem obtinuerit, habet ius acquiſitum in re. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* c. *art.* 2. *ad* 5. docet. *Poſtquam ius alicui acquiſitum eſt, licet per pecuniam iniuſta impedimenta removere*. Quoniam qui in hac hypotheſi vexationem redimit, pecuniam non tradit, neque tradere poteſt pro re ſpirituali, quam iam habet, ſed pro iniuria quam iniuſte patitur, repellenda. Doctrinæ S. Thomæ omnes ſubſcribunt. Advertendum tamen, ad licitam vexationis redemptionem requiri ut ius ſit certum & indubitatum, & ut vexatio ſit iniuſta. Si enim dubium ſit ius, aut iuſta vexatio, tunc redemptio vexationis ſimoniaca eſt. Titius obtinuit beneficium: Sempronius competitor eidem litem intentat iuſtam, eo quod electio, aut præſentatio, aut inſtitutio Titii in controverſiam vocatur. Si Titius pecunia curaret ut Sempronius deſiſteret ab intentata lite, ſimoniam committeret: quia ius dubium ad beneficium pecunia certum & firmum efficere ſtuderet. Quod verum habet, etiamſi dubites, num lis futura ſit nec ne iuſta. Quamobrem, ut redemptio vexationis pecunia procurata a ſimoniæ macula libera ſit, neceſſum eſt ut ius acquiſitum nulli ſit dubitationi obnoxium, ſed firmum, & inconcuſſum.

II. Ex quibus colligitur, te non poſſe pecunia abſque ſimonia redimere vexationem, ſi Prælatus tibi beneficium ob perpetratum delictum auferat: quia tunc ius acquiſitum in diſcrimen ab habente poteſtatem vocatur. Similiter quando duo litigant ſuper præſentatione, electione, inſtitutione ad aliquod beneficium, neutri licet transfigere, & offerre uni parti aut pretium, aut penſionem. Uterque quippe ſimoniam committeret, & qui ius ſuum, accepta pecunia, vel penſione, renuntiaret, & qui traderet pecuniam, aut penſionem. Simoniacus ſimiliter eſſet qui electus ad beneficium opulentum, offerret competitori beneficium tenue, vel eum eligeret in ſuum Vicarium, vel quodcumque ſpirituale traderet, ut liber eſ-

ſet a vexatione : quia emeret rem temporalem, nempe immunitatem a vexatione, re ſpirituali.

III. Quæſt. II. *Eſt ne ſimonia pecunia redimere vexationem iniuſtam circa beneficii poſſeſſionem ?* Reſp. Adfirmant plures ; ſed vera ſententia, quæ eſt S. Thomæ, negat tunc committi ſimoniam. Quandoquidem qui ius ad poſſeſſionem certum & inconcuſſum habet, & iniuſte detrudi curatur a poſſeſſione vel obtenta, vel obtinenda, nihil ſpirituale tum acquirit, dum hanc iniuſtam vexationem pecunia redimit. Nec eſt quod opponas poſſeſſionem eſſe ſpiritualem : quoniam poſſeſſio ſpiritualis eſt ratione tituli ſeu iuris ad illam. Quando ius iſtud certum & inconcuſſum eſt, nihil ſpirituale acquirendum ſupereſt. Et tunc poſſeſſio in ſolo facto conſiſtit : hoc autem eſt omnino temporale. Pretium ergo hoc in caſu non pro re ſpirituali, ſed temporali datur. Tunc eſſet redemptio iniuſtæ vexationis ſimoniaca, quando lis eſſet contra ius ad poſſeſſionem. Diſtinguendum ergo eſt ius a facto, & ſic omnis difficultas evaneſcit.

IV. Quæſt. III. *An redimere pecunia vexationem ante acquiſitum ius in re ſit ſimonia ?* Reſp. Adfirmat S. Thomas 2. 2. *quæſt.* c. *art.* 2. *ad* 5. his verbis. *Dicendum, quod antequam alicui acquiratur ius in Epiſcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per electionem, vel proviſionem, ſeu collationem, ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula pecunia redimere : ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam.* His paucis verbis Angelici Doctoris plurimi caſus reſolvuntur in hac materia. Omnes enim qui *per pecuniam parant ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam, ſimoniaci ſunt.* Qui igitur electus a maiori parte electorum ad beneficium eſſet, aliis contradicentibus, ſi pecunia redimeret hanc contradictionem, ſimoniam patraret : quia pecunia ad beneficium ſibi viam pararet.

V. Diſtinguunt communiter Auctores vexationem contra ius acquirendum ad beneficium intentatam ab eo qui obeſſe valet, ſed non prodeſſe, ſeu iuvare ; & vexationem intentatam ab eo qui obeſſe, & prodeſſe poteſt. Exemplum primæ vexationis eſt. Titius homo privatus accuſat Sempronium de falſo crimine, de ineptitudine ad beneficium aſſequendum ; vel electores donis corrumpit, ut alteri competitori beneficium conferant. Vexatio hæc ab eo manat qui obeſſe, ſeu impedire poteſt, & iuvare nequit. Exemplum ſecundæ vexationis eſto. Elector, præſentator, aut quilibet qui in conferendo beneficio partem aliquam habet, iniuſte te vexat, ne acquiras beneficium, duplici modo : vel ut privata perſona te calumniando, vel electores ſeducendo ; & tunc vexatio eſt, ſicuti prior, ab eo qui obeſſe poteſt, ſed non prodeſſe : vel te vexat ut elector, præſentator &c. nolens te ex odio, avaritia, aliove iniquo animo eligere, præſentare &c. Quando igitur vexatio intentatur ab eo qui obeſſe, & prodeſſe valet eligendo, con-

confirmando &c. tunc pecunia redimere talem vexationem ſimonia manifeſta eſt : quia tunc pecunia aperitur via ad beneficium obtinendum . E contrario , quando vexatio provenit ab illis qui obeſſe , ſed nullo modo prodeſſe queunt , tunc nulla eſt ſimonia per pecuniam removere iniuſta obſtacula calumniarum , accuſationum &c. quia iſti privati nullam partem in conferendo beneficio habent . Ergo pecunia iſta non parat viam ad beneficia ; ſed dumtaxat removet exteriora obſtacula iniuſta . Neque hæc impedimentorum ablatio aliquo modo influit in beneficii collationem , ſeu nullo modo movet collatores ad beneficium conferendum . Brevi, pecunia hæc non datur pro re ſpirituali, quia vexator nullo modo eam conferre poteſt : nec datur ut opem aliquo modo conferat , ſed ne impediat . Ergo pecunia traditur ob ſolam rem temporalem.

VI. Simoniam committeret qui videns ſuum competitorem corrupiſſe electores , & ipſe prætextu redimendæ vexationis electores muneribus ſibi conciliare ſtuderet : quia tunc ex regula tradita a S. Thoma viam ſibi pecunia pararet ad beneficium ſpirituale.

VII. Quæſt. IV. *Eſt ne ſimonia tradere electoribus pecuniam , ut deſiſtant ab electione indigni , vel ut , omiſſo digno , eligant digniorem ?* Reſp. Primum omnium cavendum eſt ne aliquid humani occurrat in metienda candidatorum dignitate & merito . Frequentiſſime ille eſt dignior qui rationibus tuis eſt accommodatior . Quem prævides conſiliis tuis propitium & propenſum fore , illum continuo ceteris præfers : quia quod volumus , ſanctum eſt . Abſolute loquendo licitum eſt , & a ſimoniæ labe immune pecunia removere electores ab electione indigni : quoniam , ut omnes fatentur , Eccleſia iure potitur ne indignus eligatur ad beneficia . Ergo eodem iure impedire etiam pecunia, ſi opus fuerit, quis poteſt indignorum electionem . Communiter quoque Auctores , quos citant , & ſequuntur Salmanticenſes *cap.* III. *num.* 15. adfirmant , tradi poſſe pecuniam , ut eligatur dignus aut dignior in communi , nulla deſignata perſona . Verum hoc in praxi vix poſſe abſque ſimonia contingere exiſtimo ob latentes animi affectus , & varia hominum iudicia , quibus hominum dignitas & aptitudo effingi ſolet.

VIII. Diſputant vero, num licitum ſit tradere pecuniam, ut eligatur hæc perſona privata in particulari, quia dignior reputatur . Communis , veraque ſententia defendit, ſimoniam committere qui traderet pecuniam, ut eligeretur Petrus , quando ſolus ipſe eſſet dignus vel dignior in concurſu plurium . Addunt vero Salmanticenſes *num.* 17. ſimoniam non committi , ſi in concurſu plurium duo , vel tres , vel ſolus Petrus ſit dignior ; & offeratur pecunia , non ut hic Petrus eligatur, ſed ut in communi eligatur dignior , quamvis Petrus ſit ſolus dignior : quia , inquiunt , in hoc ſecundo caſu pecuniæ elargitio terminatur ad dignum

ſpe-

specificative, non ad ipsam Petri personam. Verum hæ sunt meræ speculationes, quæ ad praxim redigi vix valent absque scandalo, & simonia.

IX. Quæst. V. *Est ne simonia permutare res spirituales pro aliis spiritualibus?* Resp. Communis sententia negat, exceptis beneficiis. Quare licitum est te hac hebdomada celebrare quatuor Missas, ut totidem alio tempore pro te Petrus celebret; tot preces fundere eo pacto ut alter preces alias recitet; te hanc reliquiam tradere ea conventione, ut alia tibi tradatur &c. Si tamen rei spirituali, puta reliquiæ, admixtum esset aliquod temporale, tunc simonia committeretur, si pro pretiosiore materia fieret permutatio. Similiter si in rebus spiritualibus permutandis excessus in una præ altera sit, gratis remittendus est, aut alia re spirituali compensandus. Hæc obvia sunt & manifesta.

X. Quæst. VI. *Permutari ne beneficia valent absque simonia?* Resp. Convenit penes omnes, iure ecclesiastico nullas permutationes beneficiorum fieri absque simonia posse, nisi accedat Superioris auctoritas, & dispensatio. Plura sunt Ecclesiæ iura quæ omnem permutationem vetant, ut constat ex cap. 1. *Cum olim* de permutat. rerum, cap. *Præterea* 2. de transact. Quæ prohibitiones eo spectant, ut simoniæ scelus impediatur. Beneficiorum tituli spirituales sunt: & hac ratione spirituale pro spirituali permutari absque simonia posset. Verum quia titulis beneficiorum annexi sunt reditus temporales, qui avaritiam & cupiditatem hominum magnopere accendunt; idcirco Ecclesia prohibuit ne absque auctoritate Superioris permutationes istiusmodi fiant.

XI. Quæst. VII. *Quid nomine beneficiorum intelligitur?* Resp. Omnia spiritualia, quæ consequenter annexa habent temporalia emolumenta, nomine beneficiorum veniunt; tametsi propriam beneficiorum rationem non habeant. Quare non licet, ut communiter vel benigniores Casuistæ docent, permutare beneficium pro Vicaria, aut Capellania amovibili. Neque licita est actionum, quibus fiunt beneficiorum provisiones, permutatio; ut si Petrus elector dicat Paulo itidem electori: Tu elige hunc, & ego eligam ad tui nutum alium: vel tu elige me, & ego eligam te: ego tibi cedam meam præsentationem, ut tu aliam præsentationem mihi cedas ad beneficium. Ne multa: æque prohibentur actionum, ac beneficiorum permutationes. Hinc peccarent, & simoniam committerent Regulares, si unus illorum alteri diceret: Ego te eligam in Priorem, ut tu me eligas in Provincialem.

XII. Quæst. VIII. *Cuius auctoritate licite fieri valent hæ beneficiorum permutationes?* Resp. Communiter Auctores docent, sufficere auctoritatem illius Superioris qui beneficia confert. Quare Episcopus nequit concedere facultatem permutandi beneficia quæ conferuntur a summo Pontifice. Si beneficia sint in diversis diœcesibus, utriusque Episcopi consensus requiritur, vel patronorum qui iure prædi-

ti sunt nominandi, & præsentandi. Consuetudo quoque legitime præscripta potest validam reddere auctoritatem concedendi eiusmodi permutationes. Ut tamen licita sit permutatio, uterque Beneficiatus habere debet ius certum inconcussum acquisitum in re, seu in beneficiis permutandis. Heinc duo qui expectant beneficia a summo Pontifice, nequeunt auctoritate Episcopi permutationes facere. Et quando duo litigant de aliquo beneficio, non queunt solius Episcopi auctoritate ius permutare, nisi uterque ius acquisitum possideat in beneficio quod permutari debet. Similiter qui dimittere beneficium intra certum tempus tenetur, nequit auctoritate Episcopi illud permutare: quia si permutaret, non dimitteret.

XIII. Quæst. IX. *Permutatores beneficiorum possunt ne pacisci simul ante consensum Superioris?* Resp. Eo ipso quod eiusmodi permutationes fieri legitima auctoritate valent, consequitur ut Beneficiati valeant convenire, pacisci, & honestas conditiones proponere, probandas, aut reiiciendas a legitimo Superiore. Immo moraliter loquendo, fieri alia via nequeunt permutationes istæ. Et postquam Superior pacta, & conventiones licitas probavit, nequeunt permutatores ab eisdem recedere. Semper tamen exprimere permutatores debent conditionem, Si Superiori placuerit, Si superior has nostras conventiones probaverit. Summo enim candore & sinceritate procedere in his permutationibus debent Beneficiati; immo ab eisdem abstinere debent, nisi gravis urgeat caussa. Semper enim permutationes istiusmodi quamdam speciem negotiationis præferunt; quam manifesta & honesta caussa, coniuncta cum Superioris consilio & auctoritate, amovere potest. Quando permutationes istæ ex aliquo defectu, etiam innoxio, nullæ sunt, nequit Beneficiatus qui permutationis caussa renuntiavit, ad suum redire beneficium propria auctoritate; sed denuo conferri a Superiore debet: quandoquidem vi talis renuntiationis perdidit titulum & possessionem sui beneficii, quod resignavit.

XIV. Quæst. X. *Acceptio pecuniæ pro collatione beneficii est ne contra iustitiam?* Resp. Negantem opinionem defenderunt olim Auctores nonnulli, quam damnavit Alexander VII. in hac proposit. 22. *Non est contra iustitiam beneficia non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod conferre non tenebatur.* Quænam evidentior iniustitia quam pretium accipere pro re quæ pretio non subiacet? Conferens beneficium de suo nihil dat; immo nihil absolute dat quod pretio æstimari possit. Ergo manifestam committit iniustitiam, dum pretium accipit. P. Croix refert *num.* 122. Castropalaum, Laym. Bonac. Lugo, & alios, docentes non committi iniustitiam, quando venditor rei spiritualis patitur incommodum aliquod, vel amittit aliquod emolumentum. Sed hæ mentales

tales imaginationes sunt, & arbitraria commenta, ad fucandam simoniam excogitata: quibus admissis, nulla est simonia; cum nullæ res spirituales conferri absque aliquo incommodo valeant.

XV. Quæst. XI. *Potest ne Episcopi auctoritate beneficium ecclesiasticum cum pensione permutari?* Resp. Pensio alia est, ut indicavi supra, erecta in titulum beneficii simplicis; alia est laicalis, quæ non requirit in pensionario Ordinem, nec ordinatur ad aliquod ministerium spirituale; alia clericalis, quæ vocatur ecclesiastica; alia mixta, quæ licet requirat in subiecto Ordinem, datur tamen ad finem temporalem. Igitur si pensio sit temporalis, neque Pontificis summi auctoritate permutari cum beneficio potest. Quia in hoc casu beneficium ecclesiasticum, quod est omnino spirituale, permutaretur cum re temporali; quod iuri divino adversatur. Salmanticenses *num.* 30. dicunt posse summum Pontificem aliis viis quam per commutationem hoc præstare: nimirum, inquiunt, si tamquam supremus dispensator utatur translatione personarum a beneficio in pensionem, & a pensione in beneficium. Verum hæc, & alia quæ ibi addunt, mihi videntur subtilia commenta, disputandi gratia excogitata. Ceterum Pontifices summi, qui tot canones gravissimos edidere adversus eiusmodi permutationes, alieni prorsus sunt a permutandis beneficiis cum rebus temporalibus quacumque excogitabili via. Quando pensio spiritualis est, tum auctoritate non Episcopi, sed Pontificis summi permutari potest. Si Episcopi nequeunt facultatem impertiri permutandi pensionem pro pensione, multo minus valent concedere facultatem permutandi beneficium cum pensione.

XVI. Quæst. XII. *Quando beneficia sunt inæqualia, possunt ne commutari, adiecta pecuniæ, vel alterius rei temporalis compensatione?* Resp. Tædet vel proponere similes quæstiunculas a pluribus Casuistis excogitatas, ob nimiam simoniæ luem. Quemadmodum multitudo morborum cogit medicos ad reperienda remedia; sic vitiorum turbæ compulerunt Theologos ad nova commenta invenienda. Quando beneficia sunt inæqualia in gradu, in dignitate, in iurisdictione, fatentur omnes, simoniam committere qui talem maiorem dignitatem compensare re temporali auderet: quia evidens tunc esset venditio rei spiritualis pro re temporali. Disputant vero, quando excessus est in fructibus beneficiorum, num talis excessus compensari pecunia, vel re temporali valeat, accedente Superioris auctoritate. Pro adfirmante sententia referunt Salmanticenses Caietanum, Lessium, Sylvestrum, Azorium, & alios. Hæc opinio manifeste falsa est, quam ipsi Salmanticenses, & communiter Auctores reiiciunt. Fructus enim sunt necessario annexi titulo beneficii; neque vendi ius ad percipiendos fructus beneficii potest, quin vendatur titulus ipse. Nec in re aperta diutius immorandum est. Salmanticenses *num.* 35. docent, solum summum Pontificem posse de plenitudine potesta-

tis

tis adinvenire modum quo fieri absque simoniæ labe valeat hæc permutatio per pecuniam; fatentur tamen hoc esse periculosum. Addo ego, & scandali plenum esse vel excogitare talia commenta. Pontifices summi sunt supremi custodes iuris divini, non dissipatores: nec ipsi excogitant subtiles modos faciendi eiusmodi permutationes, quæ præter simoniæ modo latentem, modo patentem pestem, scandalum ingerunt maximum, & turpissimam præferunt nundinationem. Si quando ob aliquam gravissimam caussam, quæ profecto non ita frequenter contingit, aliqua permutatio fieri debet, consulatur legitimus Superior. Omnia eidem sincere & candide exponantur. Nulla pactio, nulla conditio, nullum motivum illi occultetur; sed omnia manifestentur.

XVII. Quæst. XIII. *An transactio in componenda lite super beneficio fieri absque simonia possit?* Resp. Transactio communiter describitur, quod sit *pactio non gratuita de re dubia, & lite incerta, ad litem dirimendam*. Convenit penes omnes transactionem esse simoniacam, dum aut retinetur, aut remittitur ius spirituale pro temporali. In materia beneficiaria transactio, absque auctoritate Superioris facta, etiamsi res spiritualis pro spirituali transigatur, simoniaca est; cum id iure positivo prohibitum sit. Neque Episcopus ipse potest litem componere super beneficio transigendo, quod altera pars beneficium resignet, altera pensionem temporalem recipiat: quia permutaretur res spiritualis pro temporali; atque adeo simonia esset, iure naturali, & divino prohibita. Hæc plana & obvia sunt.

XVIII. Verum Salmanticenses *num.* 44. cum Layman, Suarez, Bonacina, aliisque hoc honestari pluribus titulis posse docent. Primus titulus, inquiunt, est bonum pacis. Propter bonum pacis ergo permutari pro temporali spirituale poterit? At bonum pacis, reponunt, includit temporale commodum, & utilitatem. Deinde æquitatis ratio postulat ut is qui iuri suo ad beneficium cedit, habeat alimenta unde vivat. Et tandem expensæ factæ in litis prosecutione, labores, tædia, & plura alia, quæ omnia sunt pretio æstimabilia, ob quæ Episcopus transactionem facere potest. Cedo: nonne his transactionibus, hisque titulis, & modis componuntur lites quæ in dies super agrorum possessione, super mercium contractibus fervent? Merces ergo ecclesiastica beneficia sunt? In hunc ne finem instituta beneficia ecclesiastica fuerunt, ut litigantium aviditati inserviant? Si unus litigantium unde vivat non habet, ideo ne ex beneficio, quod cedit alteri, captare alimenta iure valet? Non propria, inquis, sed Episcopi, seu Superioris auctoritate. At numquid beneficiorum naturam mutare Episcopus valet? Quid ergo agendum, quando ius ad beneficium inter duos litigantes dubium est? Expendenda merita sunt litigantium, & auctoritate Superioris digniori, & magis de Ecclesia merito, & ad Ecclesiæ inserviendum aptiori conferendum est, omni transactione

ne sublata, & commentitiis titulis, ad fucandam simoniam excogitatis, penitus reiectis. Nova hæc sunt, inquis, & contra Doctores modernos, atque praxim ipsam. Antiquorum, repono ego, doctrina hæc est, & sacrorum canonum. Alexander III. cap. *Super eo* ext. *de transactionibus* hæc decernit. *Super eo quod quæsivisti, utrum ab ecclesiastico beneficio, in litigium deducto, possit fieri transactio, tale damus responsum: quod transigi super re sacra, & litigiosa non potest. Etenim res sacræ ut possideantur aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus habere simoniæ.* Hoc idem confirmatur altero eiusdem Pontificis responso cap. *Constitutus* eodem titulo, ubi hæc habentur. *Constitutus in nostra præsentia G. Clericus sua nobis assertione monstravit, quod cum inter ipsum & A. Clericum super capella de Stratis controversia emersisset, tandem per transactionem sopita fuit. Et licet hinc inde fide præstita firmata fuisset; eam tamen præfatus A. servare recusat. Quia igitur huiusmodi transactiones speciem continent simoniæ, mandamus, quatenus, revocata transactione in irritum, causam audiatis.* Similiter Cælestinus III. eodem Decretalium titulo de quadam lite, transactione extincta, pronuntiavit: *Cum illa transactio iniquitatem simoniacam continuisse putetur*, &c.

XIX. Plura Salmanticenses *loc. cit. & seqq. num.* cum aliis recentioribus docent quæ mihi non probantur. Et ne singula refellam, ac brevitati studeam, Episcopi nequeunt ipsi beneficio de quo lis est, pensionem imponere, neque litigantes conciliare inter se, ut alter beneficium, alter pensionem habeat. Ex iure canonico tunc solum eiusmodi pensiones tolerantur, & a simoniæ labe sunt immunes, cum non ex partium conventione, sed iudicum sententia pro bono pacis, & utilitatis Ecclesiæ, non litigantium, constituuntur, non super beneficio, sed super persona beneficiaria: qua defuncta, eiusdem successor ad pensionis solutionem minime tenetur. Neque hoc quoscumque iudices, sed arbitros dumtaxat, in quos compromissum est, decernere posse, ius canonicum statuit. Et tunc secundum ius illi adiudicare arbitri isti debent beneficium absque imminutione quem habere ad illud ius probabilius cognoverint.

XX. Porro, ut magis appareat, quam falsa, ut ego quidem arbitror, sint quæ cum aliis Casuistis docent *loc. cit.* Salmanticenses, advertendum est, quod Sedes Apostolica dictam pensionem, quam imponere beneficiario arbitri solent ad litem dirimendam pro pace & utilitate Ecclesiæ, simpliciter non probat: quoniam cap. *Nisi essent* ext. *de præbendis* inquit Innocentius III. *Valde suspecta est propter exempli perniciem*: sed tolerat. Ratio videtur evidens. Nam vel ius, quod alter collitigantium cedit, est certum: & tunc pro talis iuris omnino spiritualis cessione quidquam exigere simonia manifesta est. Aut ius illud nullum est: & tum aliquid exigere, non modo simonia, sed & furtum apertum est. Aut ius dubium est: & tunc similiter fur est & simoniacus qui tale ius dubium nundinatur. Non

me

me latent subtiles distinctiunculæ plurium recentiorum ; sed arbitrariæ mihi videntur. Quando ergo controversiæ super iure ad beneficium oriuntur , qui consulere conscientiæ suæ volunt, missis plurium & Canonistarum, & Casuistarum vanis interpretamentis, curent litigantes, ut lis dirimatur, prout de iure. Et quamquam arbitri pro bono & pace Ecclesiæ uni collitigantium pensionem adiudicent , eamque ob eiusdem Ecclesiæ bonum Sedes Apostolica toleret ; non propterea pensionarius tutus in conscientia est . Altius animis hæreat , beneficia ecclesiastica non esse nundinationis materiam : aure'que christianas offendit, quod ministri Dei velint super iure ad beneficia, non secus ac super iure ad agros, ad merces, mutuis pactionibus transigere, variis excogitatis commentitiis titulis.

XXI. Quæst. XIV. *Quomodo renuntiari absque simonia beneficium possit ?* Resp. Renuntiatio est voluntaria abdicatio , qua quis beneficium quod pacifice possidet , in Prælati sui manibus dimittit. Si beneficium sit litigiosum , non requiritur auctoritas Prælati acceptantis ; sed quisque ius controversum renuntiare absolute valet. Quatuor modis fieri resignatio valet. 1. Quisque renuntiare absolute in manibus Episcopi sui potest , nulla adiecta conditione. 2. In favorem talis personæ . 3. In favorem determinatæ personæ , & sibi pensione reservata. 4. Absque designatione personæ, & cum reservatione pensionis. Renuntiatio secundo modo fieri nequit absque facultate summi Pontificis : qui talem renuntiationem probare potest, cum nulli iuri divino adversetur; & eam similiter refutare valet : & tum refutare illam debet, cum persona designata idonea non iudicatur.

XXII. Quæst. XV. *An fieri possit in manibus Episcopi resignatio in favorem Petri, dummodo hæc conditio in toto rigore a resignante non adiiciatur ?* Resp. Adfirmant Salmanticenses *num.* 55. quando resignatio fiat sub conditione, non proprie tali suspendente resignationem, sed solum declarante Prælato modum concupitum a resignante, & servandum in provisione beneficii post absolute factam renuntiationem . Immo si in ipsa renuntiatione misceantur aliqua verba quæ hunc animum perhibeant ; dummodo non sint talia quæ rigorosam conditionem inducant , ut sunt illa usitata, *non aliter*, *nec alio modo*; adhuc valere resignationem aiunt .

XXIII. Vix aliqua lex prodiit , quin aliqui vitilitigare super eadem voluerint . S. Pius V. in suo *motu proprio* 58. cuius initium est, *Quanta Ecclesiæ Dei*, prohibet Episcopis , electoribus , præsentatoribus &c. ne conferant beneficia resignata nec illis qui *verbo* , *aut nutu* fuerint a resignatoribus indicati, nec consanguineis , affinibus, familiaribusve resignatoris . Respondent Salmanticenses *num.* 56. cum P. Sanchez *dub.* 33. *num.* 19. hanc S. Pii V. constitutionem non esse in Hispania receptam , nec eam servari ; *sed esse ab ea supplicatum saltem quoad illud de non conferendis beneficiis sic vacantibus , affinibus , consanguineis , aut familiaribus Episcopi , vel resignantis* . Audistin'? Supplicatum ergo est , *ut hereditate possideamus*

san-

sanctuarium Dei? Supplicatum est ut Episcopi dispensare beneficia resignata *consanguineis*, *affinibus*, *familiaribusve suis*, *aut resignantium possint?* Optima & pulcherrima supplicatio, quam tot sacra Concilia diris devovere. Quid? Ad carnem & sanguinem respicere sive Episcopi, sive ipsi Pontifices summi licite valent in beneficiis ecclesiasticis dispensandis? At quodnam documentum istius supplicationis producitur? Nullum. Immo religiosissima, & praeclarissima Hispanorum, quorum summa & acutissima ingenia summopere ego suspicio, natio in obsequio erga S. Romanam Sedem nulli secunda, & inter omnes praestantissima, argumentum perhibet solidum confictae & imaginariae istius supplicationis. Suspicari licet inobservantiam legis unicum esse istius non acceptationis fundamentum. Saepe enim Casuistae plures argutantur: Lex non servatur: ergo non est acceptata. Verum lex lata a S. Pio V. & sacri canones prohibentes ne in beneficiis dispensandis ratio habeatur affinitatis, consanguinitatis, familiaritatis, adeo omni iuri naturali, & divino consentanei sunt, ut vim obligandi amittere nequeant sive ex supplicatione, sive ex consuetudine contraria, quae corruptela dici debet. Quid quod resignatores non sunt a Deo destinati, ut cognoscant, quinam sint ad beneficia ecclesiastica idonei Sacerdotes? Eiusmodi resignatores, qui designare non reformidant in renuntiatis beneficiis successores, proiectae sint conscientiae oportet; cum sponte tantum onus subeant reddendi rationem Deo pro successore, quem suggerunt Episcopis. Illi ne vocationis, aptitudinis, scientiae, probitatis dona cognoscunt? Illi ne a Deo ad hoc destinati? Heus tu, bone vir! Talia opponis? Quis resignantium eiusmodi cogitat. Suggerunt amicos, familiares, affines, consanguineos, ut cum sanguinis successione Dei sanctuaria transeant ad heredes. Huc recidunt omnia. Et ego, ne ultra provehar, dico, hanc Salmanticensium, & aliorum Casuistarum opinionem esse falsam, quae incrustandae simoniae dumtaxat inservit.

XXIV. Quaest. XVI. *Beneficium resignatum cum conditione rigorosa conferendi* non aliter, aut alio modo, *potest-ne Episcopus conferre cui voluerit?* Resp. Salmanticenses *num.* 57. hanc vocant gravissimam difficultatem propter auctoritatem Theologorum: quorum alii adfirmant, posse Episcopum acceptare resignationem, reiecta conditione, sive scienter, sive ignoranter adiecta conditio sit; alii negant. Principio, si resignator scienter adiiciat conditionem rigorosam, Episcopus optime se geret, si beneficium acceptaverit, reiecta conditione rigorosa temere adiecta; & quem iudicaverit in Domino digniorem, promoverit. Si ignoranter a resignatore apposita conditio sit, tum monere illum Episcopus debebit. Quod si monitus resignator institerit pro conferendo beneficio in favorem Petri, familiaris, affinis, consanguinei &c. in poenam temeritatis acceptabit resignationem, reiecta conditione. Saepe resignationes istae sunt turpes nundinationes: quamobrem iustas poenas

nas darent resignatores, si Episcopi zelo Dei succensi resignationem absolutam acceptarent, reiecta conditione. Quod opponunt Salmanticenses, iniustos fore Episcopos, vanum est. Utique unum sine altero acceptari non potest in contractibus humanis; secus in re beneficiaria.

XXV. Simoniacæ sunt renuntiationes reciprocæ, quibus tu renuntias in favorem amici Petri, ut is tibi renuntiet. Item simoniacæ sunt renuntiationes, quas vocant *triangulares*; ut, dum tu renuntias tuum beneficium Petro, ut Petrus renuntiet Paulo, & tandem Paulus suum tibi resignet. Quod addunt, posse fieri eiusmodi resignationes coram Ordinario sub duplici permutatione, commentum, & simoniæ larva est. Quando resignatio absoluta est cum solo onere pensionis spiritualis perpetuæ, disputant recentiores, num in manibus Episcopi fieri possit. Alii adfirmant, negant alii: & utramque opinionem probabilem vocant Salmanticenses *num. 59.* At solam sententiam negantem iudico probabilem, & veram. Siquidem S. Pius V. sua constitutione, cuius initium est, *Intolerabilis*, ademit Episcopis, & Prælatis inferioribus potestatem imponendi eiusmodi pensiones: quæ facultas est summo Pontifici reservata. Simoniaci sunt qui a resignatariis exigunt aut fideiussorem sæcularem, aut hypothecam, aut anticipatam solutionem: eiusmodi enim pacta manifeste simoniaca sunt.

XXVI. Quæst. XVII. *An renuntiatio beneficiorum confidentialis sit simoniaca?* Resp. Resignatio confidentialis beneficii illa dicitur quæ fit in manibus legitimi Superioris cum fiducia, quod ille in cuius gratiam renuntiatur beneficium, sibi vel alteri resignabit idem beneficium, vel aliud, vel pensionem, aut quid aliud solvet. Perinde est, si patronus præsentat Clericum ad beneficium cum fiducia, quod aut sibi, aut suis idem beneficium resignabit, vel aliquid sit donaturus. Resignatio fiduciaria cum pacto expresso, aut tacito, dubio procul simoniaca est, iure naturali, divino, & humano vetita, ut omnes fatentur. Resignatio fiduciaria, qua resignans absque ullo pacto, vel civili obligatione cedit beneficium, sed cum spe, quod resignatarius titulo gratitudinis opportuno tempore idem beneficium vel sibi, vel amico consanguineo, vel cui volueris, resignabit, aut partem fructuum solvet; quamvis absolute & speculative possit absque simonia esse, tamen in praxi ut plurimum, ne dicam semper, simoniaca est. Pius IV. constitutionem edidit quæ incipit, *Romanum Pontificem*, & S. Pius V. alteram edidit, quæ incipit, *Intolerabilis*, contra has fiduciarias resignationes, quas nullas, & irritas declararunt. Præfatæ constitutiones respiciunt personas resignantes, resignatarias, electores, collatores, præsentatores beneficiorum istorum hoc modo vacantium. In his constitutionibus præcipue prohibentur resignationes fiduciariæ per *accessum*, *regressum*, vel *ingressum*. Dicitur *Accessus*, cum Prælatus confert ius Petro impedito ob ætatem, aliamve caussam, ut quando aptus fuerit,

rit, ingrediatur beneficium, quod interim confert Paulo cum fiducia, quod tali tempore dimittet. *Regressus* nuncupatur, quando Petrus suum beneficium cedit alteri, iure retento regrediendi ad illud, casu quo resignatarius aut non solverit pensionem, aut ad maiorem dignitatem ascenderit, aut mortuus fuerit. *Ingressus* dicitur, si Petrus, antequam possideat beneficium collatum, resignet alteri, servato sibi iure illud ingrediendi, si moriatur. Hæ sunt pactiones conditionales quæ potissimum in laudatis constitutionibus prohibentur.

XXVII. Disputant Doctores, num præfatæ constitutiones non solum improbent resignationes fiduciarias cum pacto & conventione onerosa, sed etiam illas quæ fiunt cum spe ex sola gratitudine, vel amicitia. Adfirmat prima sententia, quam defendunt Suarez *Tom. V. de censuris disput.* XXII. *sect.* VI. *num.* 15. Castropalaus *disp.* III. *punct.* 19. Bonacina *punct.* 16. *§.* 1. *num.* 4. & alii. Negantem defendunt Salmanticenses *num.* 67. & citant Lessium, Lopez, Azorium, Torres, Aravium, & alios. Non vacat expendere utriusque opinionis ratiocinia, quæ pro praxi parum aut nihil deserviunt. Homines, ut alias animadverti, communiter grati non sunt, ut omnibus notum est. Ergo communiter hæc fiducia obtinendi aliquid titulo solius gratitudinis, vel amicitiæ chimærica plerumque est. Quare eiusmodi resignationes fiduciariæ in praxi simoniacæ sunt: idcirco absolute has prohibuere Pontifices summi. Sperare exercitium virtutis gratitudinis, & amicitiæ absolute laudabile est, nec prohibitioni subiacet. Quando autem hæc sincera spes reipsa detur, pendet ex confessione resignantium, neque a nobis definiri potest. Omnes fatentur, eiusmodi renuntiationes cum spe esse periculi plenas, & ut minus simoniæ mentalis labe plerumque aspersas. Si quis tamen reciperet beneficium ab eo qui cum intentione, & fiduciaria conditione verbis expressa resignaret, & nec verbo, nec nutu, nec facto annueret pravæ voluntati resignantis, sed animum omnino a simonia alienum gereret, eaque dumtaxat intentione beneficium acciperet, ne resignator cum alio simoniacam conventionem executioni demandaret, simoniæ fiduciariæ reus non esset, inquit Natalis ab Alexandro *Lib. II. reg.* 18. Ego tamen hunc resignatarium a culpa non excusarem, quia cooperaretur pravitati resignantis. Nec excusatur ob hoc quod impedire intendat contractum simoniacum cum altero. Siquidem prius sibi quisque a propria cooperatione in alterius peccatum cavere quam impedire alienam debet.

XXVIII. Diffident quoque Casuistæ, num citatæ pontificiæ Bullæ prohibeant non solum resignationem fiduciariam beneficiorum, sed etiam resignationem fiduciariam in pensionibus, & permutationibus beneficiorum. In præfatis Bullis mentio fit, inquiunt plures, dumtaxat resignationis & cessionis alicuius beneficii sub fiducia illud recuperandi: ideo pœnæ ibidem latæ contra reos simoniæ fiduciariæ non videntur extendi contra simoniam confidentialem quæ committi in pensionibus,

bus, vel permutationibus potest. Verum disputatio isthæc nullius momenti est; & sententia adfirmans prædictas constitutiones comprehendere omnem simoniam fiduciariam, probabilior est.

XXIX. Rei simoniæ fiduciariæ præter pœnas latas contra simoniacos subiacent pœnis peculiaribus latis in dictis constitutionibus Pii IV. & S. Pii V. Cardinales, Episcopi, & Prælati rei fiduciariæ simoniæ arcentur in his Bullis ab ingressu Ecclesiæ; quam si ingrediantur, fiunt irregulares. Inferiores hac simonia inquinati, sunt ipso facto excommunicati excommunicatione summo Pontifici reservata. Tandem resignatio beneficii nullæ est: & qui hoc modo beneficium accepit, tenetur illud resignare. Tribus his pœnis ante iudicis sententiam subiacent qui sunt simonia fiduciaria maculati. Privantur quoque beneficiis quæ rite ante patratum huiusce simoniæ flagitium possidebant, & fiunt ad illa inepti. Hanc vero pœnam non incurri, nisi post iudicis sententiam, communiter Auctores docent.

XXX. Quæst. XVIII. *Simoniæ ne rei sunt qui statutum condunt de processione non facienda ad funera mortuorum, nisi certa pecuniæ summa soluta?* Resp. Sententiam adfirmantem S. Thomas 2. 2. *quæst.* c. *art.* 3. *ad* 2. docet his verbis. *Aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione ecclesiastici officii sive pro vivis, sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi sustentationis stipendium. Et eo etiam tenore pro processionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemosynæ recipiuntur. Si autem huiusmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, simoniacum esset. Unde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicuius, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem: quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur: quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet speciem exactionis; secunda autem habet speciem gratuitæ recompensationis.* Utique ministris debentur alimenta pro illorum sustentatione; at nullo modo licet res spirituales nundinari.

XXXI. Quæst. XIX. *Simoniacæ ne sunt pactiones de tanta pecunia solvenda pro sepultura, & exequiis mortuorum?* Resp. Plura sunt Conciliorum decreta contra æstuantem Clericorum avaritiam vel in ipsa mortuorum sepultura. Omissis plurimis, transcribo quæ Concilium generale Lateranense sub Alexandro III. *can.* VII. decernit. *Cum in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex caritate tractari, & quod gratis receptum est, gratis impendi; horribile nimis est quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere; ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis ecclesiasticis ponendis in sede, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam; nec non pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus*

bus nubentium, seu aliis sacramentis, aliquid exigatur; & ille qui indiget, non possit ista percipere, nisi manum implere curaverit largitoris. Putant plures ex hoc ipso sibi, quia legem moris de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non satis, quia cupiditate caecati sunt, attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cetero fiat, vel pro personis ecclesiasticis deducendis ad sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut mortuis sepeliendis, seu etiam nubentibus benedicendis, seu etiam aliis sacramentis aliquid exigatur, districtius inhibemus. Si quis autem contra hoc venire praesumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum, cuius factum turpis muneris exactione imitatur. Similia praescribit Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi IV. *can.* lx. Legatur Tridentinum *sess.* xxi. *de reform. cap.* 1. & *sess.* xiv. *cap.* 1. *de reform.* Verum quamtumvis luculenti sint sacri canones, & Ecclesiae Patres vocis sonitum exaltent; non propterea immanis plurium avaritia aures intentas praebere sinit. Excusant, armantque se avari homines consuetudinis seu inveteratae corruptelae clypeo. Clamant, hos esse suos reditus, quibus sustentantur. Heinc nullum sibi scrupulum movent pacisci, nundinari super cadaverum sepulturis, exequiis, & comitatu, seu processione. Edicta condunt de non comitandis cadaveribus ad talem Ecclesiam, de non pulsandis toties campanis, nisi tanta pecuniae summa solvatur. Quae omnia putidissimam simoniam, & turpissimam avaritiam produnt, & scandalum gravissimum ingerunt.

XXXII. Quaest. XX. *Simoniae ne rei sunt Canonici qui principaliter choro assistunt ut accipiant distributiones?* Resp. S. Thomas *quodlib.* viii. *art.* 11. paucis verbis hanc dirimit quaestionem. *Clericus qui vadit ad Ecclesiam principaliter propter distributiones, quas recipit tamquam finem operis, committit simoniam.* Facile plures dicunt, se non principaliter, sed secundario pergere ad chorum propter distributiones. Sed serio conscientiam suam expendant, num revera ad chorum eant propter divinum cultum. Unde colligere hoc possunt? Ex pluribus signis, ex devotionis fervore, modestia, & attentione qua celebrant divinas laudes: ex omissione frequentandi chorum, quando aut nullae, aut tenues sunt distributiones.

CAPUT VIII.

De poenis contra simoniacos, & de restitutione eorum quae per simoniam acquisita sunt.

I. Simonia mentalis nulli poenae subiacet, ut cum S. Thoma 2. 2. *quaest.* c. *art.* 6. *ad* 6. docent omnes. Mentalis tunc est, quando sistit in mente, nec erumpit foras per pactum & conventionem quae exterius sit simoniaca. Quare si ipsum factum exterius sufficienter non manifestet intentionem pravam, aut non

sit connexum cum tali prava intentione, sed indifferens ad alias intentiones, simonia remanet mentalis.

II. Quæst. I. *Subiacent ne pœnis contra simoniam conventionalem latis, quando simonia non est completa ex utraque parte*? Resp. Resignavit Petrus sub promissione centum aureorum Paulo beneficium : is non solvit promissam pecuniam. Isti incurrunt ne pœnas contra simoniacos? Negant Sanchez, Lessius, Valentia, Aravius, & alii : quia, inquiunt, usquedum non solvitur pecunia, non est simonia realis completa. Quare Paulus resignatarius, donec promissam summam reddat, valide beneficium retinet. Hæc opinio falsa & laxa est. Paulus hac opinione imbutus numquam pecuniam solvet, ut retinere beneficium valide queat. Dicendum ergo, ad incurrendas pœnas contra simoniacos latas sat esse rem spiritualem tradi cum promissione pecuniæ tradendæ. Simonia enim realis est, quoties beneficium resignatur cum pacto pecuniæ tradendæ. Altercantur invicem recentiores, num ob simoniam iuris tantum ecclesiastici pœnæ incurrantur contra simoniacos. Negantem sententiam ut probabilem defendunt Salmanticenses *tract.* XIX. *cap.* IV. *punct.* I. *num.* II. & adfirmantem satis probabilem declarant. Piget similes quæstiunculas, solo arbitrio vitilitigandi super quacumque lege excogitatas, recensere. Lex non distinguit simoniacos iuris ecclesiastici, & divini; sed contra omnes simoniacos pœnas constituit. Immo cum simonia ecclesiastici iuris facilius fucetur, ut ab hac Clericos Ecclesia absterreat, pœnis gravissimis illos obstringit. Accedit quod frequenter simoniæ iuris ecclesiastici immixta sit simonia iuris divini : nec semper facile est hæc confinia definire. Quamobrem Ecclesia omnes simoniacos indiscriminatim pœnis subiicit, ut ex *extravag.* 2. *de simonia* evidenter constat : ibi enim aperte decernitur, pœnas incurrere illos qui *quomodolibet dando*, *vel acceptando* &c. Tres sunt casus in quibus incurruntur pœnæ contra simoniacos latæ, quos nunc explico.

III. Quæst. II. *Quas pœnas incurrunt qui rei sunt simoniæ contractæ ob ingressum in Religionem*? Resp. Hi sunt ipso facto excommunicati excommunicatione reservata Papæ; ut constat ex *cap.* I. *extrav. de simonia*. Contendunt plures, non incurri hanc pœnam ob simoniam perpetratam in habitus receptione, sed tantum in professione : quia in sola professione perficitur & consummatur actio ingressus. Sed hæc distinctio arbitraria est, nulloque modo eruitur ex citata lege. In eadem extravaganti suspenditur quoque Capitulum, seu Conventus qui actu capitulari aliquid daret, aut reciperet pro ingressu. Si quis ad professionem simoniace receptus est, licet valida sit professio, tamen & recipiens, & receptus e Monasterio eiiciendus est, & arctiori disciplinæ, perpetuæque pœnitentiæ subiiciendus, ut habetur cap. *de Regular. de simonia*, post iudicis sententiam. Et quando simonia est notoria, simoniaci fiunt irregulares irregularitate orta ex infamia.

IV.

IV. Quæst. III. *Quæ pœnæ impositæ sunt sacros Ordines simoniace recipientibus?* Resp. Qui per simoniam aliquem ordinat, aut ad conferendum Ordinem mediator est, anathemate innodatus est: & Ordinator ab Ordinum quorumcumque collatione, & omnium Pontificalium executione suspensus remanet, & ab Ecclesiæ ingressu, & omnium fructuum perceptione interdicitur, si suspensionem violaverit in pontificali munere. Ordinati vero obnoxii sunt excommunicationi reservatæ Pontifici, & ab Ordinum omnium, etiam eorum qui legitime suscepti fuerunt, executione suspensi remanent.

V. Qui facti inscius, alterius ope simoniace ordinatus est, ab executione Ordinis suspensus ne remanet? Negant Sanchez, Lessius, Villalobosius, & alii. Sed hæc opinio falsa est. Oppositum S. Thomas 2. 2. *quæst.* c. *art.* 6. *ad* 3. docet. *Si vero nec volente, nec sciente per alios alicuius promotio simoniace procuratur, caret Ordinis executione*. Et rationem in articuli corpore perhibet. *Quia*, inquit, *nullus potest licite retinere id quod contra voluntatem Domini acquisivit. Dominus autem, cuius Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, & ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur*. Ab his autem pœnis solus Pontifex summus dispensare valet; ut subdit ibidem *ad* 7. Angelicus.

VI. Quæst. IV. *Quas pœnas incurrit qui Ordines suscipit sub titulo patrimonii ficti?* Resp. Innocentius III. cap. *Per tuas nobis* de simon. decernit istos nec ad superiores Ordines, Diaconatum, & Presbyteratum provehendos esse, nec in suscepto Subdiaconatus Ordine posse ministrare. Has pœnas innovavit Tridentinum *sess.* XXI. *de refor. cap.* 1. inquiens: *Compertum est complures plerisque in locis ad sacros Ordines admitti, qui variis artibus, ac fallaciis confingunt, se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere. Statuit S. Synodus ne quis ita ad sacros Ordines promoveatur, antiquorum canonum pœnas super his innovando*. S. Pius V. in Bulla 7. *Romanus Pontifex*, hoc Tridentinum decretum innovans, post plura inquit: *Statuentes & decernentes, promotiones huiusmodi contra ipsius decreti Concilii Tridentini formam factas, executione prædictorum Ordinum omnino carere, nullasque prorsus & irritas existere; sicque promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse: quin immo ministrantes privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis Clericis concessis omnino privari, & irregularitates, aliasque in dicto decreto contentas pœnas eo ipso incurrere: a quibus nisi a Romano Pontifice, vel in mortis articulo, minime absolvi possint*. Et tamen quot in dies per ficta patrimonia ordinantur? Patrimonia extorquent cum promissione nihil umquam repetendi. Quoniam facti Presbyteri divitum villicos, domus præfectos, & dispensatores agent, ac matronis inservient.

VII. Quæst. V. *Quas pœnas incurrunt conferentes, & obtinentes simoniace beneficia?* Resp. Conferens, aut procurans simoniace alteri beneficium, vel officium ecclesiasti-

cum, per electionem, postulationem, confirmationem, nominationem, sive publice, sive secreto, ipso facto excommunicationi subiacet Pontifici summo reservatæ: cui pœnæ obnoxius quoque est recipiens beneficium, & omnes parentes, amici, intercessores, qui procurant ut beneficium per simoniam conferatur; quemadmodum habetur in extrav. *Cum detestabile* de simonia. Insuper irritantur omnes provisiones, & collationes eiusmodi factæ. Quare simoniaci consequentes beneficium non faciunt fructus suos, sed ante iudicis sententiam restituere eos debent, & beneficium receptum dimittere; etiamsi simonia inscio Beneficiario commissa a parentibus, aliisve amicis fuerit; ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. c. art. 6. ad 3. *Si vero eo nesciente, nec volente, per alios alicuius promotio simoniace procuratur, caret quidem ordinis executione, & tenetur resignare beneficium quod est consecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit: nisi forte inimicus eius fraudulenter pecuniam daret pro alicuius promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit: tunc enim non tenetur ad renuntiandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum*. Contendunt tamen plures, eum qui inscienter beneficium simoniace recepit, & triennali possessione bona fide illud tenuit, non posse eodem privari: quam triennalem possessionem non suffragari ei qui mala fide possedit, docent omnes.

VIII. Quæst. VI. *An simonia in beneficiorum collatione privet beneficiis antea rite obtentis?* Resp. Negant communiter Auctores, ante iudicis sententiam simoniacum privari beneficiis quæ iure possidebat ante beneficium per simoniam acquisitum: quia in nulla lege, inquiunt, id expressum habetur. Potest tamen iudex etiam illa adimere simoniaco pro criminis gravitate. Excipitur tamen simonia fiduciaria, quæ vi constitutionis S. Pii V. non modo beneficii, tali simonia comparati, verum etiam omnium antecedentium privationem inducit: quemadmodum simonia perpetrata cum examinatoribus, quæ ex Tridentino, ut vidimus supra, privat omnibus beneficiis antea rite obtentis, nedum beneficio simoniace comparato. Tandem qui beneficia per simoniam assequuntur, inhabiles remanent ipso facto ad alia beneficia obtinenda ante iudicis sententiam; ut S. Pius V. expresse declaravit in sua constitutione, cuius initium est, *Cum primum*, in qua hæc habentur. *Qui dignitates ecclesiasticas simoniace acquisierit, illis sit ipso iure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, perpetuo sit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia obtinenda*. Reponunt Salmanticenses *num.* 21. constitutionem S. Pii V. non esse *usu receptam*. Non negant acceptationem, sed usum executionis. Porro si legis inobservantia legem abrogaret, actum de omnibus legibus esset. Quare opinio Salmanticensium, Sanchez, Lessii, Castropalai, & aliorum, quos citant Salmanticenses, falsa est.

IX.

IX. Quæst. VII. *An acquisita per simoniam restitui debeant?* Resp. Ex iis quæ dicta sunt, omnia beneficia simoniace obtenta, & eorumdem fructus restituendos esse constat. Salmanticenses *tract.* xix. *cap.* iv. *punct.* 3. *num.* 22. „ Emens beneficium „ non facit iniustitiam, sed patitur : debebat enim gratis accipere quod dato pre„ tio accipit : & tantum peccat contra religionem , cuius transgressio non obli„ gat ad restituendum. Nec etiam beneficium conferens peccat contra iustitiam , „ aut ex iure divino invalidam facit collationem. " Hæc doctrina damnata est ab Alexandro VII. in prop. 22. *Non est contra iustitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis* &c. Eccur non peccat contra iustitiam emptor? Quia gratis accipere beneficium debebat. Ita ne vero? Næ egregia ratio ? Qui animo paratus est ad emendum beneficium, indignissimus est . Ergo nec gratis, nec accepto pretio obtinere illud iure valet. Cur non peccat contra iustitiam collator? Quia Dominus est dumtaxat invitus quantum ad modum . Futilis est argutatio isthæc, quæ se ipsa corruit. Christus Dominus absolute præcipit gratuitam , & vetat venalem collationem. Iure itaque & divino, & ecclesiastico Beneficiarius tenetur dimittere beneficium, fructusque; & collator pecuniam restituere. Opinionem quam Salmanticenses defendunt, adoptarunt ex Sanchez, Villalobosio, Laymano, Lopez , Aravio, aliisque, quos citant . Sed non considerarunt, Auctores istos ante Alexandrum VII. scripsisse . Et hoc absurdum frequentissime occurrit in Casuistis modernis , qui non raro illos ipsos anteriores Casuistas citant qui damnatas theses docuerunt.

X. Ex hac proscripta doctrina alia laxa consectaria inferunt ibidem Salmanticenses *num.* 26. *& seq.* Siquidem *num.* 26. evidentius repetunt doctrinam ab Alex. VII. proscriptam, aientes : *Simoniaca autem acceptio non est contra iustitiam , sed contra religionem* . Unde inferunt in sola simonia reali, commissa in receptione Ordinis, beneficii, & Religionis, restitutionem faciendam esse ante iudicis sententiam ex solo iure ecclesiastico ; in aliarum vero rerum spiritualium venditione pretium acceptum non esse restituendum : quia, inquiunt, nec lex divina, nec ecclesiastica præcipit ut restituatur pretium ob simoniam acceptum, præterquam in tribus enarratis casibus. Quæ consectaria falsa sunt , non secus ac principium unde derivantur. Hæc omnia profligat 2. 2. *quæst.* xxxvii. *art.* 7. S. Thomas. *Alio modo est aliquid illicite acquisitum, quia ille quidem qui acquisivit, retinere non potest : nec tamen debetur ei a quo acquisivit, quia scilicet contra iustitiam accepit; & alter contra iustitiam dedit : sicut contingit in simonia in qua dans, & accipiens CONTRA IUSTITIAM LEGIS DIVINAE agit. Unde non debet restitutio fieri ei qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari.*

XI. S. Thomas recentiorum Casuistarum opinationes ante Alexandrum VII. improbavit . Ex hac angelica doctrina colligitur, pecuniam simoniace acceptam ob

venditionem rerum spiritualium quae non continentur in tribus enarratis casibus, distribuendam esse inter pauperes.

XII. Franciscus Sylvius cum aliis contendit, pecuniam restituendam esse tradenti illam, quando res spiritualis nondum est reipsa consignata: quod colligere credit ex cap. *Dilectus* extr. de simonia. Sed fallitur. Ibi enim praecipitur restituendam esse pecuniam ei qui dedit, quia ignoranter, & inculpate dedit.

XIII. Pecuniam vero acceptam in simoniaca collatione beneficii ecclesiastici restituendam esse Ecclesiae, S. Thomas 2. 2. *quaest.* c. *art.* 6. *ad* 4. docet. *Dicendum, quod pecunia, vel possessio, vel fructus simoniace accepta debent restitui Ecclesiae, in cuius iniuriam data fuerunt, non obstante quod Praelatus, vel aliquis de collegio illius Ecclesiae fuit in culpa: quia eorum peccatum non debet aliis nocere: ita tamen quod, quantum fieri potest, ipsi qui peccaverunt, inde commodum non consequantur. Si vero Praelatus, & totum collegium sunt in culpa, tunc debet cum auctoritate Superioris vel pauperibus, vel alteri Ecclesiae erogari.*

XIV. Quod obtrudi solet, datorem pretii non amittere dominium illius, atque adeo eidem restituendum esse, nullius momenti est: quia in poenam turpis flagitii simoniacus emptor tali pretio meretur privari. Cap. *Veniens* extr. de simonia statutum fuit, pecuniam datam pro ingressu Religionis restituendam esse Monacho; quia inculpate, & bona fide dederat praetextu consuetudinis quam iactabant acceptatores.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS:

CAPUT I.

Notio beneficii ecclesiastici. Varia beneficiorum genera, & eorumdem origo.

I. IN hac dissertatione ea tantum de beneficiis explicabo quæ ad conscientiarum regimen attinent, missis omnibus iis quæ forum, & eruditionem spectant. Communis beneficii ecclesiastici definitio hæc est: *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum*. Dicitur *ius*, quia Beneficiario ex iustitia debentur proventus, tamquam laboris merces. Additur *perpetuum*, quia morte Beneficiarii non extinguitur, sed vacat beneficium, ad differentiam pensionis, quæ obitu pensionarii deficit. Aliæ particulæ, *percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ*, significant, quod bona, unde tales fructus percipiuntur, debeant esse Ecclesiæ: quia initio fideles bona sua Ecclesiæ tradebant in sustentationem ministrorum. Additur *propter aliquod officium spirituale*, nempe administrandi sacramenta, celebrandi sacrum, canendi in choro, concionandi &c. Tandem ultima particula *auctoritate* &c. declarat, beneficium debere esse auctoritate Episcopi, aut summi Pontificis institutum. Hinc has sex conditiones ad beneficium ecclesiasticum requirunt Auctores: 1. quod sit Episcopi auctoritate fundatum. 2. quod rei spirituali sit annexum. 3. quod conferri Clerico debeat. 4. quod sola persona ecclesiastica conferre illud possit. 5. debet esse perpetuum. 6. collator nequit sibi illud conferre.

II. Plura sunt beneficiorum genera. Maiora sunt Papatus, Episcopatus, Abbatiæ. Minora sunt plura alia. Præterea aliud est beneficium *regulare*, aliud *sæculare*. Illud solis Religiosis professis, ut Abbatia, Prioratus, & aliquæ Parœciæ; istud solis Clericis, monasticis votis solutis, conferri debet. Nisi beneficium probetur esse regulare, præsumitur esse sæculare. Si beneficium vacavit obitu sæcularis, sæculare; si obitu Regularis, regulare censendum est. Sæcularis non est aptus ad beneficium regulare; & Regularis non est iuxta probabiliorem opinionem capax beneficii sæcularis curati. Convenit tamen penes Auctores, Regulares iure communi idoneos esse ut eligantur ad dignitatem episcopalem.

III. Dividitur præterea beneficium in *duplex*, & *simplex*. Illud habet iurisdictio-

ctionem in Clerum, populumque, & administrationem rerum ecclesiasticarum: Eiusmodi sunt Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus. Beneficia quoque quae appellantur Dignitates, ut Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia saecularis, Plebanatus, & omnia beneficia curata, seu quibus animarum regimen annexum est, iurisdictionem habent. Istud nullam habet iurisdictionem, administrationem, vel praeeminentiam; sed solum annexum eidem debitum est fundendi preces, inserviendi altari, & alia ministeria ecclesiastica exercendi; ut sunt Canonicatus, Capellaniae &c. Praestimonia, quae sunt beneficia instituta ex proventibus Ecclesiae, conferenda iuvenibus studiorum caussa, coniunctum habent onus solvendi definitas preces.

IV. Insuper beneficium aliud est *electivum*, aliud *collativum*, aliud *mixtum*: *Electivum* est quod a pluribus confertur per electionem a Superiore confirmandam. *Collativum* libera & absoluta Superioris voluntate confertur. *Mixtum* est quod patrono designante Episcopus instituit, & confert.

V. Beneficia, in lata significatione accepta, omni tempore fuerunt in Ecclesia; quae semper habuit Episcopos, Presbyteros, Diaconos, qui populum fidelem gubernarunt. Modus tantum beneficiorum diversus fuit. Nam primis Ecclesiae saeculis nullum erat ius aliquod perpetuum fruendi aliqua Ecclesiae bonorum parte; sed omnia Ecclesiae bona communia erant, ut *Act.* IV. habetur. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. Haec communitas inter laicos parum, inter Clericos per plura saecula sub Episcoporum regimine perseveravit; ut alibi fusius explicatum est. Si plura cupis, lege Thomassinum *de Disciplina ecclesiastica Part. I. Lib. IV. cap.* XV.

VI. Illud Clericorum animis altius haereat, hanc bonorum Ecclesiae partitionem circiter saeculum V. invectam, non mutasse naturam. Semper fuerunt, semperque erunt patrimonia pauperum. Quidquid Beneficiarii sibi, praeter congruam sustentationem, assumunt, furtum est, ac rapina, ut Patres omnes, & Concilia clamant: idque fuso calamo demonstravi *Tom. II. in Decal. diss.* VI. *cap.* XIII.

VII. Patrimonium, cuius titulo Clerici Ordines suscipiunt, beneficii rationem non habet. Dignitates, & alia officia, licet iurisdictio annexa eisdem sit, proprie & in rigore beneficia non sunt, ut Generalatus, Provincialatus, Prioratus, Guardianatus &c. Quia iure perpetuo percipiendi fructus carent. Et idem dicendum de Vicario generali Episcopi. Vicarii tamen perpetui Parochorum, secus temporales, sunt Beneficiarii. Praestimonia quoque beneficia ecclesiastica ab omnibus habentur.

VIII. Capellaniae, quae laici auctoritate institutae sunt, beneficii ratione carent: quae vero Episcopi auctoritate erectae, & institutae sunt, propriam beneficii rationem

nem

nem habent. Si quis prævia Episcopi facultate instituat Capellaniam, decernatque ut quoties vacaverit, eligatur Capellanus qui celebret tot Missas qualibet hebdomada, non potest eligi Capellanus qui non sit Sacerdos, aut saltem infra annum promovendus ad sacerdotium. Quare tamquam falsam, & laxam reiicio opinionem illorum qui defendunt, eligi posse quemlibet habentem 14. annos: Quoniam is potest per Sacerdotem celebrare Missas. *Qui autem per alium facit, per seipsum facere censetur*. Inepte producitur hoc axioma. Utique ex caussa rationabili qui Missas celebrare nequit, per alium celebrare potest. Ceterum quando fundator perspicue præscribit ut *Capellanus* eligatur, Sacerdotem eligendum decernit. Numquid iuvenis 14. annorum Capellanus est? An iuxta obvium & naturalem sensum Capellani eligendi ad Missas celebrandas nomine non intelligitur Sacerdos? Viden' ingenium plurium Casuistarum ad laxandam legem deflectentium? Verba testatoris sunt in suo naturali sensu accipienda, & implenda. Salmanticenses *punct. 3. num. 29.* vane obtrudunt quamdam S. Congregationis decisionem, ex qua solum infertur, posse Capellanum in casu Parmensi per alios celebrare Missas Capellaniæ, de qua lis erat.

IX. Laxior, & penitus falsa est altera plurium Casuistarum opinio, quæ negat, eligendum necessario esse debere Sacerdotem, si Capellaniæ fundator dicat verbis adfirmantibus, *Præsentetur, eligatur Sacerdos*. Si vero diceret verbis negantibus, *Non eligatur, nisi qui sit Sacerdos*, hoc in casu, inquiunt, deberet eligi Sacerdos. Hæc sunt arbitraria paradoxa, ad eludendas pias testatorum mentes invecta. Fundator ordinat ut eligatur Presbyter: & tu eligere laicum, Clericum, Subdiaconum iure vales? Ineptirem ipse, si otio in hac laxa, & cum sensu communi pugnante, opinione refellenda abuterer. Quando fundator Capellaniæ decernit ut eligatur Sacerdos, nec successor fundatoris, nec Episcopus valent, necessitate evidenti sublata, eligere in Capellanum non Sacerdotem. Lege Tridentinum *sess.* XXV *de ref. cap.* V. Capellanus electus tenetur horas canonicas recitare: & in Ecclesia, & non alibi, in qua erecta Capellania est, Missas celebrare, excepta aliqua rationabili caussa.

CAPUT II.

De pensionibus, & coadiutoriis.

I. PEnsionis notio hæc est: *Ius percipiendi fructus aliquos ex alieno beneficio alicui concessum, sive ad vitam, sive ad tempus*. Alia est *laicalis*, ut dictum supra est, quæ confertur laico ob aliquod beneficium temporale Ecclesiæ collatum; sicut sunt illæ quæ conferuntur Regibus Ecclesiam defendentibus. Alia *clericalis*, in titulo spirituali fundata, & ad finem spiritualem ordinata, quæque Or-

Ordinem in accipiente ſupponit; qualis eſt quæ confertur coadiutori Epiſcopi, vel Parochi ſenis, aut infirmi. Aliam penſionem vocant *mixtam*, quæ datur aut Clerico pauperi, aut Parocho ſeni & impotenti in alimentum, non in aliquem finem ſpiritualem. Penſio eccleſiaſtica non eſt proprie beneficium; cum, ut alias dictum eſt, expiret obitu penſionarii.

II. Quæſt. I. *An ſolus Romanus Pontifex imponere penſiones valeat ſuper beneficiis?* Reſp. Communis & vera ſententia docet, nullum Prælatum Papa inferiorem poſſe penſiones imponere ſuper beneficiis, ſive reſignationis, ſive permutationis cauſſa. Poſſunt tamen Epiſcopi ob iuſtam cauſſam Beneficiariis ipſis penſiones imponere: quia tunc non onerant beneficia, ſed perſonas. Et eiuſmodi penſiones deſinunt obitu penſionarii.

III. Quæſt. II. *Quæ cauſſæ requiruntur, ut imponi licite penſiones valeant?* Reſp. Tres in iure aſſignantur. 1. eſt, ut reſignatores habeant, dimiſſo beneficio, alimenta, unde vivant. 2. eſt æqualitatis ratio in beneficiorum permutatione, ut quando beneficium locupletius cum tenui permutatur. 3. eſt finiendæ litis occaſio.

IV. Quæſt. III. *Quænam ſit imponendæ penſionis ſumma?* Reſp. Penſio moderata ſit oportet, habita ad beneficium cui imponitur, ratione; ita ut ſemper Beneficiario remaneat ea fructuum pars quæ illius congruæ ſuſtentationi ſufficiens ſit. Quare numquam cenſendum eſt, Pontificem velle gravare beneficium contra regulam præfinitam a Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *de refor. cap.* XIII. ubi hæc habentur. *Ad hæc impoſterum omnes hæ cathedrales Eccleſiæ, quarum reditus ſummam ducatorum mille, & parochiales, quæ ſummam ducatorum centum, ſecundum verum annuum valorem non excedunt, nullis penſionibus, aut reſervationibus fructuum graventur*. Hinc in penſionum litteris apponi ſolet: *Dummodo maneant centum pro Rectore, & mille pro Epiſcopo*. Quæ clauſula intelligenda eſt, non ſolum reſpectu temporis quo penſio imponitur, ſed etiam habita temporis futuri ratione; ita ut ſi temporis decurſu ita imminuantur beneficii reditus, ut non remaneant *centum pro Rectore*, nec *mille pro Epiſcopo*, ideſt non remaneant reditus congrui pro honeſta ſuſtentatione, a penſionis ſolutione liberi ſint penſionarii; quidquid in contrarium aliqui nulla ratione nixi contendant. Iure quippe naturali, & divino debentur Beneficiario alimenta. Et Pontifices ſummi ſunt iuſti diſpenſatores, non abſolute domini Eccleſiæ bonorum; ut ſapienter S. Thomas 2. 2. *quæſt.* C. *art.* 1. *ad* 7. docet. *Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut & quilibet alius homo .... Quamvis enim res Eccleſiæ ſint eius ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt eius ut domini & poſſeſſoris*. Remanere ergo debent pro Beneficiario, detractis omnibus expenſis pro Eccleſia, pro cultu divino &c. tot reditus, quot honeſtæ eius ſuſtentationi neceſſarii ſunt. Ad validam penſionis impoſitionem communiter

ter loquendo, necessarius est Beneficiarii consensus, nisi constet Pontificem agere de plenitudine potestatis velle: quod præsumendum non est. Leo X. regula Cancellariæ 43. statuit non esse pensionem imponendam absque Beneficiarii consensu.

V. Quæst. IV. *Quinam sunt clericalis pensionis capaces?* Resp. Pensionem laicalem posse cuilibet laico, etiam feminæ concedi a summo Pontifice, si publicum Ecclesiæ bonum id postulet, Auctores docent. Pensio autem clericalis dumtaxat illis conferri potest qui prima saltem Tonsura initiati sint, ut ex constitutione xxx. Sixti V. constat, in qua præcipitur, ut pensionarii isti Tonsuram, & habitum clericalem, idest vestem talarem, deferant: alioquin sint ipso facto pensionibus destituti. AEtas necessaria ad pensionem accipiendam est annus 14. ut communiter Auctores docent, & ex stilo Curiæ patet. Excommunicati, & irregulares nullius pensionis sunt capaces, sive præstimonii, sive beneficii simplicis, sive clericalis, ut communiter Theologi, & Canonistæ defendunt; sive etiam laicalis, sive mixtæ, ut probabilius mihi videtur; quidquid in oppositum alii asserant. Illegitimi sunt quoque pensionis incapaces. Si tamen dispensationem obtinuerint ad beneficia, probabilius videtur eos habiles esse ad pensionem; licet istius inhabilitatis in pensionis concessione nulla sit mentio facta. Regulares sunt ad pensiones inepti, nisi accedat Pontificis summi dispensatio.

VI. Quæst. V. *An Beneficiarius teneatur sub culpa pensionem solvere?* Resp. Affirmans sententia communis est. Nam in litteris pensionis sub pœna excommunicationis iubetur solutio. Pœnam tamen excommunicationis non incurrit Beneficiarius, nisi coram iudice declaret, se nolle pensionem solvere. Disputatur, num Beneficiarius teneatur solvere antecessoris tempore pensiones non solutas. Alii absolute negant, quia successor in beneficio nullos fructus percepit tempori antecessoris correspondentes: ergo si commodum non percepit, nec pati onus debet. Affirmant alii, quod pensio sit onus impositum beneficio, quod semper beneficium afficit, quocumque pervenerit. Alii distinguunt. Si pensionarius diligentiam adhibuit, ut pensio sibi solveretur ab antecessore, & effectum obtinere non potuit; tum successorem ad solutionem obstringi asserunt: contra liberum a solutione aiunt successorem, si pensionarius debitam adhibere neglexit industriam vel contra antecessorem, vel contra eiusdem heredes. Et sane si antecessoris heredes ex bonis defuncti solvendo sunt, tum ad nihil teneri successorem in beneficio, mihi probabilius est; actionem enim directe contra eosdem habet pensionarius.

VII. Quæst. VI. *Potest ne pensionarius de bonis pensionis clericalis pro libito testari & disponere?* Resp. Affirmant plures mollioris Ethices patroni, Vasquez, Castropalaus, & alii. Verum sententia hæc falsa est. Quemadmodum enim Bene-

neficiarius, ita & pensionarius superflua in pios usus distribuere obstringitur, ut fusius probatum est *Tom. II. differt.* VI.

VIII. Quæst. VII. *Quænam sunt pensionarii onera?* Resp. Primum onus est recitatio Officii parvi B. Virginis, ut statuit S. Pius V. cuius Bulla habetur in *Tom. II. Bullarii Cherub. pag.* 260. in qua hæc habentur. *Quicumque pensiones, fructus, aut alias res ecclesiasticas ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerum ipsarum amissioni obnoxium.* Secundum pensionarii debitum est solvere decimam papalem, & subsidium ad reparationem Ecclesiæ, & ad alia onera, nisi Pontifex summus pensionem ab omni hoc onere liberet. Hæc præscripta sunt iure. Ceterum absolute, & spectata lege naturali, qui pensionibus gaudent, inservire pro modulo suo Ecclesiæ tenentur: quia iuxta Apostolum ad Thessal. cap. III. *si quis non vult operari, nec manducet.* Quid? Devorabunt pensionarii Ecclesiæ reditus, otio diffluentes, quin ullum Ecclesiæ servitium præstent? Hoc ne vel ipse communis sensus permittit? Qui ergo aut simplicia beneficia, aut pensiones possident, debent iuxta proprium statum & talenta Ecclesiæ famulatum præstare.

IX. Quæst. VIII. *An in pensionis impetratione manifestari pensiones debeant, & beneficia obtenta?* Resp. Plures adfirmant, absolute manifestandas esse & pensiones, & beneficia consecuta, excepta pensione resignationis caussa obtenta. Alii dicunt, in impetratione novæ pensionis mentionem faciendam esse de aliis obtentis pensionibus, secus de beneficiis obtentis. Verum huiusce difficultatis resolutio ex stilo Curiæ, & regulis Cancellariæ pendet.

X. Quæst. IX. *Quibus modis pensio extinguitur, aut transfertur?* Resp. Extinguitur 1. obitu pensionarii. 2. si Clericus militiæ adscribatur, monitusque eam non relinquat. 3. professione pensionarii in aliqua Religione emissa. 4. si Clericus matrimonium contrahat. 5. promotione pensionarii ad Episcopatum. 6. si pensionarius habitum, & Tonsuram clericalem monitus deferre recuset. 7. si pensionarius ipse in totum, aut in partem pensionem remittat; nisi tamen titulo pensionis sit ordinatus, quo in casu nequit absque Episcopi auctoritate pensionem dimittere.

XI. Transfertur autem pensio, cum ex una in aliam personam mutatur ius exigendi fructus ex beneficio. Solis Cardinalibus, vel paucis aliis privilegium concedi solet transferendi pensiones: quæ facultas non præsumitur, nisi perspicuis verbis exprimatur. Disputant Auctores, utrum in hac translatione, antiqua pensione extincta, nova instituatur. Adfirmans opinio mihi probabilior est: quia cum pensio ius sit personale, non vacat, ut beneficium. Ergo quando transfertur, novum ius instituitur. Sed hæc nullius momenti disputatio est. De hac tamen

men translatione moneri Beneficiarius debet. Pecuniæ acceptio pro pensionis translatione simoniaca est.

XII. Quæst. X. *Quotuplex sit coadiutoria?* Resp. Duplex. Una temporalis, & revocabilis; altera perpetua, & irrevocabilis. Prima assignatur Parocho seni non valenti suum officium peragere, cui datur coadiutor, qui illius vices suppleat, assignato ex fructibus beneficii iusto stipendio. Coadiutoriam perpetuam cum iure succedendi in beneficium a Tridentino *sess.* XXV. *cap.* VII. *de refor.* concedi prohibetur his verbis. *In coadiutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis permittantur.* Solum summum Pontificem posse interdum, caussa cognita, & urgente necessitate, concedere coadiutoriam cum futura successione, Concilium ibidem declarat. Coadiutoria non est proprie beneficium.

XIII. Coadiutores cum futura successione, iubente principali inservire præbendæ, & Canonicatui, tenentur, etiamsi in litteris coadiutoriæ hoc debitum non exprimatur. Siquidem coadiutor cum futura successione gaudet honoribus, præeminentiis, & prærogativis quibus fruitur principalis Canonicus. Ergo eo ipso quod coadiutoriam acceptat, suscipit onus inserviendi præbendæ, quoties principalis hoc petit. Coadiutus tempore infirmitatis, & legitimi impedimenti lucratur ea omnia quæ lucraretur, si coadiutore careret. Si principalis sit excommunicatus, potest coadiutor inservire & lucrari, quia non principalis nomine, sed proprio inservit. Coadiutores ultimam occupant sedem inter Canonicos. Coadiutor, & principalis dividere possunt menses, seu tempus assignatum recreationis caussa Canonicis; dummodo ambo plus temporis non absint a choro quam assignatum a Concilio Tridentino est *sess.* XXIV. *cap.* XII.

XIV. Quando expediuntur litteræ coadiutoriæ, si principalis obiit, successio nulla est: quia coadiutori conceditur ius ad beneficium vacaturum: ergo, si beneficium ante concessionem vacaverit, concessio nulla est. Coadiutor, & principalis possunt ambo Ecclesiæ servitio, & omnibus functionibus interesse. Coadiutoria non potest simul cum alio beneficio, residentiam exigente, componi; ut evidens est. Coadiutor tenetur habitum & tonsuram clericalem deferre. Vi tamen huius muneris non obstringitur ad divinum officium recitandum; cum ad id teneatur principalis. Quamobrem nihil de fructibus, aut distributionibus percipere valet, nisi aliter partes convenerint; sicuti non tenetur coadiutor in ingressu Fabricæ solvere quod solvunt Canonici: quia qui commodum non sentit, neque pati onus debet.

CA-

CAPUT III.

De Pastorum residentia.

I. QUæst. I. *Utrum animarum Pastores iure naturali, divino, & ecclesiastico residere in suis Ecclesiis teneantur?* Resp. Affirmant communiter Theologi omnes: & hæc sententia vera, & ineluctabilis est. Diu hæc controversia agitata in Concilio Tridentino fuit, & strenue pro ea pugnavit celeberrimus Petrus Soto. Ambrosius Catharinus, liberioris ingenii homo, in *opusculo de residentia* hanc iuris tantum ecclesiastici esse contendit. P. Vasquez *de beneficiis art.* 2. fatetur; eam esse de iure naturali; sed in Scripturis sanctis non haberi expressum textum qui ius divinum declaret. Verum Theologi communiter hos textus & quidem luculentos afferunt.

II. Auctoritate itaque divinarum Scripturarum hæc communis sententia in primis confirmatur. Et primum Eccl. VII. *Pecora tibi sunt? Attende illis, & si sunt utilia, perseverent apud te.* Rursus Proverb. XXVII. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Christus autem hanc doctrinam luculentius inculcat *Ioan. cap.* X. ubi pastoris officium explicat, inquiens: *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit; & lupus rapit, & dispergit oves.* Et iterum cap. XX. *Pasce oves meas.* Et S. Petrus *Epist. I. cap.* V. ait: *Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro, consenior, & testis Christi passionum, qui & eius quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator: pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.*

III. Hæc divina testimonia sunt adeo luculenta, ut nulla egeant interpretatione. Si pascere gregem Dei verbum prædicando, docendo, sacramenta administrando; si defendere gregem a lupis Pastores debent: numquid præstare munera ista absque personali præsentia valent? Numquid cognoscere oves, illarumque ingenium, mores, ægritudines; numquid solari viduas, providere pauperibus distantes possunt? Si Pastor abest, quomodo audire illius vocem oves possunt? Quare Concilium Tridentinum iure *sess.* XXIII. *cap.* I. *de refor.* iuris divini hanc residentiam declaravit. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cete-*

ra

ra munia pastoralia incumbere : quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt qui gregi suo non invigilant , nec assistunt , sed mercenariorum more deserunt : sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in iudicio , & veritate pascant , & regant . Et quamvis de Episcopis expresse hic Concilium loquatur , eadem tamen est omnium Pastorum ratio, ut sub capitis finem Concilium ipsum declarat . Pastores sunt lux populi, sal terræ, doctores, medici, iudices : quæ officia præstari absque personali præsentia prorsus nequeunt.

IV. Absentes sex continuis mensibus a propria diœcesi privationem quartæ partis fructuum ipso facto incurrunt : & aliam quartam partem amittunt, si eamdem absentiam aliis sex mensibus continuaverint; ut ibidem Tridentinum statuit . Hanc sententiam contra *Catharinum* triumphali calamo , inquit Natalis Alexander, tractarunt Bartholomæus *Coranza* Archiepiscopus Toletanus , Dominicus *Soto*, Franciscus Turrianus S. I. Cardinalis Bellarminus , & ante istos omnes Cardinalis Caietanus 2. 2. *ad quæst.* clxxxv. quibus communiter , ut dixi , accedunt Theologi alii.

V. Quæst. II. *Romanus Pontifex , eiusque Cardinales tenentur ne residere ut ceteri Pastores ?* Resp. Iuri naturali & divino non minus Pontifices , & Cardinales quam ceteri Pastores , subiecti sunt . Pontifex Romæ , & cum eodem Cardinales residere tenentur : neque inde abesse valent, nisi gravis adsit caussa , quæ excuset a residentia. Disputant Canonistæ, & Theologi, num Cardinales instituti Episcopi possint Romæ residere, & a suis Episcopatibus abesse ? Affirmant Canonistæ *Abbas , Gonzalez, Barbosa*, & alii plures : quia , inquiunt , qui residet in capite , residet in membris. Sed hæc opinio falsa est, & adductum axioma arbitrarium . Si ceteri Pastores nequeunt gregem pascere, & munera pastoralia absentes obire ; qua ratione præstare id Cardinales possunt ? Ex quo creati Pastores talis diœcesis sunt, continuo iure naturali & divino , non secus ac ceteri Pastores , residere in diœcesi debent . Et hoc expresse Tridentinum Concilium *sess.* xxiii. *cap.* i. declaravit his verbis . *Declarat sancta Synodus , omnes patriarchalibus , primatialibus , metropolitanis, ac cathedralibus Ecclesiis quibuscumque , quocumque nomine, & titulo præfectos, etiamsi sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personaliter residendum, ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex caussis, & modis infrascriptis .* Et Urbanus VIII. sub gravissimis pœnis in Bulla , cuius initium est, *Sancta Synodus*, præcipit ut Cardinales Episcopi e Curia Romana discedant, & ad residendum in propriis diœcesibus se conferant . Eo autem in loco diœcesis residere Episcopi debent in quo extat Cathedralis . Si duæ sunt Cathedrales, in earum alterutra residere possunt.

VI. Quæst. III. *Quæ caussæ excusant Episcopos a personali residentia ?* Resp. Conci-

cilium Tridentinum eadem *seff.* XXIII. *cap.* I. ubi debitum residendi denuntiat, exponit quoque caussas ob quas possunt a residentia Pastores abesse, his verbis. *Cum christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abesse postulent, & exigant; decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a beatissimo Pontifice, aut a Metropolitano . . . in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Episcopatibus adiunctum: cuius quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit . . . Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant.*

VII. Abesse ab Ecclesia propria Pastores valent, si absque eiusdem notabili detrimento caritas Christi postularet ut aliis Ecclesiis periclitantibus succurrerent, ut Magnatum discordias componerent, quoties illorum industria ad id necessaria reputaretur. Urgens necessitas defendendæ propriæ vitæ excusat a residentia, quando propriæ Ecclesiæ non immineat ex absentia detrimentum. Celebre est S. Athanasii exemplum, ex cuius absentia Ecclesia Alexandrina maius percipiebat subsidium quam cepisset ex alterius Episcopi præsentia. Quoties e contrario absentia Pastoris Ecclesiæ graviter obesset, tum pro ovibus danda vita foret; ut ex Evangelio constat, & S. Thomas 2. 2. *quæst.* clxxxv. *art.* 5. declarat his verbis. *Dicendum, quod in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequendum pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens; cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis.*

Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel propter personæ periculum corporaliter gregem deserere. Unde August. dicit in epist. ad Honoratum . . . Fugiant de civitate in civitatem servi Christi, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Si enim perniciosum est proretam in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus? ut dicit Nicolaus Papa I. & habetur VII. *quæst.* I. *cap. Scifcitaris.*

VIII. Verba Tridentini, *evidentis Ecclesiæ, aut Reipublicæ utilitatis*, a pluribus facillime amplificantur plus æquo: quia commodum & utilitatem Pastoris cum utilitate Ecclesiæ confundunt. Quid, si Pastores Ecclesias opulentis reditibus prædi-

ditas venarentur, & assequerentur; deinde in Principum Regumque aulis vitam degerent? Quid, si ad diœceses mitterent edicta severioribus morum regulis & effatis contexta, ut & populo fucum facerent, & propriæ nequitiæ hypocrisis velum prætenderent? Si necessaria est illorum præsentia, & industria, nullo iure in Principum aulis degere ipsi valent, & aliis Ecclesias moderandas tradere. Quid famulari Deo & mammonæ, Christo & mundo contendunt?

IX. Quæst. IV. *Possunt ne Episcopi unius anni trimestre coniungere cum trimestre alterius anni?* Resp. Concilium Tridentinum *loc. cit.* a residentia trium mensium intervallo levandi animi caussa Episcopos absolvit. Casuistæ illi qui liniendis divinis, humanisque legibus student, in controversiam vocant, num Episcopi huius anni trimestre copulare cum alterius anni trimestri queant, & sex continuis mensibus a residentia abesse? Adfirmant Diana, Pellizzarius, quibus subscribunt Salmanticenses *punct.* VI. *num.* 108. quia Tridentinum id non prohibet; & quia continuatio trimestris unius anni cum alterius anni trimestri non excedit materiæ parvitatem. Hæc opinio falsa & laxa est, legemque circumvenit. Ex ea consequitur, posse Episcopos sibi viginti, triginta vitæ annos præstituere, & omnium annorum trimestria copulare. Tridentinum non prohibet hanc continuationem: quia Tridentinum omnia commenta casuistica prævidere nec potuit, nec debuit. Sex mensium intervallum non excedit materiæ parvitatem? Otio ne in his labefactandis figmentis mihi erit abutendum? Sex mensium absentia gravissimum detrimentum diœcesi natura sua affert.

X. Quæst. V. *Tenentur ne Parochi, & quilibet animarum curatores iure divino residere?* Resp. Parochi, & omnes animarum curati Rectores iure naturali, & divino residere astringuntur; ut ex Tridentino constat. Sunt enim Pastores: ergo adesse gregi debent. Nec beneficii tenuitas a residentia excusat. Residere autem intra propriæ parochiæ confinia Parochus debet. Si sint duæ parochiæ unitæ, in principali; si sint æquales, in qua maluerit, residere poterit. In eo loco figenda est residentia, quando libertas adest, in quo Pastor commodius assistere gregi valeat. Communiter domus parochiales sunt determinatæ, & prope Ecclesiam constitutæ, in quibus residendum Parochis est; nisi ipsi propriam domum habeant æque commodam. Nihilominus communiter in domo parochiali residere debent: quia parochiani sæpe ob peculiares rationes petere domum in qua sunt Parochi domestici, refugiunt. Solus esse cum suis ministris Parochus debet, ut omnibus accessus pateat, nullusque sit aut prætextus, aut caussa ad eum non accedendi. Grave peccatum committunt Pastores, si notabili tempore a cura absint; & fructus amittunt pro temporis rata, ut Tridentinum *cit. sess.* XXIII. *cap.* 1. declarat. *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam ani-*

marum habens obtinent, sacrosancta Synodus declarat, & decernit; ita tamen ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.

XI. Disputant Theologi, & Casuistæ, quantum temporis abesse a parochia absque gravi culpa queant Pastores. Barbosa *tract. de Paroch. num.* 44. aliquot horas assignat. Unius diei absentiam nec laudat, nec vituperat. Trium aut quatuor dierum absentiam a culpa mortali non excusat. Possevinus octo dies, Reginaldus, Sanchez, & alii Parocho concedunt tres hebdomadas. Hæc opinio falsa, & laxa est. Licet enim facile non sit hæc temporis intervalla definire; tamen quatuor, aut sex dierum intervallum, absque rationabili caussa, gravem constituere, iuxta prudentum consilium, materiam videtur. Nec substitutio Vicarii excusat: quia Pastor vigilare, pascere, custodire seipso, non alterius ope, gregem suum debet. Ut duobus mensibus, quos concedit Tridentinum, abesse Pastores animarum licite valeant, licentiam in scriptis habeant oportet, nec maius tempus concedi potest, nisi gravis urgeat caussa.

XII. Quæst. VI. *Quænam caussæ excusant Parochos, ceterosque Pastores inferiores a residentia?* Resp. Sunt illæ ipsæ quæ excusant Episcopum, *christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*. Semper tamen ab Episcopo caussæ istæ cognoscendæ, & probandæ sunt. Si caussæ sint fictæ, licet probatæ ab Episcopo, præter gravissimum crimen, fructus amittuntur. Si necessitas sit urgens & evidens, & periculum sit in mora, excusatur in foro interno Pastor absens. Semper tamen consulere Episcopum, cum facultas adsit, Parochi, & Curati debent.

XIII. Neque Cardinales, neque Episcopi occupare in proprio servitio Parochos, & quoscumque Pastores licite valent: quidquid in oppositum aliqui doceant cum Navarro. Immo neque studiorum caussa Parochi abesse valent. Quia aut sunt idonei, & non egent incumbere extra parochiam in studia litterarum: aut sunt rudes, & destituti necessaria scientia, & dimittere beneficia debent, nisi propria industria, & studio proficere residentes valeant. Docentes tamen sacram Scripturam publice in universitate, non in scholis privatis: & scholares serio ipsis scholis operam navantes iuxta Tridentinum *sess.* V. *cap.* I. *de refor.* non privantur fructuum perceptione. Ut vero fruantur hoc privilegio, debent litteras sacras docere, eisdemque studere. Utrum hoc privilegium non solum Beneficiarios, puta Canonicos, sed etiam Parochos curam animarum habentes comprehendat, disputant Theologi. Adfirmant Probabilismo nixi Castropalaus, Salmanticenses, & alii. Sed hanc sententiam improbabilem censeo, & Tridentino adversam. Parochi enim ido-

donei esse debent ad regendas oves suas, & per concursum iudicati fuerunt tales. Cur ergo studii caussa excusantur a residentia, cui iure naturali, & divino obnoxii sunt?

XIV. Quaest. VII. *Quid dicendum de privilegiis ante Tridentinum concessis aliquibus Universitatibus, in quibus Parochi cathedras moderantur?* Resp. Eugenius IV. an. 1431. Universitati Salmantinae privilegium, cuius initium est, *Qui creditum* &c. impertiit, vi cuius Licentiati, Bacchalaurei, Magistri, docentes per octo menses in praefata Universitate, fructus beneficiorum percipiunt. Vigere post Tridentinum dictum privilegium, Salmanticenses *num.* 135. cum pluribus aliis contendunt: quia, inquiunt, praxis semper obtinuit ut in dicta Universitate Parochi, & Praebendati docentes fructus beneficiorum percipiant. Derogata, & nulla esse eiusmodi privilegia, constat ex verbis Tridentini *sess.* XXIII. *cap.* I. ubi haec habentur. *Nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia .... statuto, etiam iuramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est .... vel vigore Eugenianae constitutionis suspendi posse.* Quid expectari luculentius potest? Reponunt Salmanticenses cum aliis, Concilium loqui de alia constitutione Eugeniana, non de concessa Universitati Salmantinae. Sed haec responsio omnino arbitraria est. Et ne sim in re perspicua longus, nonne ipsi Salmanticenses propugnant, residentiam Pastorum esse iuris naturalis, divinique? An praxis continuata, consuetudines, privilegia praescribere contra ius divinum possunt? Ergo si de Pastoribus curam animarum habentibus sermo sit, nullum est privilegium Eugenianum, nullae sunt constitutiones ceterae, & consuetudines oppositae; quae corruptelae potius dicendae sunt.

XV. Quaest. VIII. *Obligati ne sunt Canonici, Praebendati, Mansionarii, Capellani Ecclesiae cathedralis ad residentiam?* Resp. Concilium Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* XII. *de ref.* haec statuit. *Praeterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas, aut portiones, non liceat vigore cuiusque statuti .... consuetudinis .... ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse* &c. Si plura cupis, lege *Tom. II. in Decal. diss.* II. *cap.* XI. ubi ea omnia invenies quae ad hanc, ceterasque quaestiones quae disputari hic solent, dirimendas pertinent.

XVI. Quaest. IX. *Electi ad beneficia debent ne Ordines iisdem annexos statim suscipere?* Resp. Concilium Tridentinum *sess.* XXIII. *cap.* II. *de refor.* haec decernit. *Ecclesiis cathedralibus, seu superioribus quocumque nomine, ac titulo praefecti, etiamsi S. Romanae Ecclesiae Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso iure sint privati.* Nec ad has poenas incurrendas iudicis sententia requiritur; sed ipso facto contrahuntur; cum non tam

 poe-

pœnæ, quam conditiones sint, quæ præcedere Episcopatum debent. Electi vero ad beneficium curatum, nisi intra annum promoveantur ad sacerdotium, privantur beneficio, quando ipsi in caussa sunt cur non ordinentur. Annus autem intra quem ordinandus electus est, computari a die suscepti regiminis, & captæ possessionis pacificæ debet; ut communiter Auctores docent. Similiter qui in Cathedralibus assequuntur canonicatus, præbendas, portiones, & quælibet alia beneficia, quibus annexi Ordines sunt, intra annum suscipere eosdem debent, ut determinavit Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* IV. *de refor.*

CAPUT IV.

De qualitatibus ad validam & licitam beneficiorum acquisitionem necessariis.

I. QUæst. I. *Quæ ætas requiratur in promovendis ad beneficia ecclesiastica?* Resp. De eligendo ad Papatum nihil canones sacri decernunt. Ad Episcopatum eligi nemo potest ante annum trigesimum completum. In Galliis, inquit Gennetus, vi privilegii Concilii Lateranensis sub Leone X. sat est annus 27. in promovendis ad Episcopatum. AEtas vero in eligendis ad dignitates, & canonicatus Ecclesiæ cathedralis definita est in Concilio Tridentino *sess.* XXIV. *cap.* XII. *de refor.* & est annus 25. si dignitatibus annexa sit animarum cura; pro aliis vero dignitatibus sufficit annus 22. completus. Ad præbendam Pœnitentiariæ requiritur annus 40. ex eodem Tridentino. Si dignitas sit subdiaconalis, 22. si diaconalis, 23. si presbyteralis, 25. annus exigitur. Ut quis eligatur in Parochum 25. annum agat oportet. Pro aliis beneficiis simplicibus sufficit ætas 14. annorum: tum enim initiari prima Tonsura quis potest. Nec requiritur ut annus sit completus, sed sufficit inceptus. Hæc ætas numerari non a baptismo, sed a nativitate solet.

II. Quæst. II. *Quæ scientia, & morum probitas requiritur in promovendis ad beneficia?* Resp. Plura dixi tum superiori Tomo de scientia Confessarii, tum de sacramento Ordinis, quæ repeti hic non debent, sed *cit. loc.* legenda sunt. Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* II. *de reform.* de eo qui ad cathedrales Ecclesias assumendus sit, hæc habet. *Scientia vero præter hæc eiusmodi polleat, ut muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel iure canonico merito sit promotus, aut publico Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, a Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat.* S. Paulus I. *ad Tim.* III. de Episcopo inquit: *Oportet esse doctorem*: & rursus ad *Tit.* I. subdit: *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.*

III.

III. Morum probitatem necessariam in Episcopo, & quolibet Pastore animarum explicat ibidem ad *Tim. cap.* III. S. Paulus, inquiens : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, non neophytum . . . & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, at non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli*. Plura *locis cit.* dicta sunt tum de moribus, tum de scientia Scripturarum, Canonum, & Patrum, quin illa repetere debeam.

IV. Quæst. III. *An licitum sit desiderare beneficia quibus annexa est cura animarum?* Resp. Etiam contra eiusmodi appetitiones plura dicta sunt superiori *diss. de sacr. Ordinis*. Pauca nunc adiiciam Sanctorum dicta. S. Thomas *quodlib.* II. *art.* II. hæc scribit. *Qui appetit prælationem, aut est superbus, aut iniustus. Iniustitia enim est quod aliquis velit sibi plus de honore accipere, aut de potestate, aut de aliis bonis, nisi sit maioribus dignus . . . . Quod autem aliquis æstimet se esse magis dignum prælatione omnibus illis super quos prælationem accipit, superbiæ & præsumptionis est. Unde patet quod quicumque prælationem appetit, aut est iniustus, aut superbus. Et ideo nullus suo appetitu debet ad prælationem pervenire, sed solum Dei iudicio, secundum illud Apostoli ad Hebr.* V. *Nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. Vide quæ habet 2. 2. *quæst.* c. *art.* 3. *ad* 5. item in *IV. dist.* XXV. *quæst.* III. *art.* 3. *ad* 4.

V. Quæst. IV. *Licitum ne est petere vacantem Ecclesiam?* Resp. S. Raymundus in Summa *Lib. I. tit.* I. *§.* 7. hæc scribit. *Ego distinguo, salvo meliori iudicio, quod non potest pro se petere Ecclesiam, vel dignitatem, vel aliud beneficium habens curam animarum annexam. Et in hoc sentio cum Hugone. Beneficium vero simplex, si indiget, & sentit se dignum, potest petere absque metu peccati, & simoniæ.*

VI. S. Antoninus *Part. II. tit.* I. *cap.* V. *§.* 4. hæc habet. *Si porrigat preces pro se, pro obtinenda dignitate, vel beneficio, seu Ecclesia habente curam animarum; tales preces inducunt simoniam secundum Hugonem, Raymundum, & Thomam . . . . etiam quantumcumque esset dignus : quia eo ipso quod se ingerit, præsumptuosus, & ambitiosus videtur, & per consequens indignus. Et ratio est secundum Thomam in quodlibetis, quia nullus exercere potest curam animarum extra gratiam, seu cum peccato mortali digne : quia faciendo ea quæ pertinent ad curam, peccabit mortaliter. Sed nemo scire potest, si est extra peccatum mortale : & sic est præsumptuosus, & simoniacus. Unde & nullus debet sibi adsumere honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.*

VII. Quæ docent SS. Raymundus, Thomas, Antoninus, hausta sunt ex antiquis Patribus. S. Ioannes Chrysostomus *hom.* III. *in Act. Apost.* hæc habet. *Cogita quid acciderit Simoni. Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adu-*

adularis, subornas, multaque machinaris? Pecunia tua sit tecum in perditionem, *ad illum dictum est : & his dicetur : Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari donum Dei*. Rursus *hom.* XXXIV. ad Hebræos subdit : *Miror, si potest salvari aliquis Rectorum. Post tantam enim comminationem, quam negligentiæ videmus illatam, video aliquos etiam concurrere, & præcipitare seipsos in tantam molem, ac difficultatem regiminis*.

VIII. S. Gregorius Magnus *Lib. VII. epist.* III. ad Episcopos Lugdunensem, Arelatensem, & Viennensem. *Sicut autem qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus; sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, procul dubio est repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius ad profunda descendat?* Plurima sunt aliorum Patrum testimonia, quæ, ne sim longus, prætereo.

IX. Illud moraliter certum est, eos non esse a Deo vocatos qui se ingerunt, qui litteras commendatitias, & Magnatum intercessiones sibi procurant. Ea nunc consuetudo obtinet, inquiunt, ut ii soli beneficia assequantur qui petunt, qui precantur, & humana utuntur industria. Contra, qui silent, qui in publicum non prodeunt, neglecti & derelicti in angulo remanent. Deus autem consueta media, & honestam procurationem non prohibet : nec miracula expectari ab illo debent. Hæc sunt consueta præstigia, & hallucinationes hominum, qui ambitione, vel avaritia obcæcati, quæ sibi adlubescunt, honestare nituntur. In iis quæ laborem, & applicationem postulant, otio diffluunt; in iis e contrario quæ ab hominum sollicitudine nullo modo pendent, solliciti, industriosi, & anxii sunt. Vocatio, & electio ad animarum regimen soli Deo competit. Omnem industriam humanam ab hoc negotio Scripturæ divinæ excludunt: & homines vani, & ambitiosi in primis huc studia & sollicitudines suas conferunt. Industriam, laborem, sedulamque navandam operam Deus imperat sacris litteris investigandis, ecclesiasticæ disciplinæ eruditioni perdiscendæ ab iis præsertim qui ad Episcopatum, ad animas dirigendas vocati sunt. Et laborem istum, industriam istam, operam hanc, sollicitudinem hanc candidati beneficiorum communiter negligunt, & fere execrantur. Et quo torpidiores in veris mediis ad beneficia comparanda necessariis fuerunt, eo sunt vigilantiores & industriores in venandis Magnatum, & matronarum officiis, & intercessionibus apud Episcopum collatorem. Verum si Episcopi primas quas accipiunt litteras commendatitias in aula coram omnibus flammis addicerent, si primos commendatos reprobarent, nemo in posterum his commendationibus stipatus accederet. Quare Episcopi illi qui has litteras admittunt, & sæpe expectant, gaudentque his officiis sollicitari, ut inde ipsi emolumentum capiant; ut sibi nempe hac via commendatores, & commendatrices devinciant, obligentque ad suas politicas rationes promovendas : Episcopi, inquam, isti omnium malorum heinc manantium sunt

ſunt cauſſæ principes. Epiſcopi ſoli hanc veneficam peſtem, quæ crudeliſſime in Eccleſiam ſævit, tollere de medio, & Eccleſiis optimos præficere Paſtores valent.

X. Quæſt. V. *Licitum ne eſt concurrere ad examen fieri ſolitum in proviſione vacantium Eccleſiarum?* Reſp. Eccleſia in Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVIII. *de refor.* examen faciendum præſcribit. Si concurſus illicitus foret, Eccleſia pro examine concurrentium edicta non publicaret. Ex alia parte concurſus ad examen videtur reipſa beneficii petitio. Quid ergo dicendum? Concilium Tridentinum *loc. cit.* inquit: *Per edictum etiam publicum vocentur qui volent examinari*: quibus verbis perſpicue declarari videtur, licitum eſſe, ſe huic examini offerre: alioquin fruſtraretur Eccleſia fine ſuo, qui eo pertinet, ut explorare & dignoſcere hoc examine, qui ſint idonei Paſtores Eccleſiis præficiendi, valeat. Quare improbare non audeo illos qui huic examini ſe ſiſtunt; dummodo tamen conſilio docti, & periti Confeſſarii, & alterius prudentis viri Dei tanto ſe diſcrimini committant; dummodo pleniſſima indifferentia, & abſque omni appetitione beneficii aſſequendi accedant. Pugnantia ſuadeo, inquis, cum ipſe concurſus ſit revera quædam beneficii petitio. Falleris. Concurſus ad examen eſt tui ipſius oblatio, ut Epiſcopus, qui vices Dei gerit, habilitatem tuam exploret, teque aut eligat, aut reiiciat. Præciſiones ſunt iſtæ, reponis, quæ in praxi difficillime ſeparantur. Recte, & bene. Idcirco res aleæ plena eſt reſpectu tui concurſus iſte. Eccleſia iure, ſancteque ad examen invitat, ut optimos ex bonis ſeligere Paſtores valeat. Et tu, ſi, ut Eccleſiæ voci aures aperias, & huic Eccleſiæ conſuetudini pareas, te ſiſtis prævio prudentum conſilio examini, actio tua eſſe bona & ſancta poteſt: ſi beneficii appetitio latitat, & ambitio tecta ſerpit, vitio infici concurſus tuus poteſt. Licita eſt neceſſaria tui defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ, numquam tamen tibi licet intendere invaſoris occiſionem; tametſi hæc tuam conſequatur defenſionem. Difficile in praxi hæc duo ſeiunguntur; & tamen ea permiſcere vetitum eſt. Sic in præſentia. Perdifficile eſt ſeparare deſiderium regendi animas a voluntate ſubeundi examinis; nihilominus, ut concurſus tuus licitus ſit, hæc duo ſeparata ſint neceſſum eſt. Siquidem omnes divinæ Scripturæ, omnes Patres appetitionem Epiſcopatus, & cuiuſcumque beneficii cui annexa eſt animarum cura, improbant. Contra Eccleſia concurſum ad examen probat. Ergo concurſus ad examen ſeparari a deſiderio & appetitione beneficii poteſt; atque adeo licite te examini ſiſtere vales, quin beneficium, ſi vis, appetas. Id ſolum verum habet, difficile in praxi ob humanam & infirmitatem, & malitiam hæc duo ſeiungi. Quamobrem, antequam huic te diſcrimini committas, perpendere ſerio debes vocationem tuam, talenta, ſpiritus fortitudinem, morum, & naturæ indolem; & hæc omnia prudentis, probi, doctique viri iudicio ſubiicere, & etiam con-

considerare num aliquod vocationis ad tantum munus signum Deus dederit. Nam Isaias, postquam labia sua calculo seraphico purgata expertus est, ad vocem Dei vocantis ad prædicandum se obtulit. *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit? Et dixi: Ecce ego, mitte me*: cap. VI.

XI. Quæst. VI. *Collatio beneficii facta Presbytero prorsus indocto est ne ipso iure invalida?* Resp. Si homini prorsus illiterato, qui nec latinam linguam calleat, neque sancta Evangelia exponere sciat, facta collatio sit, invalidam communiter Auctores afferunt. Neque Pontifex summus dispensare iure valet, ut homini illiterato beneficium conferatur. Varia sunt Auctorum placita in huiusce litteraturæ notione tradenda. Verum, ut paucis rem expediam, illi sunt reputandi illitterati qui scientia sufficienti carent ad munera pastoralia obeunda: qui divinas Scripturas, qui legis evangelicæ sensum, & spiritum ignorant: qui discernere inter doctrinam veram & sanam, & doctrinam fallacem ac cavillatoriam, inter doctrinam quæ sit evangelicæ legi conformis, & doctrinam quæ ab evangelica simplicitate, & sanctorum Patrum sapientia recedat, nesciunt. Verum de hoc fusius dictum est in tractatibus tum de pœnitentiæ, tum de Ordinis sacramentis.

XII. Quæst. VII. *Quæ esse debet suscipientis beneficium intentio?* Resp. Intendere debet Deô cultum præstare, & in vinea Domini adlaborare, & suam, gregisque salutem operari. Nonnumquam intentiones vitiosæ sunt, superba dominandi, & refulgendi appetitio, cupiditas percipiendi reditus, & desiderium voluptuose vivendi.

XIII. Quæst. VIII. *Qui animo dubio suscipiendi Sacerdotium recipit beneficium, peccat ne mortaliter?* Resp. Sententia adfirmans mihi vera est. Quare qui beneficium vel accipiunt, vel retinent cum animo dubio & conditionali suscipiendi Sacerdotium, si frater habuerit successionem, si illa hereditas non advenerit &c. peccant mortaliter, & fructus perceptos restituere tenentur. Quia isti fraudulenter fructus percipiunt, & beneficia reipsa ideo accipiunt, ut propriæ cupiditatis, avaritiæ, & ambitionis instrumenta sint. Isti omni prorsus Dei vocatione carent: Distinctio Salmanticensium *num.* 187. de animo dubio, & conditionato, mera speculatio est. Si intra annum mutet voluntatem, & revera deliberet suscipere Sacerdotium, & reipsa suscipiat sub finem anni, tenetur ne tum perceptos fructus restituere? Negant Salmanticenses *num.* 190. cum Sanchez, Lessio, Navarro, & aliis; sed adfirmant Soto *Lib. X. quæst.* V. *art.* 6. Toletus *Lib. V. cap.* V. Huic adfirmanti sententiæ subscribo, quia actus posterior antecedentem nullum, validum non efficit. Iniustam ergo perceptionem fructuum priorem voluntas bona adveniens iustam non reddit.

XIV. Quid, si dum candidatus recipit beneficium curatum, animo suscipiendi Sacerdotium revera præditus sit, sed postea voluntatem mutet, & Sacerdotio reipsa

ipſa non initietur? Negant Salmanticenſes *num.* 193. cum pluribus aliis, tunc reſtituendos fructus eſſe; ſed opinio adfirmans, quam defendunt Soto, Toletus, Vaſquez, Barboſa, & alii graviſſimi Auctores, mihi probabilior eſt. Quoniam fructus eccleſiaſtici iure percipi ex beneficio curato nequeunt, niſi ob munia ſacerdotalia aut præterita, aut futura. Sed qui poſt elapſos ſex aut decem menſes refugit Sacerdotium, nullo modo officia præſtitit ſacerdotalia. Ergo nullo modo retinere fructus poteſt.

XV. Quæſt. IX. *Peccant ne mortaliter qui beneficia ſimplicia ſine animo aſcendendi ad Ordines recipiunt?* Reſp. Sanchez, Caſtropalaus cum aliis negant peccare mortaliter eos qui accipiunt beneficia ſimplicia quibus Ordo ſacer non eſt annexus, animo eadem retinendi, uſquedum occaſio opportuna advenerit nubendi, aut ſtudia perſolvendi &c. ſed vera ſententia adfirmat. Quid enim abſurdius quam aliquem accipere Canonicatum, vel aliud quodcumque beneficium eccleſiaſticum divino obſequio deſtinatum, ut inde percipiat fructus, animo ſimul ducendi ditiorem uxorem, aut in ſtatu laicali vivendi? Hæc enim intentio ordinem naturalem divinumque pervertit. Si vero hæc beneficia annexos ſacros Ordines habeant, tum evidentius graviuſque mortaliter peccant, nec ſunt abſolvendi, donec aut animum mutent, aut beneficia dimittant.

XVI. Quæſt. X. *Qui beneficia recipiunt, debent ne eſſe illius loci in quo beneficia ſunt inſtituta?* Reſp. In pluribus regnis, & provinciis leges ſunt quæ beneficia extraneis conferri vetant. Quæ leges, utpote iuſtæ, ſervandæ abſolute ſunt, niſi aliqua circumſtantia obſit: habent enim plura convenientiæ, & honeſtatis momenta. Debent ergo eſſe ſuſcipientes naturales illius loci in quo beneficia conferuntur. Illi autem dicuntur naturales loci quorum pater in eo domicilium habet. Plura diſputant Auctores ſuper eiuſmodi legibus, quæ ad forum externum pertinent.

XVII. Quæſt. XI. *Quando fundatores determinarunt beneficia eſſe conferenda conſanguineis, debent ne propinquiori conferri?* Reſp. Cum fundatores ſint abſoluti domini fundorum in quibus beneficium inſtituitur, iure imponere valent ut de tali familia eligantur Beneficiarii, ſive beneficia ſimplicia ſint, ſive curata; dummodo eligendi digni reperiantur. Quando ergo fundatores ſtatuunt ut eligendi ſint conſanguinei, propinquior præferri ceteris debet. Spurii & illegitimi excluſi ſunt, niſi a Papa, vel a Principe legitimati fuerint. Præferendi tamen ſunt naturales & legitimi ſpuriis & illegitimis, etiamſi legitimati ſint, etiamſi illegitimi fuerint in proximiori gradu, & eo magis, ſi ſint in æquali. Diſputant vero Canoniſtæ, & Theologi, num gradus propinquitas a iure civili, an canonico repeti debeat. Alii a iure canonico, alii a civili arceſſendam volunt. Sed probabilior opinio eſt quæ in hac materia gradus deſumendos eſſe docet a iure civili. Si tamen in de-

designatis familiis nullus dignus reperiretur ad beneficium curatum, tum Episcopus, neglectis familiis designatis, aliunde dignos seligere debet, quos præficiat Ecclesiis regendis.

XVIII. Quæst. XII. *Quot modis filii illegitimi fieri habiles possint ad beneficia ecclesiastica?* Resp. Quatuor assignantur modi. 1. per subsequens matrimonium, respectu tamen filiorum naturalium, qui nati ex parentibus sunt qui tempore illicitæ conceptionis contrahere valide matrimonium poterant. 2. per pontificiam legitimationem. 3. per Pontificis summi dispensationem. 4. per professionem religiosam.

XIX. Quæst. XIII. *Expositi, quorum ignorantur parentes, habendi ne pro legitimis sunt?* Resp. Ius canonicum pluribus in locis præscribit ut ad beneficia promovendi sint legitimi, nempe qui ex legitimo matrimonio nati sunt. Expositos autem communior sententia habet ut legitimos: quia plures ex istis legitimi sunt, & ob parentum inopiam proiecti. Ergo communiter præsumendi sunt legitimi omnes: quia, dum veritas non constat, interpretatio in hac similique materia in meliorem fieri partem debet.

XX. Quæst. XIV. *Qui aliqua censura obstricti reperiuntur, sunt ne ad beneficia habiles?* Resp. Communis sententia docet, ligatos excommunicatione maiori, interdicto, suspensione, aut irregularitate inhabiles esse ad beneficia. Dissidium vero est inter Theologos, utrum collatio beneficii in hoc casu, non modo sit illicita, verum etiam invalida. Invalidam esse mihi probabilius videtur.

XXI. Neophyti quoque, seu recenter ad fidem conversi, inhabiles sunt ad beneficia; ut habetur ex I. ad Timoth. III. *Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* Post biennium tamen ex Pontificis, vel etiam Episcopi dispensatione poterunt, si probatæ vitæ fuerint, ad Ordines, & beneficia promoveri. Clerici quoque coniugati sunt beneficii incapaces, quia sunt veri laici; licet privilegio canonis, & fori fruantur. Filii Presbyterorum excludi omnino debent a beneficiis in illa Ecclesia in qua pater beneficium habuit; ut determinat Tridentinum *sess.* XXV. *cap.* XV. *de refor.*

CAPUT V.

Quot modis acquiri beneficia possint?

I. TRibus modis acquiri beneficia solent. 1. patroni præsentatione, & institutione consequente: 2. electione, & confirmatione: 3. collatione libera.

II. Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit iuspatronatus, & quibus modis acquiratur?* Resp. Iuspatronatus describitur *potestas nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ad beneficium ecclesiasticum vacans.* Tribus modis acquiritur sive laicale, sive

sive ecclesiasticum. 1. fundatione, quando quis fundum concedit ad Ecclesiam ædificandam. 2. constructione, quando quis propriis sumptibus Ecclesiam construit. 3. dotatione, quando quis Ecclesiam dotat, ei, & ministris sufficientes reditus tribuendo. Parum autem refert, licet Auctores diffideant, quod Ecclesia sive ante, sive post constructionem dotetur. Ad iuspatronatum ecclesiasticum quocumque titulo acquirendum auctoritas Episcopi necessaria est. Iuspatronatus tamen non acquiritur, nisi ædificator Ecclesiam dotet: quoniam absque reditibus beneficium non consistit. Heinc si fundator reditus Ecclesiæ non donet, iuspatronatum non acquirit. Ut autem quis iurispatronatus titulum possideat, certa habere eiusdem documenta debet, ut Concilium Tridentinum *sess.* xxv. *cap.* ix. determinavit his verbis.* *Ut debita in omnibus ratio observetur, titulus iurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis iure requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum iuris dispositionem.* Lege plura ibi. Transfertur iuspatronatus iure hereditario, donatione, & cum re vendita. Ius enim seipso venditioni non subiacet. Iuspatronatus quatuor commoda acquirit, his versibus contenta.

Patrono debetur honor, onus, emolumentum:
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

Patronus habet honorem, & facultatem præsentandi Clericum ad beneficium vacans, occupandi primum locum in choro, & in functionibus ecclesiasticis. Onus ei incumbit protegendi Ecclesiam, eiusque iura: & tandem, si ad egestatem redactus fuerit, Ecclesia, si possit, illi præbere alimenta tenetur.

III. Quæst. II. *Intra quod temporis intervallum tenentur patroni præsentationem facere?* Resp. Patronis ecclesiasticis ius canonicum concedit sex menses, sæcularibus quatuor, mixtis ex sæcularibus & ecclesiasticis sex. Hoc semestre, vel quadrimestre computatur a die notitiæ certæ habitæ a patrono. Si lis sit inter patronos, & Episcopum super iure præsentandi, tempus non currit, ut communiter Auctores docent: similiter si lis sit inter præsentatos, tempus gradum sistit. Quando vero lis est inter ipsos patronos, & tempus elapsum est, collatio beneficii devolvitur ad Episcopum, qui tamen prorogare per aliud semestre valet.

IV. Præsentandi autem conditiones habere debent quæ Clericum aptum reddunt ad beneficium, & impedimentis carere quæ supra explicata sunt. Nemo præsentare seipsum potest: si tamen plures patroni sint, unus præsentare alium potest, sicut electores unum ex electoribus seligere valent. Pater præsentare filium dignum potest. Patroni autem sive laici, sive ecclesiastici præsentare digniorem tenentur; quidquid in oppositum aliqui dicant.

V. Quæst. III. *Quid sit institutio, & a quo facienda?* Resp. Institutio est *concessio*

cessio Ecclesiæ , seu beneficii , auctoritate Episcopi , vel Ordinarii facta , non cuivis Clerico , sed unice ei qui a patrono est nominatus , seu præsentatus . Clericus præsentatus intra terminum iuris exhibere præsentationis documentum personaliter tenetur; ut Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* XVIII. *de refor.* determinat. Episcopus autem solus debet iure communi instituere in beneficio eum quem Patronus ex Clericis examinatis digniorem nominaverit . Ex delegatione tamen Vicarius generalis Episcopi potest , inquiunt communiter Auctores , instituere præfatum nominatum . Quando a pluribus patronis plures Clerici nominantur , dignior præferri debet . Iusta occurrente caussa , summus Pontifex potest absque patroni consensu beneficia conferre . Semper tamen , gravi sublata caussa, servari debet quod Tridentinum *sess.* XXV. *cap.* IX. præscribit , nempe : *Patronatuum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est .*

VI. Quæst. IV. *Quid sit electio, & cui competat ?* Resp. Est *alicuius hominis ad Ecclesiam, suo vacantem Pastore, canonice facta vocatio , Superioris auctoritate confirmanda .* Si electio non requirat confirmationem , collatio dicitur , non electio . Beneficia electiva sunt Patriarchatus , Primatus , Archiepiscopatus , Episcopatus , Archimandritæ , Cœnobiarchæ , Abbatiæ , Prioratus &c. Circa illos quibus facultas eligendi competit , varia fuit & est disciplina . Olim ad Clerum , & populum electio attinebat . Nunc Romani Pontifices eligunt Prælatos Ecclesiarum Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium. In Germania tamen viget consuetudo antiqua eligendi ex Canonicorum Collegio Episcopum, a Pontifice summo confirmandum . Plures Reges ex consuetudine , vel ex concessione Romani Pontificis ius habent nominandi omnes Episcopos pro Ecclesiis cathedralibus suorum regnorum . Venetiis peculiaris viget disciplina . Summi Pontifices in universa Ecclesia , & Episcopi in sua diœcesi ad beneficia ecclesiastica eligere valent . Hac tamen universali potestate non utuntur Pontifices summi.

CAPUT VI.

De dignioribus ad beneficia ecclesiastica eligendis . Laxa Filliucii, Tamburini, *aliorumque Probabilistarum interpretamenta reiiciuntur .*

I. Quæst. I. *An dignior ad beneficia ecclesiastica, omisso digno, eligi debeat?* Resp. Dignior ille dicitur qui utilior ministerio est . Hæc maior dignitas , non ex una, aut altera dote, puta doctrina profundiore , sanctitate sublimiore , sed ex omnibus eligendi dotibus serio perpensis exsurgit. Concilium Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* I. *de refor.* docet Electores , *alienis peccatis communicantes , mortaliter peccare,*

re, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint. Episcopi, electoresque omnes integrum huiusce Concilii caput semper ante electionem legere serioque meditari deberent.

II. S. Thomas 2. 2. *quæst.* LXIII. *art.* 2. hæc habet. *Considerare oportet, quod dignitas alicuius personæ potest attendi dupliciter. Uno modo simpliciter, & secundum se: & sic maioris dignitatis est ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque quod ille qui est minus sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam sæcularem, vel propter aliquid huiusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, secundum illud I. Corinth.* XII. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: *ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi qui sunt simpliciter minus boni, melioribus præferuntur; sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis*.

III. Ad quæsitum ergo respondeo cum communi & vera Theologorum sententia, definita in Concilio Tridentino, & confirmata ab Innocentio XI. peccare mortaliter electores qui ad beneficia sive curata, sive simplicia non eligunt digniores. Verba Tridentini adeo perspicua sunt, ut nulla eludi interpretatione queant.

IV. P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. cap.* IV. *§.* 4. *num.* 5. „ Assero secundo, „ omnia beneficia, sive maiora, ut Cardinalatus, & Episcopatus, sive minora, „ ut Canonicatus, & Capellania, sive curam animarum habentia, ut Abbatia, „ & Parochia, sive non habentia, ut prædictus Canonicatus, & Capellania, & „ cetera beneficia quæ simplicia nominantur, abstrahendo ab his quæ dantur in „ concursu (de quibus mox num. 14.) assero, inquam, satis esse ad evitandum „ mortale, si conferantur dignis, & idoneis, esto prætermittantur digniores, vel „ dignissimi. "

V. P. Filliucius *tract.* XLI. *in Append. cap.* IV. *num.* 181. „ Dico quinto, sententiam „ quæ censet, satis esse dignos eligere ad beneficia quæ non dantur in concursu, „ esse probabilem ex Tridentino *sess.* VII. *cap.* III. *de refor.* dicente: *Conferantur* „ *dignis*: & universali æstimatione in creatione Beneficiariorum, & Cardina„ lium, Episcoporum, Abbatum &c. qui si inter dignos habeantur, laudatur ele„ ctor, & electio. Non laudaretur autem communiter, si mala esset, & pecca„ tum mortale. "

VI. Hæc rescripsi, ut magis exploratum habeas genium quorumdam Probabilistarum, qui, si luculentissima Tridentini verba non dubitant eludere, quid acturi sint, dum canones non sunt adeo perspicui, tibi iudicandum relinquo.

VII. Sed iterum audi Tamburinum *ibi num.* 8. „ Cum immediate antea Con-

„ ci-

„ cilium videatur esse contentum de dignis, vel primo videtur, per hoc *dignio-* „ *res* non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto *compara-* „ *tivo* pro *positivo*; vel secundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut ex- „ cludat indignos . . . vel tandem tertio loquitur, quando fit concursus. "

VIII. Hæc sunt laxitatis paradoxa quæ lectorum oculis subiicere operæ pretium existimamus, ut ex his manifestis commentis intelligant inclinationem non paucorum recentiorum ad laxandas leges tum divinas, tum humanas, si audent evidentissima Tridentini verba cavillari.

IX. Ven. Innocentius XI. hanc P. Tamburini opinionem damnavit in propos. 47. quæ eiusmodi est. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi iudicaverint, ad Ecclesiam promovent; Concilium vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum, sumpto* comparativo *pro* positivo; *vel secundo locutione minus propria ponit* digniores, *ut excludat indignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

X. Hanc damnatam thesim totidem verbis docet P. Tamburinus: quem ut aliquo modo excuset P. Viva in *trut.* in hanc thesim *num.* 1. advertit, Tamburinum vocare oppositam probabiliorem. Papæ! Hoc unum deerat ut sententiam in Tridentino evidenter traditam nec tamquam probabiliorem recognosceret.

XI. Missis, ne sim in re perspicua & evidenti longus, innumeris Patrum, & Conciliorum testimoniis, rationum momentis confirmatur communis sententia. Beneficia instituta sunt in utilitatem Ecclesiæ, & in præmia etiam eorum qui vineam Domini suis litterarum sudoribus, morumque sanctitate excolunt: præmia autem dignioribus debentur, præsertim ut ceteri alliciantur ad laborandum in Ecclesia. Ergo duplici iure obstricti electores sunt ad beneficia omnia sive curata, sive simplicia digniores præferre dignis. Pontifices, Episcopi, & ceteri electores non domini, sed dispensatores sunt bonorum Ecclesiæ. Ergo dignioribus conferre illa debent, non modo quia potiore iure ad hæc bona prædit sunt qui maiori splendent dignitate; sed in primis quod maior hæc dignitas utilior est Ecclesiæ; In hanc vero Ecclesiæ utilitatem, decorem, & incrementum spectare potissimum Episcopi tenentur. Quæ rationes non modo beneficia curata, sed etiam simplicia dignioribus esse conferenda evincunt. Digniores enim promovent Ecclesiæ incrementum, morum integritate, eleemosynis, aliisque piis operibus fideles excitant ad virtutum officia. Accedit quod in hoc difficillimo negotio qui hodie digniores nobis apparent, temporis decursu minus digni, & non raro indigni evadunt. Si, omissis dignioribus, beneficia conferantur dignis, brevi tempore Ecclesia indignis redundabit ministris; qui suis pravis vitiorum exemplis Ecclesiæ splendorem obscurarent, populis scandalo essent, & apud hæreticos Ecclesiam infamarent. E

mius

mius utique immaniusque scelus est ad beneficia curata, prætermissis dignioribus, eligere dignos: quia heinc propinquius animarum excidium, & ruina manant. At hoc non tollit quin grave peccatum sit hunc ordinem pervertere etiam in beneficiorum simplicium distributione: quoniam & in hoc grave Ecclesiæ infertur detrimentum, & iustitia distribuens violatur.

XII. P. Carolus Billuart *diss.* IX. *art.* 2. cum Lessio, Cabassutio, aliisque docet, non excedere venialem culpam, si in beneficiis simplicibus minoris momenti, quando non conferuntur per concursum, digni præferantur dignioribus. Quæ opinio nullo modo mihi probatur, quia viam aperit laxitati. Facile homines sibi persuadent beneficia esse minoris momenti. Præterea cur minoris momenti vocant beneficia simplicia, puta Canonicatus, Capellanias &c.? Forsitan quia tenues habent reditus? Non credo hoc præbituros responsum. Cur ergo? An Canonici non debent chorum frequentare, Capellani Missam celebrare, Evangelium legere &c.? Hæc ne officia minoris momenti? Quare ut falsam reiicio præfatam opinionem. Quamvis enim Tridentinum expresse non distinguat beneficium curatum a simplici; tamen absolute loquitur: & rationum momenta evincunt in omnibus beneficiis digniores esse præferendos.

XIII. Quæst. II. *Si excessus dignioris omissi sit levis, peccat ne mortaliter elector?* Resp. Negant Castropalaus, Aragon, Sanchez, Fagundez, Soto, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 326. Quæ opinio absolute spectata vera apparet: quia quando excessus est levis, leve solum detrimentum infertur Ecclesiæ. Et quando materia levis est, culpa mortifera esse nequit. Addit Sanchez, veram esse hanc opinionem, etiamsi excessus in meritis sit notabilis, quando excessus in beneficio sit exiguus: quia etiam tum exiguum detrimentum infertur digniori; atque ideo ex levitate materiæ leve erit peccatum. Si tamen, inquit, sit excessus in reditibus & honore, sub mortali conferri beneficium digniori debet.

XIV. Principio hæc opinio quantum ad hanc postremam partem mihi nullo modo probatur: quia quando excessus in meritis eligendi notabilis est, Ecclesia privatur notabili commodo, quod perciperet ex ministro magnopere digniore. Quare licet ob exiguitatem redituum leve dignior subiret damnum; tamen Ecclesia ob notabilem meritorum ministri excessum grave pateretur detrimentum, dum illo privaretur. In hac materia in primis splendor, utilitas, honor Ecclesiæ spectanda sunt; secundario autem maior aut minor redituum opulentia. Deinde præfata opinio etiam quantum ad primam partem periculi plena est. Quoniam cum maior dignitas eligendorum confinia præfinita non habeat; & in formanda huius maioris dignitatis persuasione sæpe homines fallantur, & raro digni, nedum digniores, occurrant: idcirco non audeo liberare a periculo gravis culpæ eum qui prætermitteret quem revera iudicat digniorem; quia non versamur in materia

v. g.

v. g. furti, cuius quantitas certo nobis conftet ; fed in negotio graviffimo, & obfcuriffimo, cuius confectaria nos latent, & cuius limites præcifi fugiunt notitiam noftram. Propterea in negotio adeo momentofo quælibet a fecuriori via declinatio gravis periculi plena eft.

XV. Quæft. III. *Tenetur ne elector dare fuffragium digniori, quando cognofcit fe nihil profuturum?* Refp. Si ferendo fuffragium digno evitare indigni electionem valet, tum poteft prætermiffo digniore eligere dignum. Quia utilior Ecclefiæ eft dignus quam indignus. Electores autem bonum publicum Ecclefiæ cum primis intendere debent. Quando non timetur electio indigni, cui numquam dandum fuffragium eft, & prævidetur certa electio digni, omiffo digniore, in electione alicuius Prælati fine concurfu, dicunt plures licitum effe ferre fuffragium pro digno : quia valde bono Ecclefiæ conducit ut electio fiat cum pace & concordia ; & quod electus nullam lamentationis cauffam habeat contra eum qui fuffragium negavit. Quando electio fit per concurfum, tunc femper digniori ferendum fuffragium aiunt.

XVI. Quæft. IV. *An refignans beneficium in favorem alterius, debeat digniorem quærere?* Negant Caftropalaus, Azorius, Leffius, Sanchez, quos citant, & fequuntur Salmanticenfes *num. 331.* fi tamen refignatarius fit æque dignus ac refignator. Adfirmant Soto, Navarrus, Vafquez *de benef. cap. 11. §. 4.* Et hanc fententiam iudico probabiliorem. Quia refignator tenetur procurare maius bonum Ecclefiæ. Et quamquam non fit beneficii collator, eft tamen illicitæ collationis cauffa, fi, omiffo digniore, dignum præferat.

XVII. Quæft. V. *An examinatores obftringantur Epifcopo proponere, quis ex candidatis examinatis dignior fit?* Refp. Quamvis aliqui negent, probabilior tamen fententia adfirmat. Examinatores enim ideo inftituti funt, ut illorum ope maior aut minor concurrentium ad beneficium habilitas deprehendatur. Nonne confultores tenentur manifeftare id quod magis expedit confulenti? Epifcopus fub mortali aftringitur inveftigare maiorem concurrentium dignitatem. Porro, ut hunc affequatur Epifcopus finem, examinatorum induftria, tamquam medio huic comparando fini opportuno, utitur. Ergo examinatores fub gravi culpa manifeftare maiorem concurrentium habilitatem obftringuntur.

XVIII. Quæft. VI. *Utrum, & cuinam reftituere debeant iniufti electores ad beneficia ecclefiaftica?* Refp. Reftituere tenentur faltem Ecclefiæ, vel communitati. Damnum enim grave inferunt Ecclefiæ, & Reipublicæ, dum bona communia in præmia meritorum deftinata, ut alliciantur fubditi ad laborandum in bonum commune Ecclefiæ, & Reipublicæ, ut fubeant incommoda in addifcendis fcientiis, & artibus, quibus apti efficiantur ad hunc finem comparandum, male diftribuunt. Læfio itaque Ecclefiæ, & Reipublicæ, dum non pro meritis præmia diftribuuntur, eft

ma-

manifesta ; quæ necessario reparationem postulat. Quo ad eum vero qui iniuste prætermittitur, revocanda est in memoriam doctrina quam tradit D. Thomas 2. 2. *quæst.* lxii. *art.* 2. *ad* 4. ubi sic habet. *Aliquis potest impedire aliquem ne habeat præbendam, multipliciter. Uno modo iuste; puta si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procuret quod detur alicui personæ digniori : & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel ad aliquam recompensationem faciendam. Alio modo iniuste; puta si intendat eius nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid huiusmodi : & tunc si impedit ne præbenda detur digno, consulens quod non detur, antequam sit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam compensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotii secundum arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale : quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri : si vero iam firmatum sit quod alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret quod revocetur, idem est ac si iam habitam ei auferret : & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem.*

XIX. Quæst. VII. *Translatio Episcoporum est ne iure naturali, & divino, an tantum ecclesiastico prohibita?* Resp. P. Suarez *Tom. III. de Relig. Lib. I. cap.* xvi. cum aliis defendit, vetitam esse solo iure ecclesiastico. P. Dominicus Soto *Lib. X. quæst.* ii. *art.*4. *concl.*1. Dionysius Carthusianus *de regim. Episcop.* Caietanus in 2. 2. *quæst.* clxxxiv. *art.* 6. Thomas Hurtadus *tract.*xii. *ref. mor. cap.*1. *num.*604. Bannez 2. 2. *quæst.* lxiii. *art.* 2. *dub.* 8. Salmanticenses *tract.*xxviii. *cap.*1. *punct.*8. *num.*384. defendunt hanc translationem esse iure naturali, & divino prohibitam. Evincunt auctoritate Innocentii III. in cap. *Inter corporalia* de translatione Episcoporum, ubi hæc decernit. *Cum ergo fortius sit spirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantum iudicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis coniugii, quod est inter virum & feminam, suo tantum iudicio reservavit, præcipiens ut quod Deus coniunxit, homo non separet. Non enim humana, sed potius divina potestate coniugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Iesu Christi) Episcopus ab Ecclesia removetur. Et ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata.* Coniugium istud spirituale non in omnibus carnali matrimonio assimilatur : cum istud nulla valeat auctoritate humana dissolvi ; illud vero & cessione, & pontificia dispensatione dirimi queat, gravi & manifesta urgente caussa, sine qua dispensatio nulla est. Episcopi enim sunt in statu perfectionis. Hic autem status perpetuitatem prodit. Heinc quando Episcopi Ecclesiæ alicui desponsantur, votum emittunt, quo ovium suæ diœcesis curæ devinciuntur. Votum au-

tem absolute, & natura sua perpetuum est. Ergo Episcopi iure naturali curæ suæ diœcesis astricti sunt. Quare S. Thomas 2. 2. *quæst.* clxxxix. *art.* 7. docet, Parochos, aliosque Beneficiarios, quia non sunt in statu perfectionis, posse ex licentia Episcopi beneficia deserere, secus Episcopos, inquiens: *Obligari autem voto perpetuo, & solemni ad vacandum divinis obsequiis competit proprie Episcopis, & Religiosis: Presbyteri autem curati, & Archidiaconi non obligantur voto perpetuo, & solemni ad curam animarum retinendum, sicut ad hoc obligantur Episcopi. Unde Episcopi Præsulatum non possunt deserere quacumque occasione absque auctoritate Romani Pontificis. Archidiaconi autem, & Presbyteri curati possunt libere abrenuntiare Episcopo curam eis commissam absque licentia speciali Papæ, qui solus potest in votis perpetuis dispensare.*

XX. Ex quibus colligitur, hanc Episcopatuum transmutationem fieri minime posse, nisi urgentissima & evidentissima caussa occurrente, quæ cedit in commodum & utilitatem non Episcopi, sed Ecclesiæ. Contingere potest ut talis Episcopus, doctrina, zelo, spiritu fortitudinis præditus, sit necessarius ad reformandos mores alterius diœcesis, ad reprimendos hæreticos, ad domandos pervicaces. Quando hæc Ecclesiæ utilitas manifesta sit, tunc Pontifex summus potest dispensare ut Episcopus ad talem diœcesim immigret. Numquam vero licita & valida est dispensatio data in commodum personale Episcopi, qui sponsam, cui semel perpetuo voto devinctus est, derelinquere velit, ut aliam sponsam ditiorem, amœniorem, pulchrioremque ducat. Quid ergo de illis translationibus quæ fiunt, ut diœcesis obtineatur propinquior patriæ, amicis, parentibus, cæli blandioris, patrimonii pinguioris, quæ omnia solum Episcopi commodum spectant? Omnes dispensationes pro eiusmodi translationibus obtentæ subreptitiæ, & obreptitiæ ex allata doctrina apparent. Quoniam dispensationes in votis perpetuis nullæ sunt, quoties vera caussa deest: quia votum perpetuum iure naturali divinoque indissolubile est, vera caussa sublata. Quæ dispensatio latiori significatu talis nuncupatur. Nec est quod opponas, quæ naturalis & divini iuris sunt, non esse dispensationi etiam pontificiæ obnoxia. Quoniam distingui ea debent quæ absolute iure naturali divinoque vetita, aut præscripta sunt, ab illis quæ fundantur in actibus humanis liberis, quibus positis, consurgit ius naturale & divinum. Hæc, non illa, subsunt dispensationi latius acceptæ, seu verius interpretationi. Pontifex enim summus, ut Dei vices gerens, interpres est legum: & ideo in iure naturali & divino quod pro fundamento præsupponit actus humanos, interpretari valet interdum, non obligare, ut latius *Tom. III.* de votorum dispensatione dictum est.

XXI. Quæst. X. *Quid sit confirmatio, & an confirmator debeat electi qualitates explorare?* Resp. Confirmatio est actio quæ plenum ius tribuit electo seu præsentato in dignitatem ad quam electus est. Siquidem ante confirmationem nullam exer-

exercere administrationem electus valet. Continuo vero post confirmationem & possessionem beneficii potest exequi ea quæ iurisdictionis sunt, secus ea quæ ad Ordinem & consecrationem pertinent, nisi sit ordinatus & consecratus.

XXII. Confirmator autem dubio procul explorare electi qualitates debet, ut perspicue statuitur cap. *Nihil est*, de electione: neque hoc in controversiam vocatur. Disputatur solum; num si dignus, prætermisso digniore, electus fuerit, confirmandus a Superiore sit. Concilium Tridentinum *sess.* VII. *cap.* VII. *de refor.* hæc statuit. *Præsentati, seu electi, vel nominati a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, nec admittantur, etiam prætextu cuiusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius ab Ordinariis locorum examinati, & idonei reperti*. Nomine autem *idonei* dignior congrue intelligitur.

XXIII. Quæst. XI. *Licitum ne est ad beneficium eligere consanguineum*? Resp. Qui confert beneficium alicui propter consanguinitatem, peccat mortaliter, ut S. Thomas in *IV. dist.* XXV. *quæst.* III. *art.* 3. *ad* 7. docet. *Qui dat ratione consanguinitatis præbendam alicui principaliter, peccat graviter*. Sub hac voce *principaliter* multæ cubant amoris proprii subtilitates. Tum datur principaliter propter consanguinitatem, quando consanguinitas plus movet quam personæ eligendæ merita. Si vero non carnis & sanguinis ratio, sed dignitas personæ, quæ aliis concurrentibus præstet, hoc suadeat, tum eligi consanguineus valet; dummodo scandali & murmurationis occasio absit, ut perspicue S. Thomas 2. 2. *quæst.* LXIII. *art.* 2. *ad* 1. docet. *Quandoque consanguinei Prælati ecclesiastici sunt æque digni ut alii: & sic licite potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre: quia saltem in hoc præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent. Esset tamen hoc propter scandalum dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter dignitatem bona Ecclesiæ consanguineis dandi*.

XXIV. Difficile in praxi est ne secretissimæ carnis & sanguinis illusiones animum electoris obscurent, ne multorum murmura, & scandala oriantur. Quare nisi consanguinei dignitas, & merita manifesta sint, & extra controversiam, cavere Episcopus, & elector quilibet tenetur a promovendis consanguineis. Habere Episcopi præ oculis debent quod in *tract. de collat. benef. cap.* III. narrat Guillelmus Parisiensis inquiens: *Pulchre Episcopum habentem pyrum onustam fructibus, & volentem Archidiaconatum conferre Robinulo nepotulo suo, quidam delusit. Cum interrogaret Episcopus, cui pyrum illam committeret custodiendam, & responsum esset a quodam, ut illam memorato Robinulo committeret, Episcopus respondit: Absit, quia pyra illa omnia devoraret: dixit Episcopo: Domine, qualiter committitis Robinulo tot millia animarum custodienda, cui tam pauca pyra committere non audetis?* Caveant

veant Episcopi, & electores omnes ne similem sibi improperandi occasionem praebeant.

CAPUT VII.

De potestate summi Pontificis, Episcoporum, & Cardinalium beneficia conferendi.

I. SUmmus Pontifex, utpote universae Ecclesiae caput, potestatem habet omnia cuiusque qualitatis beneficia conferendi. Archiepiscopi, & Episcopi in suis dioecesibus ex iure communi dispensant beneficia. Si tamen Pontifex summus praeveniat Ordinarium in collatione, valida collatio est, utpote a Superiore potestatem habente facta.

II. Concilium oecumenicum conferre beneficia valet. Similiter Cardinales, etiam non Episcopi, Ecclesiarum, quarum habent titulos, sive ex iure, sive ex consuetudine, beneficia dispensant, sive Canonicatus, sive Dignitates, sive curata, sive simplicia. Cardinales Legati a latere conferre queunt beneficia in provincia suae legationis, etiamsi sint iurispatronatus ecclesiastici. Canonistae extendunt illorum potestatem etiam ad beneficia devoluta ad Sedem Apostolicam, & ad ea quae vacant mensibus Ordinario concessis, nisi Ordinarius indultum habeat a summo Pontifice.

III. Ecclesiae Cathedralis Capitulum simul & Episcopus potestatem habent dispensandi Canonicatus, & praebendas. In diversis tamen Ecclesiis variae obtinent consuetudines. Nam alicubi Capitula habent simultaneam collationem cum Episcopo. In aliquibus beneficia, & dignitates Episcopi soli conferunt; & Capitulum sine Episcopo praebendas distribuit. Quando collatio est communis, & Capitulum ac Episcopus non conveniunt, si Capitulum conferat uni, & Episcopus alteri, neutra collatio valet, & ius conferendi devolvitur ad Pontificem, nisi intra semestre partes concordent. Ad has porro vitandas discordias olim frequenter partes convenere, ut provisiones Canonicatuum, praebendarum, aliorumque beneficiorum fierent per turnum, seu per menses, aut hebdomadas. Et cuiusque Ecclesiae consuetudini adhaerendum est. Electio Canonici Poenitentiarii ad Episcopum attinet, ut in Concilio Tridentino *sess.* XXIV. *cap.* VIII. *de refor.* statutum est, nisi aliquod peculiare privilegium adsit. Ad Episcopum quoque pertinet electio personae ad interpretandam sacram Scripturam, & collatio praebendae ad Capitulum; quamquam pluribus in locis varia obtineat consuetudo.

IV. Quaest. I. *An, quando unus ex electoribus est impeditus, possit alteri vices suas committere?* Resp. Episcopus eligere potest per suum Vicarium, ut fatentur omnes iuxta *motum proprium* Leonis X. Vicarius tamen peculiarem, & specialem habere licentiam debet. Haec quoque facultas communiter conceditur cuilibet Canonico, ele-

electori. Personæ tamen substitutæ præstare iuramentum de eligendo digniore debent ut præfatus Pontifex præscribit. Si hoc iuramentum omittatur, nullam esse electionem, permulti docent. Electio autem iuxta communem sententiam debet esse per suffragia secreta. Disputant vero Canonistæ, num si unus Canonicus ostendat alteri suffragii schedulam, electio sit nulla? Si fraudulenter id ageret ad irritandam electionem absque illius voto validam, electio valida consisteret: quia patrocinari nemini fraus debet. Quando vero manifestatio, sublata fraude, fit ex errore, aut ignorantia, nullam tunc volunt electionem. Alii contendunt nullum tantum esse illud suffragium, ita ut si electus unico tantum suffragio alios vincat, nulla sit eius electio; validam vero electionem, si absque illo suffragio consistat. Alii probabilius censent ostensionem talis suffragii non impedire electionem, nisi ostensio talis suffragii caussa sit ut concludatur electio; quo in casu cassari deberet.

V. Quæst. II. *An Capitulum, sede vacante, conferre beneficia ecclesiastica quæ conferre Episcopus solet, possit?* Resp. Communis sententia negat: quia omnia beneficia sede vacante, ex *reg.* 2. *Cancel.* reservantur Pontifici summo. Potest tamen Capitulum ex communi consuetudine edicta exponere, ad concursum vocare, & digniorem eligere: collatio tamen beneficii ad Pontificem attinet, qui vel electo a Capitulo, vel cui maluerit, conferre valet. Capitulum quoque potest Ecclesiæ parochiali vacanti præficere Vicarium, qui onera Ecclesiæ sustineat, assignata eidem congrua fructuum portione; ut habetur ex Tridentino *sess.* XXIV. *cap.* XVIII. Potest quoque Capitulum excipere resignationes liberas, quemadmodum Episcopi, secus caussa permutationis: & commendare Ecclesias, donec provisæ de Rectore fuerint. Plura alia de Capitulo, de Vicario & generali, & foraneo, de beneficiis reservatis summo Pontifici, de regulis Cancellariæ, quas instituerunt Ioannes XXII. Nicolaus V. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. & alii Pontifices, fuse disputant Canonistæ. Verum hæc omnia, tamquam ab instituto aliena, prætereo.

CAPUT VIII.

De forma provisionis, & de resignatione Beneficiorum.

I. EPiscopus, habita vacantis Ecclesiæ notitia, eidem præficere continuo Vicarium debet cum portione fructuum suo arbitrio designanda. Potest Episcopus, aut qui iuspatronatus habet, intra tempus ab ipso Episcopo præscribendum, per edictum publicum iubere ut vocentur Clerici ad examen sustinendum pro beneficio vacante conferendo. Potest etiam Episcopus, vel qui iuspatronatus habet, nominare idoneos Clericos ad examen. Et hæc forma, quæ primo loco a Tridentino *sess.* XXIV. *cap.* XVIII. *de refor.* ponitur, tutior pro candidatis videtur. Sic enim

nemo propria voluntate tanto certamini se committeret, sed solum illi examen sustinerent qui essent ab Episcopo nominati, & vocati: atque adeo liberi forent a periculo desiderandi regimen animarum; a quo non facile absunt qui, audita publici edicti voce, sponte accedunt ad examen habiles, & inhabiles, digni, & indigni. *Porro Episcopus* (inquit Concilium) *intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet*. Vocatio per edictum, elapso decem dierum spatio, exspirat. Poterit tamen Episcopus per alios decem dies, & non ultra eam prorogare. Si in examine nullus repertus fuerit idoneus, Episcopus absque concursu idoneum Clericum ad examen vocare potest, eique beneficium conferre.

II. Disputant in utramque partem Auctores, num aliquod stipendium examinatoribus statuendum pro examinis labore sit. Adfirmant aliqui etiam post Tridentinum: quia, inquiunt, Tridentinum vetat ne quidquam offeratur occasione examinis, ut approbatio obtineatur; secus ut labor compensetur. Sed opinio hæc falsa est, & Tridentino adversa: neque opposita consuetudo, quæ obtruditur, honestare tale stipendium valet,

III. In collatione beneficiorum simplicium non requiritur neque edictum, neque vocatio per concursum; sed sat est ut collator eligat quem cognoverit digniorem.

IV. Quæst. I. *Quid sit resignatio, seu renuntiatio beneficii?* Resp. Vacare beneficium potest vel per obitum Beneficiarii, vel per resignationem, quæ est *voluntaria beneficii dimissio coram Ordinario legitimo facta*. Duplex est: expressa, qua expressis verbis ius beneficii deponitur; & tacita, quæ iuris dispositione inducitur per executionem actus contrarii retentioni beneficii, ut per matrimonium, artem militarem, professionem religiosam. Expressa alia est simplex, & pura, dum beneficium deponitur absolute, nulla conditione adiecta; alia conditionalis, dum fit in favorem talis personæ, vel cum reservatione alicuius pensionis quotannis solvendæ.

V. Quæst. II. *Quibus ex caussis admittere Ordinarii simplices resignationes valent?* Resp. Episcopi solas resignationes simplices admittere possunt, & nullo modo conditionatas, quas solus Pontifex acceptare valet. Plures assignantur caussæ resignationis in constitutione edita a S. Pio V. an. 1568. suntque sequentes. 1. Si Beneficiarius sit senex septuagenarius. 2. si sit valetudinarius. 3. si est corpore impeditus, paralyticus, apoplecticus, lunaticus, leprosus &c. 4. si sit claudus, mutus, surdus. 5. si sit homicida, simoniacus, sodomiticus, concubinarius, blasphemus. 6. si sit censuris ecclesiasticis irretitus. 7. si nequeat, aut non debeat beneficium administrare, ut dæmoniacus, relegatus, illitteratus, irregularis, aut scandalosus. 8. si plura beneficia obtinuerit incompatibilia. 9. si aliud beneficium cum primo incompatibile assumpserit. 10. si Religionem ingressus est. 11. si matrimonium est pro-

proxime contracturus. 12. quando ob inimicitias capitales non audet beneficium administrare. Aliquæ tamen ex his caussis inducunt resignationem non liberam, sed necessariam.

VI. Tres in his renuntiationibus servandæ sunt conditiones, in præfata constitutione designatæ. 1. Si Beneficiarius sit in sacris constitutus, debet, unde decenter vivat, habere. 2. Ne beneficia resignata quocumque modo, aut circuitione conferantur consanguineis, affinibus, aut familiaribus dimittentium. 3. Ne successores in beneficiis nutu, verbo, signove aliquo designentur a resignatoribus, neve promissio, aut conventio aliqua intercedat inter resignantes & collatores vel præsentatores.

VII. Quæst. III. *Quæ beneficia resignari valent?* Resp. Si beneficium sit curatum, in Curia non admittitur renuntiatio, nisi per tres annos ei resignator inservierit. His elapsis, omnia beneficia resignari possunt, & ab Ordinariis resignationes admitti. Si beneficia sint iurispatronatus, accedere consensus patroni debet. Beneficium, quo ob delictum quis privandus est, is resignare sponte valet. Ordinarius vero qui admittere resignationem potest, est tantum ille qui conferendi & adimendi beneficinm facultatem habet. Vicarius Episcopi absque speciali mandato nequit resignationes admittere. Ordinarius nequit acceptare resignationes cum regressu, & ingressu. Si resignator in infirmitate renuntiet, debet supervivere 20. dies post acceptatam renuntiationem, alioquin beneficium censetur vacare per obitum.

VIII. Quæst. IV. *Potest ne Beneficiarius in periculo mortis constitutus renuntiare cum spe regressus, si convalescat?* Resp. Regressus ad beneficium est omnino prohibitus a Tridentino *sess.* XXV. *cap.* VII. *de refor.* & a S. Pio V. in Bulla quæ incipit, *Romani Pontificis*. Tridentinum inquit: *Nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium ecclesiasticum cuiuscumque qualitatis concedatur*. Resignans manet in administratione beneficii, donec resignatarius possessionem ceperit.

IX. Quæst. V. *An resignationes in favorem alterius sint licitæ*. Resp. In superiori *diss. de simonia* ostensum est, resignationes in fa vorem alterius esse simoniacas. Istarum resignationum in favorem alterius usus sensim sine sensu invectus est circa finem sæculi XV. contra omnes antiquos canones; ut habetur in can. *Petiisti* VII. quæst. 1. ubi Zacharias Papa ad Bonifacium Moguntinum inquit: *De eo autem quod tibi successorem constituere dixisti, ut, te vivente, in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum esse monstratur*. Quis complecti digna oratione potest absurda, & gravissima detrimenta quæ ex hac hereditaria successione Ecclesia patitur? Dispensationes, quibus honestari eiusmodi successiones consuescunt, frequenter obreptitiæ, & subreptitiæ sunt. Nulli melius quam resignatores dignoscere valent, successores non

esse Ecclesiæ utiliores. Pontifices summi tolerant sæpe eiusmodi resignationes; & dispensationes impertiuntur ex suppositione, quod vera sint exposita. Ceterum eiusmodi resignationes, cum non cedant in maiorem & Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, coram Deo licitæ nullo modo sunt, quamvis dispensationum velo ornatæ.

X. Quæst. VI. *Quandonam licita est beneficiorum permutatio?* Resp. Permutatio beneficii est *mutua, & reciproca beneficiorum resignatio, quæ ad invicem inter permutantes fit*. Permutatio affinis est resignationi in favorem alterius: & solum differt, quod in permutatione resignatio est mutua. Si quis solum habens ius ad rem, permutaret cum alio habente idem ius, aut in re, simoniaca esset permutatio, ut dictum alias est. Sola maior Ecclesiæ utilitas licitam efficere permutationem valet. Plures adduci aliæ caussæ solent, ut loci intemperies, unde Beneficiario graves obveniunt infirmitates, inimicitiæ graves, damna spiritualia, vel temporalia gravia, ratione beneficii imminentia. Unam ex his caussis sufficere ad honestandam permutationem, docent Salmanticenses *tract.* XIX. *art.* 3. *punct.* 2. *num.* 37. Verum hæc regula generalis definiri nequit. Semper enim ad licitam permutationem maior requiritur Ecclesiæ utilitas, quæ ex pluribus circumstantiis resultat. Accedere insuper debet auctoritas legitimi Superioris, nempe aut Papæ, aut Ordinarii, qui ius habet conferendi, instituendi, & amovendi Beneficiarium a tali beneficio. Debet insuper permutatio esse libera, & absque ulla pensione, in qua solus Pontifex dispensare potest.

XI. Quæst. VII. *An beneficium amittatur per matrimonii contractum, quod postea sit nullum?* Resp. Beneficium amitti per matrimonium legitime contractum, etiam non consummatum, docent omnes. Disputant vero in partes plures de matrimonio nullo. Alii dicunt ipso facto Clericum contrahentem matrimonium, etiamsi nullum sit, beneficium amittere. Alii docent, beneficium in hoc casu vacare, si contrahens non est conscius nullitatis; secus, si nullitatis conscius sit. Alii e contrario contendunt, Beneficiatum contrahentem matrimonium cum consanguinea, aut affini in gradu prohibito bona fide, & cum debita solemnitate non amittere beneficium, nec per sententiam iudicis posse privari; si vero mala fide contrahat, ipso facto amittere beneficium. Tandem alii defendunt, numquam beneficium amitti per matrimonium nullum ante iudicis sententiam. Disputatio hæc tanti non est, ut mea longiore discussione egeat. Mihi probabilius est, quemlibet Beneficiatum ipso facto quod matrimonium contrahat, amittere beneficium. Nam si revera intendit contrahere matrimonium, reipsa beneficium respuit. Si ficte contrahit, eo ipso meretur privari. Quare, missis argutationibus, qui matrimonium contrahit sive validum, sive ex aliquo impedimento nullum, sive scienter, sive ignoranter, sive bona, sive mala fide, beneficio privandus est.

CA-

CAPUT IX.

De pluralitate beneficiorum, & pensionum.

I. NEmo, ut mea præfert opinio, luculentius propositam controversiam tractavit Doctore Angelico. Antequam tamen illius doctrinam in medium proferam, lubet Tridentini sanctiones rescribere. Hæc autem *sess.* XXIV. *cap.* XVII. *de refor.* Concilium præscribit. *Illi vero qui in præsenti plures parochiales Ecclesias, aut unam cathedralem, & aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum parochiali, vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam parochiales, quam beneficia omnia quæ obtinent, ipso iure vacare censeantur; nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia fructus post dictum tempus retineant.* Concilium sex menses concessit ad resignanda beneficia incompatibilia, ante Concilii celebrationem obtenta. In præsens qui obtinent beneficium incompatibile, intra duos menses renuntiare tenentur pure & simpliciter priori in manibus Pontificis; quo tempore elapso, sine tali renuntiatione omnia beneficia vacarent. Qui vero ab Episcopo beneficium incompatibile cum alio assequuntur, statim, antequam secundi possessionem capiant, renuntiare priori debent: alioquin utrumque vacaret ipso iure.

II. Insuper Tridentinum *cit. sess.* XXIV. *cap.* XVII. hæc alia initio præmittit. *Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam eius cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia .... pertineant* &c.

III. Nemo itaque, etiamsi Cardinalis dignitate fulgeat, habere plura beneficia potest, ne quidem simplicia, si unum congruæ sustentationi sufficiat. Si autem curata sint, etiamsi unum non sufficiat, non propterea possidere plura licet. Hæc clara & luculenta sunt.

IV.

IV. Quæst. I. *Utrum pluralitas beneficiorum iure naturali, nedum canonico, sit prohibita?* Resp. Actionum humanarum aliæ sunt iure naturali ita absolute vetitæ, ut in nulla circumstantia liceant; ut mendacium, adulterium, periurium &c. Aliæ sunt quidem iure naturali vetitæ, sed non in omni circumstantia; ut homicidium, quod auctoritate publica factum licitum est. Tactus mamillarum, pudendorum absolute vetiti sunt; curandæ tamen infirmitatis caussa licent; quidquid fabulentur rabulæ nonnulli. In hoc secundo actionum genere collocat S. Thomas actionem habendi plures præbendas. Sic quippe *quodlib.* IX. *art.* 15. scribit. *Sunt vero quædam actiones quæ absolute consideratæ deformitatem, vel inordinationem quamdam important; quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur; sicut occidere hominem, vel percutere, in se deformitatem quamdam importat; sed si addatur occidere malefactorem propter iustitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat; tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur: ut puta, si sit necessitas in pluribus Ecclesiis eius obsequio, vel possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem absens quam alius præsens, & si quæ alia sunt huiusmodi. Et tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantum ius naturale: quia dispensatio ad ius naturale non pertinet, sed solum ad positivum.*

V. Paucis perstringitur hæc S. Thomæ doctrina. Pluralitas beneficiorum, secundum se accepta, iure naturali vetita est; vestita autem circumstantiis utilitatis, & necessitatis Ecclesiæ, licita evadit. Hanc pluralitatem iura antiqua prohibuerunt. Si hæc iura antiqua essent per consuetudinem contrariam abrogata, etiam sine dispensatione, positis præfatis circumstantiis, licitum esset habere plures præbendas. Sublatis vero his circumstantiis, nulla honestari dispensatione valet pluralitas præbendarum. Cur? Quia, sublatis dictis circumstantiis, pluralitas præbendarum iure naturali vetita est. Nulla autem dispensatio liberare a iuris naturalis vinculo potest. Sic concludit S. Thomas in fine citati articuli. *Si autem antiqua iura sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circumstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione licitum est plures præbendas habere, sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcumque dispensatio interveniat: eo quod dispensatio humana non aufert ligamen iuris naturalis, sed solum ligamen iuris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.*

VI. Pluralitas igitur præbendarum iuri naturali absolute adversatur. Præbendæ enim institutæ sunt, tamquam ministrorum stipendia, ut Ecclesiæ pluribus abundent ministris, qui Dei cultum promoveant, qui populi salutem curent. Dum

unus pluribus fruitur præbendis, Ecclesia numero, & obsequio ministrorum destituitur. Neque enim unus absolute & communiter pluribus deservire Ecclesiis valet. Diminuitur ergo divinus cultus, dum unus loco plurium instituitur. Unus enim habens plures præbendas nequit offerre tot sacrificia, tot horas canonicas recitare, tot sacramenta ministrare, ac ministrant, & recitant plures ministri: nequit ea gregi subsidia spiritualia porrigere quæ plures præberent. Fundatorum voluntates defraudantur, qui præbendas instituerunt, non ut hunc illumve ministrum ditarent saginarentque; sed ut Dei cultum promoverent, ut populi christiani moribus formandis Pastores adessent. Pluralitas autem beneficiorum ordines istos omnes pervertit: unum reddit opulentum, dum alius esurit; fovet ambitionem & fastum; succendit avaritiam, cupiditatem, luxum, crapulam, & luxuriam; extremamqne Ecclesiæ cladem inducit.

VII. Si autem tales occurrerent circumstantiæ in quibus idonei ministri deficerent, & unus scientia, dexteritate, morumque sanctitate ita emineret, ut plus absens quam alius præsens promovere Dei cultum, & Ecclesiæ utilitatem posset; quod rarissime in tanta ætatis nostræ ministrorum abundantia evenit; tunc coram Deo licitum esset habere plures præbendas: quia in his circumstantiis hæc pluralitas non contraria, sed quam maxime consentanea esset naturæ iuri. Nemo tamen privatus iudex esse harum circumstantiarum potest; sed solus Pontifex summus, tamquam universalis Ecclesiæ Provisor, & Dei Vicarius, interpretari iure valet has hic & nunc circumstantias locum habere. Pontifex ergo summus, dum alicui plures habere præbendas concedit, non dispensat a naturalis iuris vinculo; sed declarat ius ipsum naturale his in circumstantiis non obligare: dispensat vero in iure positivo, omnino hanc pluralitatem vetante.

VIII. Obiicies. Consuetudo obtinet penes vel ipsos Ecclesiasticos bene moratos & doctos habendi plura beneficia. Respondeo, hanc solam pluralitatem beneficiorum, si desint recensitæ circumstantiæ, gravi argumento esse, possessorem plurium beneficiorum vera esse pietate, & morum integritate destitutum. Nulla contra ius naturale prævalere consuetudo potest. Consuetudo quæ obtruditur, manifesta corruptela est.

IX. Opponunt, Concilium Tridentinum non esse ubique receptum, præsertim quantum ad disciplinam. Respondeo, ius naturale declaratum a Tridentino ubique gentium prævalere. Gennetus *Tom. II. tract.* I. *cap.* VI. solemnem Gallorum Tridentini acceptationem rescribit.

X. Quæst. II. *Qui pontificia dispensatione plura possidet beneficia, frui ne iisdem tuta conscientia valet?* Resp. Responsio patet ex dictis. Si adsit Ecclesiæ maior utilitas, maior cultus Dei, maior animarum salus, accedente declaratione, seu dispensatione pontificia, securus in conscientia est Beneficiarius, dummodo omnia

quæ

quæ suæ honestæ sustentationi superfluunt, pauperibus utriusque Ecclesiæ dispenset; dummodo nihil in ditandis nepotibus, & consanguineis, nihil in crapula, in conviviis, in luxu, & fastu fovendis, & avaritia, atque ambitione alenda impendat; dummodo labor, studium, curæ, vigiliæ illius prævaleant plurium ministrorum curis, & laboribus. Quoniam vero perraro hæc occurrunt, immo rarissime, & vitia quæ recensui, & abusus redituum, & neglectus divini cultus, & animarum ruinæ frequentissime ob oculos sese ingerunt : idcirco raro, immo rarissime possessores plurium pinguium beneficiorum securi in conscientia sunt; sed in gravissimo æternæ perditionis periculo versantur, nulla consuetudine, nulla dispensatione suffragante.

XI. Obiicies. Episcopi habentes plura beneficia, & opulentos reditus, potentes fiunt ad reprimendos hæreticos, & in ordinem redigendos, ad propugnanda Ecclesiæ catholicæ iura. Milites alunt, & maiestatem præferunt, quæ terrorem incutit. Respondeo, Apostolos, omnesque Iesu Christi servos, non armorum strepitu, non militum catervis, non fastu pompatico, sed paupertate, modestia, humilitate, ieiuniis, sobrietate, precibus, hæreticorum, & paganorum pervicaciam domasse, & animas lucratos fuisse. Quæ opponuntur, commenta sunt ambitionis, pravæque cupiditatis versuta præstigia. Aut cælo ergo, aut pluralitati, quando unum sufficit beneficium, renuntient necessum est. Obvia & trita sunt S. Bernardi *Lib. III. ad Eugen. cap.* IV. verba. *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Luculenta hæc sunt, & extra controversiam posita. Exulant ne propterea dissipationes velo dispensationis tectæ?

XII. Quæst. III. *Utrum Clericus possit duo beneficia compatibilia, quorum quodlibet sufficiat sustentationi, obtinere?* Resp. Beneficia incompatibilia ea dicuntur quæ vel residentiam diversam postulant, vel quæ in eadem Ecclesia idem ministerium, & officium habent : hæc enim mutuo se excludunt, &, uno obtento, aliud vacat; ut colligitur ex cap. *Litteras* de concess. præbend. Sermo ergo est de beneficiis simplicibus, quorum unum sufficiat ad congruam sustentationem. Alii adfirmant, alii negant. Sed vera sententia docet, nullo modo quemquam posse duo beneficia retinere, quorum unum sufficiat ad congruam sustentationem, sed, uno obtento, aliud continuo vacare; ut statuit Tridentinum *sess.* VII. *cap.* IV. & *sess.* XXIV. *cap.* XVII.

XIII. Disputant vero Theologi, & Canonistæ, quodnam sit beneficium illud quod congruæ honestæque sustentationi sufficiat. Salmanticenses *tract.* XXVIII. *cap.* I. *punct.* 16. §. 5. *num.* 670. varia Auctorum placita referunt. Alii dicunt, illud beneficium congruæ sustentationi sufficere quo Beneficiarius potest alere seipsum, paren-

rentes, sorores, nepotes, filios spurios, hospites, peregrinos suscipere, & episcopalia, aut parochialia onera sustinere. Addunt habendam esse rationem nobilitatis, scientiæ, & dignitatis. Si hæc omnia vera forent, rarum esset beneficium tot abundans reditibus qui dictis oneribus explendis sufficeret. Filliucius *tract.* xli. *cap.* vii. apud ipsos Salmanticenses, cum Azorio, & aliis docet, sat esse beneficium reddere fructus sufficientes, si Beneficiarius sit infimæ sortis, ad sustentandum ipsum Beneficiarium, coquum, unum famulum, unum equum, & ad conducendam domum habitationi necessariam. Si Beneficiarius sit Licentiatus, vel Doctor, tunc beneficium debet reddere fructus qui satis sint ad alendos duos famulos, coquum, & equum. Si Beneficiarius sit nobilis, tum potest habere tres aut quatuor famulos, duos equos, currum, coquum, & conductorem domesticum. Si sit Episcopus, poterit ex reditibus Ecclesiæ, demptis sibi ad victum necessariis, duodecim, aut quatuordecim famulos sustentare. Si sit Cardinalis, ei concedit singulis mensibus mille aureos; quorum centum impendat in mensa, centum in famulis minoribus, trecentos in maioribus, centum in supellectili, centum in vestitu pro se, & camerariis, centum in vestiendis parafrænariis, centum in stabuli impensis, & centum pro elargiendis eleemosynis. Si Cardinales sint Principes, aut nepotes Pontificum, tum eis impertitur pro congrua sustentatione propria, & familiarium mille aureos in hebdomadas singulas. Si sint infra Principes, & supra Cardinales alios, ratione nobilitatis, aut antiquitatis, vel gradus, v. g. Vicecancellarii, Camerarii, Vicarii Pontificis, istis permittit quingentos aureos in singulas hebdomadas. Hæc tradunt huiusmodi Doctores, inquiunt Salmanticenses.

XIV. Verum sancti Ecclesiæ Doctores clamant, hæc esse, non paupertatis apostolicæ, & ecclesiasticæ modestiæ, sed luxus, pompæ, & fastus nimii argumenta. Arbitraria commenta hæc sunt: nec assignari præcisa regula potest. Beneficiarii omnes altius animo insculptum habere debent, reditus ecclesiasticos sacras esse piorum fidelium oblationes Christo consecratas, pauperum patrimonia. Recogitare serio debent, se esse christianæ militiæ duces, & imperatores sub Christo paupere pro domo Dei belligerantes. A Christo, ab Apostolis, a sanctissimis Episcopis, & Cardinalibus, quorum vita & mores in Ecclesia refulgent, normam domestici regiminis, & sobrietatis repetere debent. Mutata utique est exterior vivendi disciplina; sed talis esse semper debet, quæ non pugnet cum Ecclesiæ spiritu, qui semper idem fuit, & esse debet, ut cælum obtineatur. Sint Beneficiarii Licentiati, Baccalaurei, Doctores: sint nobilissimi, sint Principes, Episcopi & Cardinales. At, mundi nobilitate, & principatu contemptis, Christo pauperi sese consecrarunt Christi milites, immo christianæ militiæ præfecti, centuriones, prætores, & duces sunt, qui præire Christianis, eosque, & semetipsos Christo supremo Imperatori conformes efficere pro humana imbecillitate debent. Si hæc secum serio reputaverint, scient profe-

cto

cto ita temperare propriæ sustentationis, & domesticæ œconomiæ confinia, ut pro infelici temporum, & ætatis conditione & dignitatem gradus, & apostolicæ vitæ formam componere una valeant. Recensitæ a nonnullis Casuistis regulæ ad mundanæ potius ambitionis & fastus, quam ad evangelicæ moderationis amussim exaratæ videntur. Definiri, & præscribi norma præcisa nequit; sed quisque ex indicatis principiis sibi præstituere eam expensarum formam poterit quæ dignitatem sacram & apostolicam deceat, & pauperum, viduarum, ac orphanorum egestati levandæ non officiat.

XV. Quæst. IV. *Quid de pensionibus non imponendis beneficiis parochialibus dicendum?* Resp. Supra *cap.* 11. de pensionibus sermo fuit. Pauca hic addenda sunt. Pensionum origo vetusta. Istarum vestigium habetur in Concilio Chalcedonensi, in quo concessæ fuerunt pensiones Basiano & Stephano, de Ephesino Episcopatu contendentibus. Pensionum usum probavit quoque S. Gregorius Magnus, qui Agathoni Episcopo Liberitano deposito alimenta ex reditibus Ecclesiæ subministrari statuit; ut colligitur ex *Lib. II. epist.* 111. Illis Clericis dumtaxat primum concessæ pensiones fuere qui post egregiam Ecclesiæ præstitam operam, extrema premebantur inopia, & sua beneficia propter aut senectutem, aut infirmitatem deserere cogebantur. Hæc est origo, hæ iustissimæ concedendæ pensionis caussæ. Abusus postea, quemadmodum contingere solet, invaluit ut Clerici etiam illi obtineant pensiones qui nullum servitium Ecclesiæ præstant. Quæ sane collationes, & fundatorum, & Pontificum ipsorum intentioni contrariæ sunt. Pontifices enim, ut alias sæpe dictum est, dispensatores, non domini sunt Ecclesiæ redituum. Quoties ergo Clerici qui non Ecclesiæ, sed mundo, sed Magnatibus inserviunt, in eorum aulis otio diffluunt, aut in terrenis procurationibus occupantur, istorum favore, & patrocinio pensiones ementitis titulis assequuntur; subreptitiæ, & obreptitiæ sunt dispensationes istæ, & iniuste pauperum, viduarum, & Beneficiariorum patrimonia devorant Clerici eiusmodi. Pontificiæ dispensationes, quia subreptitiæ, nihil prorsus iisdem suffragantur, ut Patres omnes, & præsertim Bernardus clamat.

XVI. Ad propositum quæsitum directe respondeo, Innocentii XII. iussu anno 1692. vetitum ne parochialia beneficia pensionibus graventur, ut Parochi subvenire pauperum, & Ecclesiæ necessitatibus valeant: quod decretum a Dataria emanatum refert Gennetus *tract.* I. *de benef. cap.* XII. *quæst.* V. Plura alia tum de pensionum abusu, tum de beneficiis dicenda forent. Verum, si controversiæ quæ de regulis Cancellariæ, de beneficiorum extinctione, divisione, unione agitari solent, discutere vellem, integrum volumen non sufficeret. Ceterum pauca quæ perstrinxi, satis sunt pro communi conscientiarum regimine.

LIBER SECUNDUS.

DE MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO.

DISSERTATIO PRIMA.

PRAELOQUIUM.

HActenus de evangelicæ legis ſacramentis quæ nos ad ſpiritualem, æternamque vitam regenerant, aut regenitos alunt, nutriunt, roborantque. In præſentiarum autem de eo ſacramento inſtituendus nobis ſermo eſt quo ſanctificantur Chriſtiani qui ad propagandam generis humani ſocietatem deſtinati ſunt. Tanta enim eſt in novo fœdere gratiarum copia, a Chriſto Servatore divino nobis collata, ut voluerit vel ipſam ſobolem a parentibus ſacramenti vinculo iunctis generari. Quemadmodum namque ſacris Ordinibus initiatos Chriſtus Dominus voluit parentes ſpirituales, qui vitam noſtram ſpiritualem pariunt, alunt, & læſam ſanant; ſic ineffabili ſua providentia diſpoſuit ut carnalis ſucceſſionis parentes peculiari, magnoque ſacramento copulati atque ſanctificati eſſent, quo felicius procreare, inſtituere, & regere poſſent ſobolem, quæ cæleſtis regni ſedes impletura eſt. Tractatum hunc implicatiſſimum *Lib. I. cap.* XXV. *de adulter. coniugiis* ad Pollentium S. Auguſtinus appellat. *Quæſtionem*, inquit, *de coniugiis obſcuriſſimam, & implicatiſſimam eſſe non neſcio. Nec audeo profiteri, omnes ſinus eius vel in hoc opere, vel alio me adhuc explicaſſe, vel iam poſſe, ſi urgeat, explicare*. Obſcurare ex una parte matrimonium errorum caligine hæretici, eiuſdem ſanctitatem & pudicitiam fœdare ex altera, opinionum laxitate nonnulli Moraliſtæ pertentarunt. Adverſus utriuſque generis adverſarios pugnandum nobis eſt. Ad maieſtatem, dignitatemque ſacramenti evectum a Chriſto Domino matrimonium contra plurium hæreticorum deliria evincemus: eiuſdem pudica, ſobria, & intaminata officia a quorumdam Caſuiſtarum minus caſtis commentis pro modulo noſtro vindicabimus.

CA-

CAPUT I.

De matrimonii nomine, & finitione.

I. Coniunctionem maris cum femina *matrimonium* potius quam patrimonium antiqui appellarunt, quod matris sit parere, nutrire, educare, & instituere teneram sobolem, atque rem familiarem custodire. Maritus in foro, in officina, in provincia, in Republica augendi patrimonii caussa negotiatur, laborat, disputat. Uxor in bona, mariti industria parta & collecta, conservanda, amplificanda, & custodienda tota incumbit.

II. *Nuptiae* quoque matrimonium dicitur a nubendo: quia olim velamine, quod flammeum nuncupabatur, puellae maritis in coniugium tradendae capita sua veluti quadam nube tegebant: tum ut oculi, pudoris sedes, velati, & absconditi modestiam pudoremque manifestarent; tum ut venustatem & elegantiam, quae esse libidinis incitamentum solet, occultarent. Heinc Abimelech Rex Gerarae, cum restituit Saram raptam, non ut coniugem, sed ut germanam Abrahae sororem, eidem Sarae *Gen. cap.* xx. dixit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris: mementoque te deprehensam*. Quae verba hunc produnt sensum. Viro tuo mille siclos donavi, ut tuo, ancillarumque tuarum capitibus tegendis velamina compares, ne vultuum venustate aliis, quemadmodum mihi, libidinis occasio sitis. De hoc velamine mentio quoque habetur *Gen. cap.* xxiv. ubi Rebecca, conspecto Isaac, *tollens cito pallium suum, operuit se*. Hoc velamen, quo operta erat Lia, caussa deceptionis fuit Iacob, qui eam pro Rachele suscepit. Mos iste penes ipsos Romanos obtinebat, ut puellae nuptae velamine obvolutae in maritorum domos deducerentur.

III. *Connubium* insuper dicitur ab eodem verbo *nubo*, quod idem est ac *velo*: quia mulieres obducere semper, & tegere debent ea omnia quae modestiam & pudorem laedere valent. *Coniugium* etiam nuncupatur a communi iugo, cui ambo mulier, & vir subiiciuntur.

IV. Heinc collige, quam sit vel ipsorum Ethnicorum pudori, & modestiae adversa hodierna nubentium, & nuptarum consuetudo, seu verius corruptela prodeundi in publicum nudato vultu, & pectore, ac si ad nundinandam, prostituendamque pudicitiam in medium irrumperent. Huc malorum res christianae devenere, ut mulieres nostrae procaces, impudentesque vel in paganarum feminarum conspectu appareant. Huccine recidit votum illud solemne renuntiandi mundi pompis, ut impensiori studio, & impetu luxum impudicum, & pompas immodestas prosequantur? Unde tam monstrosae corruptelae, nisi ex negligentia quorumdam

dam Parochorum, & Confessariorum, qui altius inculcare puellis nubendis, feminisque nuptis sacros istos pudoris & modestiæ canones, intra quos vel ipsæ ethnicæ mulieres continentur, prætermittunt?

V. Matrimonii finitio hæc est: *Coniunctio maritalis viri, & feminæ inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens*. Appellatur *coniunctio maritalis*, qua matrimonium distinguitur ab aliis coniunctionibus, quales sunt filiales; aut fraternæ. Dicitur *viri & feminæ* ad excludendam pluralitatem, seu polygamiam. Additur *inter legitimas*, idest habiles, *personas*. Ultimæ particulæ significant perpetuam societatem, quam dissolvere sola mors potest.

VI. Matrimonium sub triplici aspectu considerari valet. 1. ut contractus naturalis; 2. ut contractus civilis; 3. ut sacramentum novæ legis. Contractus naturalis dicitur, quatenus est in officium naturæ ad propagationem atque conservationem humanæ societatis. Hunc contractum naturalem perficiunt civiles leges, quæ sicut pacem & concordiam humani generis fovent, & custodiunt, ita potiori iure mutuam corporum traditionem inter virum & feminam præfinitis ritibus & terminis circumscribunt & moderantur. Prima enim societas matrimonialis est, ex qua oritur domestica: & ex hac assurgunt populorum & civium coniunctiones & fœdera. Quare cum societas inter virum & feminam sit prima, & aliarum societatum fundamentum, hæc præcipue optimis legibus munienda est.

VII. Matrimonium, ut sacramentum novæ legis est, describi hoc pacto solet. *Coniunctio maritalis viri & feminæ inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens, divinitus instituta in signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, habens promissionem gratiæ ad uniendos simul coniugum animos, & prolem pie ac sancte educandam in fide christiana*. Quæ descriptio ita perspicua est, ut nulla egeat explicatione.

VIII. Tandem matrimonium triplex est. Legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum dicitur quod iure gentium, & ad legum civilium normam contrahitur; quale est matrimonium etiam infidelium. Ratum est illud quod non modo iuxta leges naturales & civiles, sed etiam secundum Ecclesiæ decreta perficitur: dicitur enim ratum, quia ab Ecclesia approbatur. Consummatum appellatur, quando media carnali copula ambo coniuges commiscentur.

C A P U T II.

In quo sita sit matrimonii essentia.

I. EX pluribus coalescit matrimonium. 1. in eo occurrit consensus mutuus. 2. externa promissio. 3. reciproca corporum traditio. 4. Vinculum perpe-

tuum inde resultans. 5. obligatio debiti reddendi mutua. 6. ius, quod uterque in alterum habet. 7. carnalis copula, qua consummatur matrimonium ipsum.

II. Quæst. I. *An essentia matrimonii sita in copula carnali sit?* Resp. Iulianus Pelagianus adfirmantem opinionem sustinuit, teste S. Augustino *Lib. V. cap.* XVI. contra eumdem. *Nihil aliud dicis esse nuptias quam corporum commixtionem.* Quam opinionem propugnasse VVicleffum narrat Thomas VValdensis *Tom. II. de sacram. cap.* CXXX. Communis Catholicorum sententia negat in carnali copula sitam esse matrimonii essentiam. Evincunt. Inter Adamum & Evam verum fuit matrimonium ante mutuam commixtionem. Iuncti enim fœdere matrimoniali in paradiso fuere; & solum, postquam exularunt e paradiso, Adamus Evam cognovit; ut habetur *Gen. cap.* II. Rursus verum fuit matrimonium S. Patriarchæ Ioseph cum B. Virgine, omni prorsus carnali copula exclusa; ut ex Scripturis sanctis constat. Dicitur enim Matth. I. *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph*: & ad Iosephum ibidem intimatur: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: Et Lucæ *cap.* II. asseritur: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*

III. Confirmatur hæc veritas, SS. Patrum auctoritate. S. Augustinus *Lib. I. de nupt. & conc. cap.* XI. scribit: *Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Ioseph:* Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. *Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.* Plurima alia similia habet Augustinus *Lib. de sanct. virg. cap.* IV. & *Lib. de bon. coniug. cap.* I.

IV. S. Ambrosius *Lib. de inst. virg. cap.* VI. adversus eos qui commixtos sacros sponsos Iosephum, & Mariam volebant, hæc scribit. *Nec illud moveat quod ait, quia Ioseph accepit coniugem suam: cum enim initiatur coniugium, tunc coniugis nomen asciscitur. Non autem defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.* S. Ioannes Chrysostomus *hom.* XXXII. *in Matth.* inquit: *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* Alia Patrum testimonia prætereo. S. Thomas in *Suppl. quæst.* XLIV. *art.* I. *ad* I. ait: *Matrimonium est vinculum quo ligantur formaliter, non effective: & ideo non oportet quod sit aliud a coniunctione.*

V. Heinc patet quam impudenter Calvinus more suo calumnietur, dum *Lib. IV. Instit. cap.* XIX. *§.* 36. blaterat: *Quam absurdum est arcere a sacramento Sacerdotes! Si arcere a sacramento negent, sed a coitus tantum libidine, non ita mihi elabuntur. Nam & coitum ipsum partem esse sacramenti tradunt . . . In sacramento conferri gratiam Spiritus sancti affirmant: coitum tradunt esse sacramentum: in coitu negant umquam Spiritum sanctum adesse.* His putidissimis mendaciis excantare miseram plebem Novatores solent.

VI.

VI. Quæst. II. *An mutuus contrahentium consensus caussa efficiens sit matrimonii?* Resp. Adfirmat S. Thomas in *Suppl. quæst.* xlv. *art.* 1. cui subscribunt communiter Theologi: & ex Scriptura sancta hoc evidens est. Nam *Gen. cap.* xxiv. dicitur: *Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem: cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait, Vadam.* Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum inquit: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Vox illa *regulariter* non afficit mutuum consensum, quasi iste consensus ut plurimum requiratur, non semper; sed spectat ultimas particulas, *per verba de præsenti expressus:* quia reipsa communiter verbis consensus exprimitur; contingere tamen potest ut nutibus vel signis prodatur. Ratio quoque evidens est. In quolibet namque contractu bona unius non transeunt in alterius potestatem, nisi domini voluntate accedente, aut lege suprema imperante. Nulla autem lex cogere ad matrimonium contrahendum valet. Ergo necessarius est consensus reciprocus. Hic autem reciprocus consensus aut verbis, aut signis præsentibus declarari, & perhiberi potest; ut per se patet. Consensus iste de præsenti, non de futura coniunctione sit oportet: quia matrimonium differt a sponsalibus, de quibus infra.

VII. Quæst. III. *Quænam sit caussa formalis matrimonii?* Resp. Theologi matrimonium spectant in fieri, seu in caussa efficiente, de qua modo locuti sumus, & in facto esse. Sub hac posteriori consideratione dicunt illius caussam formalem esse illum nexum perpetuum, resultantem ex interno mutuo consensu exterius expresso; seu in hoc perpetuo vinculo sitam esse matrimonii, ut officium naturæ est, essentiam. Caussa quippe effectrix rei essentiam non constituit; & consensus explicatus transiens est ac momentaneus; matrimonium autem firmum ac stabile est. Ergo eius essentia sita est in dicto perpetuo animorum vinculo. Vide S. Thomam in *Suppl. quæst.* xliv. *art.* 1. Hæc omnia confirmat Catechismus Concilii Tridentini *Part. II. cap.* viii. *§.* 4. his verbis. *Ex his igitur patet matrimonii naturam & rationem in vinculo illo consistere. Nam quod aliæ clarissimorum virorum definitiones hoc videntur consensui tribuere, ut cum dicunt coniugium esse consensum maris & feminæ, hoc ita accipiendum est, consensum ipsum matrimonii caussam esse effectricem; quod Patres in Concilio Florentino docuerunt.* Hæc, quæ de matrimonio, ut officium naturæ est, dicta sunt, accommodari matrimonio, ut sacramentum est, possunt. Advertendum tamen, matrimonium non esse sacramentum permanens, ut est Eucharistia, sed esse, quemadmodum baptisma, sacramentum transiens: unde resultat nexus ex reciproco consensu, & verbis ministri coniuges unientis, ut S. Thomas in *Suppl. quæst.* xlii. *art.* 3. *ad* 2. docet. *Sicut aqua baptismi cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, sed ad characterem; ita actus exteriores, & verba exprimentia consensum directe faciunt nexum*

M ij quem-

quemdam, qui est sacramentum matrimonii. Et huiusmodi nexus ex virtute divinae institutionis dispositive operatur ad gratiam.

VIII. Oppones 1. S. Paulus *cap.* v. *ad Ephes.* inquit: *Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ergo usus matrimonii ad eius essentiam attinet. Resp. Nego consequentiam. Nullius contractus usus eiusdem ingreditur essentiam. Praefata Apostoli verba non aliud produnt quam mutuam dominii translationem in utriusque coniugis corpus. In qua reciproca translatione dominii fundatur ius ad copulam.

IX. Oppones 2. Matrimonium Christianorum significat unionem Christi cum Ecclesia. Sed haec unio non significatur nisi per coniunctionem carnis. Ergo copula carnalis ad essentiam attinet matrimonii. Resp. Secunda propositio falsa est. Duplex unio Christi cum Ecclesia. Altera physica, quae est unio hypostatica Verbi cum natura humana. Altera est per caritatem, & gratiae influxum: & hanc prodit coniugalis animorum unio, seu reciproci amoris, & mutuae benevolentiae societas perpetua. Nec est quod insistas, heinc consequi, fratrem & sororem, item impotentes contrahere matrimonium posse, si hoc in mutua animorum coniunctione situm est. Quandoquidem matrimonium ius ad copulam praebet, quod ius vel fratri in sororem, vel impotenti repugnat. Absque hoc mutuo iure vir & mulier inire matrimonium nequeunt; quamquam usui ipsius iuris mutuo renuntiare coniuges valeant. Obtrudi etiam solent duo testimonia: alterum Augustini relatum a Gratiano XXVII. *quaest. cap.* XVI. alterum Leonis relatum *cap.* XVII. Sed ambo perperam refert Gratianus. Primum enim non habetur in Augustino, qui perspicue nostram communem sententiam docet. Alterum S. Leonis adulteratum est.

CAPUT III.

De honestate & institutione matrimonii.

I. Quaest. I. *An matrimonium sit bonum & honestum?* Resp. Encratitae, Marcionitae, Manichaei, Priscillianistae honestum bonumque esse matrimonium pernegarunt. Manichaei non Deo vero, sed tenebrarum Principi matrimonii institutionem tribuebant. Pelagiani e contrario, peccatum originale inficiantes, ita exaltabant nuptias, ut concupiscentiam ipsam, sine qua earum officium non impletur, bonam affirmaverint. Iovinianus nuptias virginitati in merito & sanctitate praeferebat, ut *Lib. III. de peccat. mer. & remis. cap.* VII. narrat S. Augustinus, inquiens: *Ante paucos annos Romae quidam extitit Iovinianus, qui sanctimonialibus, etiam aetate iam provectionibus, nuptias persuasisse dicitur.* Hunc Patriarcham secuti sunt Lutherus, & Calvinus. Quin Lutherus, Ioviniano impudentior, virgines Deo dicatas in apostasiam pertraxit.

II.

II. De fide est, matrimonium honestum, bonum, licitumque esse; ut ex manifestis Scripturæ testimoniis patet. S. Paulus *I. Cor.* VII. inquit: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit*. Rursus Hebræor. XIII. *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus*. Hanc catholicam veritatem S. Thomas in *Suppl. quæst.* XLI. *art.* 3. confirmat, & Manichæorum insaniam refutat. Nam finis matrimonii, qualis est conservatio & propagatio humani generis, honestus & bonus est. Ergo matrimonium, quod est ad hunc finem necessarium, bonum & sanctum est. Quis mirari satis potest dementiam Manichæorum, Marcionitarum, & aliorum matrimonium damnantium? Nam quo alio medio consistere genus humanum posset? Semetipsos ergo damnent Manichæi necessum est, dum matrimonium damnant.

III. Oppones. S. Paulus *I. Cor.* VII. matrimonium concedit *secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Rursus *Rom.* VIII. inquit: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt*. Resp. Apostolus ex indulgentia matrimonium concedit propter incontinentiam exercitum; ut S. Augustinus *Lib. de bono coniugali cap.* X. interpretatur, inquiens: *Non nuptias, sed illum concubitum secundum veniam concedit qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, sed aliquando nulla causa procreandi; quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant*. Quod secundo obtrudunt, coniuges pudere exercitii matrimonialis, nullius momenti est. Pudet quippe illos concupiscentiæ, quæ actum matrimonialem comitatur, quæque est peccati pœna, non peccatum. In statu innocentiæ illos minime puduisset matrimonium, non secus ac manducare, publice exercere. Homines non peccati modo, verum etiam naturalium defectuum pudet.

IV. Quæst. II. *An matrimonium sit naturali, divinoque iure institutum?* Resp. A naturæ lege suam arcessere originem matrimonium, evincit S. Thomas in *Suppl. quæst.* XLI. *art.* I. quia natura sana & integra fertur seipsa in generationem prolis, nutritionem, & conservationem. Hæc autem obtineri absque indissolubili vinculo coniugum nullo modo possunt, ut *loc. cit.* ostendit S. Thomas, inquiens: *Alio modo dicitur naturale ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur; sicut actus virtutum, vel virtutes dicuntur naturales: & hoc modo matrimonium est naturale: quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter. Primo quantum ad principalem eius finem, qui est bonum prolis. Non enim intendit natura solum generationem prolis, sed traductionem, & promotionem usque ad perfectum statum hominis, inquantum homo est, qui est virtutis status. Unde secundum Phil. . . . tria a parentibus habemus, scilicet esse, nutrimentum, & disciplinam. Filius autem a patre educari, & instrui non posset, nisi determinatos, & certos parentes haberet: quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit. Secundo quantum ad secundarium finem matri-*

monii, qui est mutuum obsequium sibi a coniugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dictat ut homines simul cohabitent: quia unus non sufficit sibi in omnibus quae ad ipsam vitam pertinent, ratione cuius dicitur homo naturaliter politicus: ita etiam eorum quibus indigetur ad humanam vitam, quaedam opera sunt competentia viris, quaedam mulieribus. Unde natura movet ut sit quaedam associatio viri ad mulierem, in qua est matrimonium. Et has duas causas ponit Philos. in VIII. Ethic.

V. Hanc naturae legem de matrimonio contrahendo, tum in veteri, tum in novo foedere Deus confirmavit. Adamo creato, Deus *Gen.* II. dixit: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi . . . Crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

VI. Oppones. S. Ioannes Chrysostomus *hom.* XVIII. *in Gen.* S. Augustinus *Lib. I. de Genesi* contra Manichaeos *cap.* XIX. & Damascenus *Lib. II. de fid. orthod. cap.* XXX. negant, Adamum innocentem, & Evam matrimonium iniisse, vel inituros, si in gratia perseverassent; multiplicandumque fuisse docent humanum genus alio nobis incognito modo. Resp. Hanc opinionem propugnarunt Patres isti. Sed S. Augustinus *Lib. I. Retract. cap.* X. *& seq.* & iterum *Lib. XIV. de civit. Dei cap.* XXI. *& seq.* eam retractavit, communemque doctrinam amplexus est. Insistes. Animalia diversi sexus coniunguntur, & propagantur absque matrimonio. Respondet S. Thomas *loc. cit. ad* I. inquiens: *Sicut natura generis, quamvis sit una in omnibus animalibus, non tamen eodem modo est in omnibus; ita non inclinat eodem modo in omnibus, sed secundum quod unicuique competit. Ad matrimonium vero inclinat natura hominis ex parte differentiae, quantum ad rationem secundam assignatam . . . Quaedam animalia sunt quorum filii nati statim possunt sufficienter sibi victum quaerere, vel ad quorum sustentationem mater sufficit; & in his non est aliqua maris ad feminam determinatio. In illis autem quorum filii indigent utriusque sustentatione, sed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad illud tempus; sicut in avibus quibusdam patet. Sed in homine, quia indiget filius cura parentum usque ad magnum tempus, est maxima determinatio masculi ad feminam.* Omnia haec perspicua sunt & comperta.

VII. Quaest. III. *An praeceptum impositum sit matrimonii contrahendi?* Resp. Hanc quaestionem mira perspicuitate S. Thomas in *Suppl. quaest.* XLI. *art.* 2. resolvit, inquiens: *Dicendum, quod natura inclinat ad aliquid dupliciter. Uno modo sicut ad id quod est necessarium ad perfectionem unius: & talis inclinatio quemlibet obligat: quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. Alio modo inclinat ad aliquid quod est necessarium ad perfectionem multitudinis: & cum multa sint huiusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum praecepti: alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam, & aedi-*

ædificatoriam, & ad huiusmodi officia, quæ sunt necessaria communitati humanæ; sed inclinationi naturæ satisfit, cum per diversos diversa de prædictis complentur. Cum ergo ad perfectionem humanæ multitudinis sit necessarium aliquos contemplativæ vitæ inservire, quæ maxime per matrimonium impeditur, inclinatio naturæ ad matrimonium non obligat per modum præcepti, etiam secundum Philosophos. Unde Theophrastus probat, quod sapienti non expedit nubere.

VIII. Hoc itaque præceptum multitudinem, non singulos homines obstringit. Sub initium humani generis singulos obligabat: quia tunc, nisi singuli matrimonium iniissent, non fuisset satis communitati provisum ob hominum paucitatem. Similiter post diluvium singulos obstringebat. Multiplicato humano genere, sicut quilibet liber ab agricultura, a mercatura manet, ita a matrimonio contrahendo. Nec est quod cum Vigilantio reponas: Si singuli liberi sunt a præcepto matrimonii contrahendi, interibit humanum genus. Nam rara est virtus, nec a pluribus appetitur, inquit Hieronymus contra eumdem Vigilantium. Et Salvator noster *Matth.* XIX. ait cælibatum esse singulare donum Dei. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.*

CAPUT IV.

De institutione matrimonii in sacramentum.

I. Disputant Theologi de institutione matrimonii in sacramentum ante, & post Christi adventum. Alphonsus a Castro *Lib. XI. adver. hæres.* verb. *Nuptiæ*, Petrus Soto de matrimonio *lect.* II. Ambrosius Catharinus *opuscul. de matrim.* sustinent, matrimonium in lege naturæ, & scripta fuisse verum sacramentum. Maldonatus *de matrimonio* ad 4. argumentum ait, *hanc esse opinionem omnium antiquorum Auctorum*. Launoius *Lib. de Regia potestate in matrim. part.* I. *art.* 2. *cap.* II. eamdem defendit opinionem, quia primario suo instituto faventem.

II. Quæst. I. *Ante adventum Christi matrimonium fuit ne vere & proprie sacramentum?* Resp. In duplici significatu sacramenti nomen usurpatur. 1. In sensu latiore & improprio, quatenus cuiuslibet rei sacræ signum sacramentum lato modo dicitur. 2. In sensu stricto & proprio, quatenus signum practicum, & efficax gratiæ sanctificantis, vere & proprie sacramentum est.

III. Communis Theologorum sententia negat, matrimonium ante adventum Christi fuisse verum sacramentum; concedit vero in latiori quodam significatu. Et ut ab hac secunda parte initium capiam, matrimonium in ipso innocentiæ statu institutum signum fuit coniunctionis Christi cum Ecclesia; ut ex *Gen. cap.* II. colligitur. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea . . . Quamobrem relin-*

quet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. In quæ verba hæc Tertullianus *Lib. de anima cap.* XI. inquit. *Adam statim prophetavit magnum illud sacramentum in Christum, & Ecclesiam, dicens : Hoc nunc os ex ossibus meis*. S. Hieronymus in *cap.* V. *ad Ephes.* scribit : *Primus homo, & primus vates Adam hic de Christo, & de Ecclesia prophetavit*. S. Augustinus *Lib. IX. de Gen. ad litteram cap.* XIX. hæc habet. *Evigilans Adamus ex extasi, tamquam prophetiæ plenus, cum ad se adductam castam mulierem suam videret, eructavit continuo, quod magnum sacramentum commendat Apostolus: Hoc nunc os ex ossibus meis*. Quæ omnia id tantum evincunt, matrimonium in statu innocentiæ, in lege naturæ, & scripta fuisse in latiore quodam significatu sacramentum; ut Catechismus Concilii Tridentini *II. Part. cap.* VIII. *§.* 18. clare explicat. *Sed quia matrimonii sacramentum illis matrimoniis præstet quæ ante, vel post legem iniri solebant, ex eo licet cognoscere, quod etsi gentes matrimonio divini aliquid inesse arbitrabantur, atque ob eam rem vagos concubitus a naturæ lege alienos esse, itemque stupra, adulteria, & alia libidinis genera vitanda esse iudicabant; tamen eorum connubia nullam prorsus sacramenti vim habuerunt.*

Apud Iudæos vero religiosius omnino nuptiarum leges servari consueverant : neque dubitandum, quin eorum matrimonia maiori sanctitate prædita essent. Cum enim promissionem accepissent, fore aliquando ut omnes gentes in semine Abrahæ benedicerentur; magnæ apud eos pietatis officium merito esse videbatur filios procreare, & electi populi sobolem, ex qua Christus Dominus Salvator noster, quoad humanam naturam attinet, ortum habiturus esset, propagare; sed illæ coniunctiones vera sacramenti ratione caruerunt. Vera sacramenti ratione caruerunt; aliqua tamen sacramenti significatione prædita fuere.

IV. Quæst. II. *Matrimonium in lege evangelica est ne vere & proprie sacramentum?* Resp. Negant Ioannes Hus, Lutherus, & Calvinus, qui *Lib. IV. Inst. cap.* XIX. *§.* 34. sequentia evomit. *Matrimonium, quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat. Et cui umquam sobrio in mentem venisset? Ordinatio Dei bona est & sancta : & agricultura, architectura, sutrina, tonstrina, ordinationes sunt Dei legitimæ, nec tamen sacramenta sunt .... Quis ferat istos Sophistas tam inscite garrientes?* Item *§.* 35. *Verba tamen obtrudunt, quibus sacramenti nomen matrimonio attribui dicunt .... Mysterium dixerat Paulus : quam dictionem quum relinquere posset interpres, latinis auribus non infrequentem, vel arcanum vertere; sacramentum ponere maluit, non tamen alio sensu quam græce a Paulo mysterium dictum erat. Eant nunc, & linguarum peritiam clamose insectentur, quarum ignorantia in re facili, & cuivis obvia tandiu fœdissime hallucinati sunt*. Tandem concludit *§.* 37. *Ac ne simpliciter Ecclesiam luderent, quam longam errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum se-*

riem

riem uni errori attexuerunt ; ut dicat, nihil aliud quam abominationum latebram quæsivisse, dum e matrimonio sacramentum fecerunt . Ubi enim id semel obtinuere, coniugalium causarum cognitionem ad se traxerunt : quippe res spiritualis erat, profanis iudicibus non attrectanda. Tum leges sanxerunt, quibus tyrannidem suam firmarunt, sed partim in Deum manifeste impias, partim in homines nequissimas . . . Et ex eorum cœno aliquando emergendum est, in quo iam diutius hæsit oratio quam animus ferebat. Aliquantulum tamen mihi profecisse videor, quod leonis pellem istis asinis quadam ex parte detraxi.

V. Hæc, licet paullulum prolixa, rescribere libuit, ut palam fiat semper Calvinum adversus Ecclesiam catholicam, unde perduellis apostata descivit, eodem cacodæmone exagitatum furere, debacchari, insanire. Asinos appellat omnes Ecclesiæ Patres, qui a S. Gregorio, ipso fatente, ad sua usque tempora matrimonium ut sacramentum fassi sunt. Non aliunde melius quam ex eius scribendi ratione revinci Calvini insania potest. Sed, missis blateronis Calvini mortalium omnium impudentissimi dicteriis, catholica veritas demonstranda est, atque confirmanda.

VI. De fide est, matrimonium esse verum novæ legis sacramentum. S. Paulus *Ephesior.* v. inquit : *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una . Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo, & in Ecclesia* . Matrimonium igitur est sacrum unionis Christi cum Ecclesia symbolum. Quod obtrudit Calvinus, a S. Paulo mysterium appellari matrimonium, ut significet non coniunctionem Adæ cum Eva, sed unionem Christi cum Ecclesia, quod magnum utique mysterium est, merum est illius delirium. Siquidem non negamus, immo fatemur, matrimonium repræsentare unionem Christi cum Ecclesia; at simul addimus præter istam obiectivam repræsentationem, aliam matrimonio inesse practicam, quæ significat, unaque producit gratiam animorum conciliatricem. Tria enim ad veri sacramenti rationem requiruntur : 1. ut sit sensibile rei sacræ signum ; 2. ut sit a Christo institutum ; 3. ut gratiam sanctificantem producat. Porro tria hæc matrimonio insunt. Est enim rei sacræ signum sensibile : coniunctio enim coniugalis, vi cuius relinquere patrem & matrem vir debet, ut uxori adhæreat suæ, sane quid sensibile est. Quod autem sit rei sacræ signum, testatur Apostolus: *Sacramentum hoc* (græce *mysterium hoc* : pro eodem enim mysterium & sacramentum usurpatur, quidquid fabuletur Calvinus) *magnum est*; nexus scilicet coniugalis . Pronomen *hoc*, quo Apostolus utitur, demonstrat rem de qua agitur. Agit autem Apostolus de Christianorum matrimonio. Hoc ergo magnum mysterium seu sacramentum est, non præcise ut est nexus viri & mulieris, sed quatenus significat unionem Filii Dei cum Ecclesia. Heinc patet quam ridendus sit Erasmus, effutiens unionem viri & mulieris

lieris nullum præferre mysterium, cum similis nexus cernatur in bestiis. Numquid de nexu bestiarum Apostolus loquitur, inquiens: *Ego autem dico in Christo & Ecclesia?* Ea igitur omnia insunt matrimonio quæ ad veri sacramenti rationem requiruntur.

VII. Verum ut evidentius pateat impudentia Novatorum, & præsertim Calvini, negantis ante S. Gregorium pro sacramento habitum matrimonium esse, traditionis apostolicæ monumenta promamus in medium.

VIII. S. Ignatius, apostolicæ ætatis Scriptor, *epist.* ad Polycarpum inquit: *Decet ut sponsi, & sponsæ de sententia Episcopi coniugium faciant, quo nuptiæ sint secundum Dominum, & non secundum cupiditatem.*

IX. Tertullianus, qui secundo & tertio sæculo floruit, *Lib. II.* ad uxorem inquit: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet?* Secundo itaque Ecclesiæ sæculo matrimonium, quemadmodum nunc, celebrabatur coram Sacerdote inter Missarum solemnia, & sacerdotali benedictione obsignabatur. Porro Tertullianus non novam, sed vetustam narrat disciplinam ab Apostolis ortam.

X. Concilium Carthaginense IV. an. 398. celebratum, cui adfuit S. Augustinus, hæc statuit can. XIII. *Sponsus, & sponsa, cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offeruntur: qui cum benedictionem acceperint, pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant prima scilicet nocte.*

XI. S. Ambrosius, qui sæculo IV. floruit, epist. XIX. ad Vigilium inquit: *Cum ipsum coniugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia?*

XII. Siricius Papa, Ambrosio suppar, *epist.* ad Hymerium *cap.* IV. hæc scribit. *Illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.*

XIII. S. Ioannes Chrysostomus *hom.* LVI. in Genesim asserit: *Sacramentum sunt nuptiæ, & imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit.*

XIV. Innocentius I. qui sæculo V. vixit, *epist.* IX. ad Probum ait: *Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium quod primitus erat divina gratia fundatum.*

XV. S. Augustinus eodem V. sæculo *Lib. de bono coniugali cap.* XIV. hæc habet. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti; per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere.* Rursus *Lib. de fide & bon. oper. cap.* VII. subdit: *In civitate Domini, in monte sancto eius, hoc est in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, sed etiam sacramentum commendatur.*

XVI. S. Cyrillus Alexandrinus, Augustino æqualis, *epist.* ad Nestorium hæc docet. *Hac ipsa de causa, quo nostræ quoque substantiæ ortum sua benedictione cumularet, simul cum Sanctis Apostolis ad nuptias in Cana Galileæ vocatum, huc se contulisse, suaque benedictione easdem dispensatione cohonestasse dicimus*. Et commentar. in Ioannem *Lib.II.* inquit: *Ipse invitatus venit* (ad nuptias) *ut generationis humanæ principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet*.

XVII. Hæc constans & universalis Ecclesiæ traditio ante S. Gregorium, fabulatorem & impostorem Calvinum evincit, qui ab hoc Pontifice evectum ad sacramenti dignitatem matrimonium blaterat. Non est quod testimonia Patrum posterioris temporis referam, cum illa nec ipsi Novatores revocare in controversiam audeant: adeo sunt luculenta.

XVIII. Opponunt 1. Novatores. Sacramenta novæ legis id quod significant, efficiunt. Matrimonium significat unionem Christi cum Ecclesia, quam non producit. Ergo non est sacramentum. Resp. Matrimonium speculative significat unionem Christi cum Ecclesia, sicut baptismus sepulturam, & resurrectionem Christi: idcirco hæc non producuntur. At matrimonium ita repræsentat Christi unionem cum Ecclesia, ut simil practice significet producatque gratiam, qua coniuges, reciproco dilectionis fœdere copulati, sint vera præfatæ unionis imago, mutuoque amore se prosequantur; quemadmodum Christus dilexit Ecclesiam, & Ecclesia Christum.

XIX. Obiiciunt 2. Usus coniugii pars est sacramenti: ergo gratiam confert. Absurdum autem est, inquit Calvinus; coitum gratiam producere. Resp. Negatur coitum esse sacramenti partem; sed est illius officium. Sacramentum gratiam efficit, qua officium istud intra pudoris, modestiæ, & castimoniæ christianæ limites exerceatur. Insistunt. Tria distinguunt Theologi in quolibet sacramento, nempe sacramentum tantum, rem sacramenti, & rem atque sacramentum simul. Tria hæc non reperiuntur in matrimonio. Respondetur, actus contrahentium esse sacramentum tantum. Gratia est res sacramenti. Vinculum, seu nexus perpetuus, ex mutuo consensu resultans, est sacramentum, & res simul.

XX. Obiiciunt 3. Unum sacramentum non pugnat cum alio sacramento. Sed matrimonium pugnat cum sacramento Ordinis. Ergo non est sacramentum. Resp. Negatur, matrimonium pugnare cum sacramento Ordinis; sed status uxorati pugnat cum statu sacerdotali. Qui Ordines sacros suscipiunt, inhabiles se reddunt ad matrimonium contrahendum. Accedit quod uxoratus, consentiente coniuge, possit Ordines sacros suscipere, persistente vinculo coniugali.

XXI. Obiiciunt 4. Quodlibet sacramentum constat materia, & forma; ac eiusdem minister designatus est. Hæc autem designari in matrimonio nequeunt. Resp. Hæc omnia, licet modo diverso, Theologi assignant. Nam materia sunt actus

ctus contrahentium, forma verba prolata a Sacerdote, & minister Sacerdos ipse: quamquam alii velint ipsos contrahentes esse ministros, de quo infra.

XXII. Obiiciunt 5. Magister sententiarum, Durandus, Iacobus de Vitriaco, & alii catholici Theologi negant matrimonium esse sacramentum. Resp. Etiamsi verum esset quod Novatores obtrudunt, non propterea quidquam detrimenti accederet Catholicorum dogmati; quod non privatorum quorumdam iudicio, sed divinis Scripturis, SS. Patrum, & communi Conciliorum traditione nititur. Ceterum vel citati, quos opponunt, Theologi matrimonium esse sacramentum adfirmant; quamvis in explicanda hac veritate a communi doctrina recedant, & in aliquos lapsi sint errores.

XXIII. Obiiciunt 6. Nequit ex Scripturis demonstrari, quandonam Christus hoc sacramentum instituerit. Ergo arbitrarium est. Resp. Quid, si antecedens etiam concederetur? Numquid certo ostendere Novatores possunt, quandonam Christus baptisma instituerit? Negabunt ne propterea baptisma? Verum ex communi SS. Patrum doctrina colligitur, Christum ad sacramenti dignitatem matrimonium extulisse, cum sua praesentia in Cana nuptias honestavit, eisque benedixit.

XXIV. Quaest. III. *An quodlibet fidelium matrimonium sit sacramentum*? Resp. Omnes fideles obstringuntur ita celebrare matrimonium, ut sit verum sacramentum: & hoc praestant, dum matrimonium contrahunt iuxta ritus ab Ecclesia praescriptos. Ceterum si Ecclesiae ritus negligant, matrimonium quidem contrahent validum, ratum, perpetuum, & indissolubile foedus inducens; secus ut sacramentum. Oppositam sententiam defendit P. Thomas Sanchez *Lib. de matrim. disp. x. num. 6.* & plures alii. Quia, inquiunt, in potestate hominis haud est, rationem sacramenti separare a matrimonio, quod ex Christi institutione sacramentum est. Quae ratio infirma omnino est. Utique in potestate hominis minime est efficere ut matrimonium, iuxta Ecclesiae leges rite celebratum, non sit sacramentum. At in potestate hominis est matrimonium celebrare, neglectis Ecclesiae, & institutionis divinae ritibus, qui necessario servari debent, ut matrimonium sit sacramentum. Potest igitur etiam inter Christianos separari in matrimonio ratio contractus naturalis, & civilis a ratione sacramenti. Christiani tamen sub gravi culpa ita celebrare matrimonium tenentur, ut sit simul sacramentum.

XXV. Quaest. IV. *An matrimonium inter fideles absentes per procuratorem celebratum sit verum sacramentum*? Resp. Mos obtinet inter Christianos matrimonium celebrandi per procuratorem. Iure canonico sequentes conditiones praescribuntur servandae a procuratoribus. 1. ut procurator speciale mandatum habeat ad matrimonium contrahendum, 2. ut procurator seipso hoc impleat officium. 3. ut facultas data procuratori non sit tempore quo contrahit alterius nomine, revocata. 4. ut facultas data sit determinata cum certa persona. 5. ut procurator non excedat

man-

mandati limites. 6. ut procurator contrahat matrimonium iuxta leges a Synodo Tridentina præscriptas.

XXVI. Super proposita quæstione duplex occurrit sententia. Prima adfirmat esse verum sacramentum, quam defendunt Dominicus Soto, Isambertus, Cardinalis Gotti, Turnely, & alii plures. Negantem sententiam defendunt Caietanus *Tom. I. Opuscul.* Franciscus Victoria *quæst.* ccxliv. Canus *Lib. VIII. cap.* v. Sylvius in *quæst.* xliv. *Suppl. art.* 1. Vanroy *cap. ult. quæst.* 111. Catharinus *Lib. V. cap.* 111. Hæc secunda sententia mihi est probabilior. Nullum quippe sacramentum inter absentes celebratur. Nec minus præsentes contrahentes requirunt hæc verba, *Ego vos coniungo*, quam præsentem pœnitentem postulent hæc alia, *Ego te absolvo*. Atqui opinio quæ olim defendebat, hæc ultima verba proferri posse in pœnitentem absentem, damnata a Clemente VIII. est. Respondet Turnely, non esse contra naturam sacramenti pœnitentiæ, ut inter absentem ministrum & pœnitentem perficiatur: adeoque valeret absolutio absenti data, nisi obstaret Ecclesiæ prohibitio, quæ potest inhabiles declarare & Sacerdotes ad absolvendum, & pœnitentes ad recipiendam absolutionem, nisi sint præsentes. Hactenus Turnely *de matrim. quæst.* 1. *art.* 2. *pag.* 43. Hæc responsio nimis est arbitraria. Hoc quippe pacto ratiocinabantur plures Theologi ante Clementem VIII. qui illorum proscripsit opinionem. Cur damnavit Ecclesia usum absolutionis datæ absenti? Quia voluit declarare inhabiles pœnitentes absentes ad absolutionem. Sed cur ita voluit? An ex arbitrio Ecclesia suas definitiones pronuntiat? Proscripsit talem opinionem, quia iudicavit hæc verba, *Ego te absolvo*, postulare pœnitentem præsentem; quemadmodum illorum reipsa obvius & naturalis sensus hanc præsentiam supponit. Validum itaque est in ratione contractus naturalis & civilis matrimonium initum inter absentes per procuratorem; ut omnes fatentur. At verum sacramentum non esse, mihi est probabilius. Heinc est quod principales contrahentes consensum per procuratores datum renovant coram Parocho, qui super eos profert hæc verba: *Ego coniungo vos in matrimonium.*

XXVII. Disputant similiter Theologi, utrum, si mandans post traditam facultatem procuratori in dementiam incideret, validum esset coniugium. Adfirmat P. Thomas Sanchez *Lib. II. de matr. disp.* x1. *num.* 12. Negat Pontius *Lib. II. de matr. cap.* xv. *num.* 14. Hæc secunda opinio mihi probabilior videtur; sed tanti non est, ut eam discutiam.

XXVIII. Quæst. V. *An in lege evangelica matrimonium infidelium inter se sit sacramentum*? Resp. Matrimonium infidelium inter se validum quidem est ut contractus naturalis; at sacramentum non est, ut docet S. Thomas in *Suppl. quæst.* lix. *art.* 2. *ad* 1. cui Theologi communiter subscribunt. Qui enim baptismo carent, nullius sunt sacramenti capaces.

XXIX.

XXIX. Quæst. VI. *An matrimonium fidelis cum infideli sit sacramentum?* Resp. Iam a multis sæculis cultus disparitas impedimentum dirimens est. Disputatur dumtaxat in hypothesi alicuius dispensationis ab Ecclesia datæ. Catharinus, & Dominicus Soto existimant matrimonium fidelis cum infideli sacramentum esse, saltem ex parte coniugis fidelis. Mihi probabilior est opinio negans. Quoniam, ut matrimonium sit validum in ratione contractus, requirit utriusque coniugis mutuum consensum. Ergo, ut sit sacramentum, similiter utriusque postulat intentionem & consensum. Matrimonium enim unum est sacramentum, non duo. Neque sacramentum dimidiatum est, sed integrum. Ergo quando in uno deficit intentio suscipiendi sacramentum, intentio alterius minime sufficit. Sicut enim matrimonium est unicum mutuum vinculum, unus contractus, ita unum est sacramentum.

XXX. Quæst. VII. *Utrum si infideles coniuges convertantur ad fidem, matrimonium in infidelitate contractum evadat sacramentum?* Resp. Adfirmant plures; sed negantem opinionem probabiliorem existimo: quia posterior intentio non potest efficere ut contractus initus, qui non fuit sacramentum, postea tale evadat.

XXXI. Prioribus quinque sæculis toleravit Ecclesia, ut legitima, matrimonia fidelium cum infidelibus, & catechumenis, quando nullum aderat subversionis periculum. Hoc pluribus exemplis patet. Nam mater Timothei fidelis erat, ut colligitur *II. ad Timoth.* 1. pater vero gentilis, ut narrat Lucas *Act.* XVI. Cecilia virgo Romana Valeriano infideli sponso nupsit. S. Monica S. Augustini mater maritum duxit infidelem. Clotildis christiana in matrimonium ducta est a Clodoveo Francorum Rege ethnico. Plura alia suppetunt exempla.

XXXII. Absolute tamen & generatim prohibuit Ecclesia matrimonia fidelium cum infidelibus ob subversionis periculum. *Nolite* (inquit Paulus II. Cor. VI.) *iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras?* Quæ verba de matrimonio non contrahendo interpretantur Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, & alii. Plura Concilia, ut Eliberitanum, Laodicenum, & alia, has nuptias prohibuerunt.

XXXIII. Quæst. VIII. *An matrimonia Catholicorum cum hæreticis sint illicita, & nulla iure naturali, & ecclesiastico; vel an fieri licita per dispensationem possint?* Resp. Theologi omnes fatentur illicita esse eiusmodi connubia: sunt enim pluribus Ecclesiæ canonibus prohibita. Nullum vero ius, sive naturale, sive divinum, sive ecclesiasticum, illa irrita declarat. Disparitas religionis non est impedimentum iure naturali dirimens. Nam Esau in naturali lege duxit mulieres idololatras, quæ uxores in Scriptura sancta vocantur. Ius divinum prohibet, at non irritat hæc matrimonia; ut communiter Theologi docent. Ius autem ecclesiasticum nullum irrita & invalida hæc matrimonia declarat; dummodo iuxta Ecclesiæ leges,

ges, quas observare haeretici tenentur, celebrata fuerint. An postea haec matrimonia ita illicita sint, ut in nullo casu fieri per dispensationem Superioris licita possint, differtant in utramque partem Theologi. Hanc controversiam mea non interest discutere, neque certam sententiam, cui adhaeream, video.

CAPUT V.

De materia, forma, & ministro sacramenti matrimonii.

I. SApientissimus Melchior Cano *Lib. VIII. de loc. theolog. cap.* v. de materia & forma sacramenti matrimonii sermonem habens, inquit: *Nam & cum quaerunt, an matrimonium conferat gratiam, id quod eo loco maxime finiendum erat, non definiunt tamen, sed in his referunt quae in hominum opinione sunt posita. In materia item & forma huius sacramenti statuenda adeo sunt inconstantes, & varii, adeo incerti, & ambigui, ut ineptus futurus sit qui in tanta illorum varietate ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere.*

II. Plusquam septem Theologorum opiniones recensere possem in designanda materia & forma matrimonii: sed, his missis, sententiam seligo quam docet S. Thomas in *Suppl. quaest.* xlii. *art.* 1. *ad* 2. Est autem eiusmodi. Materia sacramenti matrimonii sunt actus contrahentium. Haec sunt verba S. Thomae. *Sacramentum matrimonii perficitur per actum ipsius qui sacramento illo utitur, sicut poenitentia. Et ideo sicut poenitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subiectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio.*

III. Quaenam vero sit istius sacramenti forma, non adeo mihi compertum est. In illis enim verbis reponenda forma huius sacramenti videtur quae actus contrahentium determinant, ut sacramentum fiat, eiusque effectum primarium exprimunt. Talia autem esse videntur verba Sacerdotis, contrahentes coniungentis in matrimonium. Quae sane sententia menti Concilii Tridentini *sess.* xxiv. *cap.* 1. *de refor.* accedere videtur. Oppositum tamen propugnant plures gravesque Theologi, nempe ipsa verba contrahentium formam esse huiusce sacramenti. Verum decisio huius controversiae ex iis pendet quae mox in sequentis controversiae discussione dicenda sunt.

IV. Quaest. unic. *An Sacerdos assistens contrahentibus sit sacramenti matrimonii minister?* Resp. Duae sunt hac de controversia sententiae, & utraque suos gravissimos patronos habet etiam in schola Thomistica. Cardinalis Gotti *quaest.* 11. *de matr. dub.* 5. ait, communiorem esse inter nostrates opinionem quae defendit, non Sacerdotem, sed contrahentes ipsos sacramenti matrimonii ministrum esse. Ex Thomistis tamen citat solum Gonet.

V. E contrario vero Sacerdotem esse huiusce sacramenti ministrum, propugnant prae-

præter Guillelmum Parisiensem Melchior Cano *Lib. VIII. cap.* v. Cardinalis Toletus *Lib. VII. de Sacerd. instruct. cap.* vi. Petrus Ledesma *de matr. quæst.* xlii. *art.* 1. *dub.* 4. Petrus de Marca *tract. de matr.* Maldonatus *quæst.* 1. *de matr.* AEstius in IV. *dist.* xxvi. §. 10. Franciscus Sylvius in *suppl.* III. *Part. quæst.* xlii. *art.* 1. & in 2. 2. *quæst.* c. *art.* 2. *ad* 6. Natalis ab Alexandro *de matr. art.* 5. Turnely *quæst.* iii. *art.* 2. Le Druin *Lib. X. de sacram. quæst.* ii. Gibertus *consult. canonic. de matrim. Tom. I. conclus.* 55. Hermenier *Tom. III. cap.* v. Du-Hamel *de matr. cap.* vi. Florentius de Cocq. *sec.* vii. Iuvenin *diss.* xii. *quæst.* iii. Vanroy *quæst.* ii. Piette *quæst.* xiii. Heinc iure infertur, quod in I. *Part. quæst.* 1. *art.* 8. scribit P. Dominicus Bannez, nempe *sententiam communem modo a multis improbari non solum post celebrationem Concilii Tridentini, sed etiam antea: & CANI sententiam multos alios sequi absque ulla temeritate. Quod enim uno tempore occultatur, postea per diligentiam, & studium advenientium multoties innotescit.* Paucis ego utriusque sententiæ fundamenta attingam. Nihil enim pro alterutra parte definitum ab Ecclesia est; sed utraque opinio sua fruitur probabilitate. Sententia tamen quæ Sacerdotem huius sacramenti ministrum asserit, mihi est probabilior.

VI. Principio sententia, quæ istius sacramenti, sicut & aliorum omnium, Sacerdotem ministrum esse defendit, erui videtur ex Tridentino *sess.* xxiv. *cap.* 1. *de refor.* ubi hæc habentur. *Ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat*: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: *vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciæ ritum.* Satis perspicue colligi heinc videtur, Sacerdotem esse huius sacramenti ministrum, & verba quæ profert, esse formam. Concilium enim verba usurpanda præscribit, vel alia iuxta cuiusque Ecclesiæ ritum. Ibidem subdit hanc benedictionem a proprio Parocho faciendam esse. *Item si quis Parochus, vel alius Sacerdos alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure suspensus maneat.* Plura alia Concilia provincialia, ut Coloniense, Cameracense, Remense, Turonense, quæ refert Sylvius, prætereo.

VII. His accedunt Ritualia plurima. Rituale Romanum vetus, an. 1494. a P. Alberto Castellano O. P. collectum, hæc habet. *Contrahentibus respondentibus se nec affines, nec consanguineos &c. Sacerdos pronuntiet verba, quæ sunt forma huius sacramenti.* Alterum Romanum, Pauli V. iussu editum, hæc verba *Ego vos coniungo* &c. proferenda a Parocho istius sacramenti ministro præscribit. P. Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus *Tom. II. pag.* 11. *Lib. I. cap.* ix. plura alia Ritualia in hanc rem affert. Unum laudare sufficiat, nempe Mediolanense, in quo S. Carolus Borromæus *Act. Part.* IV. hæc inferi curavit, nempe *quinque dumtaxat esse sacramenta, quæ* Pa-

Parochus ex officio administrare potest, baptismum, Eucharistiam, pœnitentiam, matrimonium, & extremam unctionem.

VIII. Oppositæ sententiæ patroni reponunt, verba ista, *Ego vos coniungo* &c. ad solemnitatem, secus ad formam pertinere; alioquin Tridentinum non permitteret pro varia Ecclesiarum disciplina variari. Forma enim sacramenti constans & firma sit oportet. Sacerdos vero ab aliquibus minister huius sacramenti appellatur, quia præsentia sua, tamquam testis, dat firmitatem contractui, qui aliter irritus esset.

IX. Quam sit responsio hæc infirma, nemo non videt. Constans utique & firma esse forma sacramenti debet quantum ad sensum & significationem, secus semper quantum ad verba, modumque loquendi. Præscribit Concilium adhibenda hæc verba esse, *Ego vos coniungo* &c. vel alia similia, quæ idem significent. Nonne forma baptismi, & confirmationis Latinos inter & Græcos nonnihil discrepat; tametsi eadem sit quantum ad sensum & essentialem verborum significationem? Quod addunt, hæc verba, *Ego vos coniungo* &c. hunc præferre sensum, *declaro vos coniunctos*, est arbitrarium commentum, quod Novatoribus Lutheranis, & Calvinianis ansam porrigit simili modo interpretandi hæc verba, *Ego te absolvo*, non aliud significare, nisi *ego declaro te a Deo absolutum*. Quid? Sacerdos, ut merus testis, præfata verba profert? Alii ergo testes dicere similiter poterunt? *Ego*, vel *nos coniungimus vos* &c. Absurdum hoc est. Ergo absurdum quoque est asserere, Sacerdotem esse istius sacramenti testem, & non ministrum.

X. Insistunt, Sacerdotem ministrum esse huius sacramenti, quatenus ritus & cæremonias administrat. Verum habet, Parochum esse ministrum huiusce sacramenti, quatenus ritus, nempe formam, & cetera quæ Ritualia præscribunt, administrat. Quid? Duo ne ministrorum genera, nempe laicorum, & Sacerdotum sacramenti istud perficient?

XI. Luculentius confirmatur sententia hæc. Lutherani, & Calvinistæ negant matrimonium esse sacramentum. Scripturarum testimonia, quibus nos evincimus sacramentum esse matrimonium, acutis cavillationibus eludere student. Cedo: quibus nos rationum momentis illorum explodimus commenta? Non sane aliis, ut ex iis quæ supra dicta sunt, constat, nisi apostolica, & universali traditione Patrum, qui una voce sacras vocant nuptias, quia sacra Sacerdotis benedictione consecrantur. Legantur testimonia supra relata. Heinc in iure canonico xxx. quæst. v. cap. *Nullus*, hæc habentur. *Nullus fidelis, cuiuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat; sed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino.*

XII. Respondent oppositæ sententiæ patroni, sacram Sacerdotis benedictionem; quam veteres omnes adstruunt, necessariam utique esse Ecclesiæ mandato, tamquam cæremoniam accidentalem ad maiorem nuptiarum solemnitatem; secus ad sacramenti necessitatem, divino præcepto impositam. Responsionem hanc, ut fal-

sam, & Novatoribus magnopere faventem, docte, solideque Melchior Canus refellit. Et principio, unde nos ex traditione argumenta haurіemus, ut contra Novatores evincamus sacramentum esse matrimonium, si recensita responsio consistat? Profecto si benedictio sacerdotalis, qua consecrari nuptias Patres asserunt, ut ad sacramenti dignitatem evectum a Christo matrimonium evincant, sit mera accidentalis cæremonia, desunt nobis præsidia omnia ex traditione arcessita, quibus contra Novatores, denegantes matrimonio sacramenti dignitatem, pugnemus. Sublata quippe universalis Ecclesiæ traditione, quæ est legitimus sacrarum Scripturarum, quibus matrimonium magnum sacramentum enuntiatur, interpres, inermes reperimur in certamine, & caussa cadimus in Novatorum conspectu. Concilium Carthaginense IV. ut vidimus, coniuges monet ut in reverentiam benedictionis sacerdotalis virginitatem intaminatam prima nocte saltem custodiant. Plus ne accidentali benedictioni quam ipsimet sacramento tribuendum est? Si benedictio non accessisset, sacramentum nihilominus esset, inquiunt adversæ sententiæ patroni. Tum autem non esset cur coniuges se continerent: nonne? Quis id asserere absque offendiculo potest?

XIII. Præterea, ut Canus sapienter differtat, sacramenta proprie dicta sunt sacræ religionis cæremoniæ: sacrorum enim usus ad religionem, qua Deum colimus, pertinet. Quocirca sacramentum opus est religionis. Porro non quodlibet rei sacræ signum est sacramentum, sed illud dumtaxat quod sacrum est. Et idcirco sacramenta, divini cultus ac religionis sacra quædam opera sunt. Cum igitur matrimonium solis viri, & feminæ verbis civiliter & profane contrahitur, licet rei sacræ signaculum sit, non est tamen opus religionis sacrum, atque adeo sacramentum proprie dictum. Alioquin si rebus sacris sat est significationem affigere, ut sacramenta dicantur, serpens æneus, atque manna proprie sacramenta nuncupanda sunt, concludit Cano. Quod cum sit absurdum, consequitur connubia sine sacro ministro, & absque sacra religionis cæremonia, non esse christianæ religionis sacramenta.

XIV. Accedit, Concilium Florentinum, enumeratis septem novæ legis sacramentis, ita definire. *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum.* Si horum unum desit, sacramentum non perficitur. Quis sacramenti matrimonii minister ordinarius, sine quo sacramentum nullum est? Ipsi coniuges? Homines laici ordinarii sacramentorum ministri? Mulier, necessitate urgente, baptizat; at minister ordinarius illa non est, sed Sacerdos. Soli Sacerdotes consecrati sacramento Ordinis sunt legitimi mysteriorum Christi dispensatores, ut *I. Cor.* IV. inquit S. Paulus. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Quo ergo iure adimi iisdem hæc potestas valet administrandi sacra-

cramenti matrimonii, quod magnum mysterium ab eodem Paulo nuncupatur, ut illa mulieri, cui ne quidem loqui permittitur in Ecclesia, tribuatur? Unde, quæso, adversarii colligunt laicos esse sacramenti matrimonii ministros? Ex quo Scripturarum testimonio, ex quo Concilio, ex qua Patrum traditione eruunt diversam esse sacramenti matrimonii, ac ceterorum omnium rationem? Nullum profecto sacræ antiquitatis documentum afferre in medium valent. Porro cum omnium aliorum sacramentorum minister Sacerdos sit, ut ab hac regula eximant matrimonii sacramentum, testimonia vel ex Scriptura, vel ex Conciliis, vel ex traditione afferre, & quidem perspicua & luculenta, debent. Nec satis est ut rem insolitam, & ceterorum omnium sacramentorum regulis certis adversam, qualis est, quod laici sint ordinarii sacrorum mysteriorum ministri, evincant, unam aut alteram coniecturam, humano ratiocinio ex aliquo testimonio ambiguo deductam, in medium afferre; sed requiritur clara & manifesta exceptio; præcipue quod in iis versemur quæ a voluntate institutoris pendent.

XV. Quemadmodum in pœnitentia optime distinguimus virtutem, & sacramentum; ita in matrimonio contractum humanum a sacramento secernimus. Pœnitentiæ virtutis minister non est Sacerdos, sed solus pœnitens eiusdem præstat officia: pœnitentiæ vero sacramenti solus Sacerdos minister est. Similiter matrimonii, ut est humanus contractus, ipsi coniuges caussa sunt effectrix; contra matrimonii ut sacramenti caussa perficiens Sacerdos est. Hæc omnia exacte sibi constant, unaque optime consistunt. Contra in opposito systemate vix formari potest aliqua perspicua idea ministerii a coniugibus in hoc sacramento præstandi. Sacramentorum enim quæ in sola actione sita sunt, minister a suscipiente distinguitur. Nemo enim seipsum confirmare, baptizare, absolvere valet. Coniuges autem sacramentum matrimonii suscipiunt. Qui ergo fieri potest ut coniuges sint istius sacramenti minister? Nam aut quilibet contrahens sibi, aut unus alteri sacramentum administrat. Non primum, quia nemo, ut dictum est, sibi administrare sacramentum, in actione situm, potest. Illud ergo est reliquum, ut vel ambo coniuges unum ministrum conflent; vel unus alteri vicissim sacramentum administret. Si secundum, duo efficient sacramentum: neque enim sacramentum ita dividuum est, ut unus minister partem unam, & alius minister partem alteram perficiat. Primum autem repugnare communi sensui videtur. Nam licet conferre tertio simul in eodem instanti duo ministri queant sacramentum; tamen percipi posse nullo modo videtur, qua ratione valeant duo coniuges unum efficere ministrum, qui sibimetipsis sacramentum administret. Ex alia parte neuter sine altero potest sacramentum perficere. Et tum quæritur, an prius vir mulieri, an mulier viro sacramentum conferat.

XVI. Tandem sacramentum a sacra proficisci forma debet. Quamvis enim cuiusque sacramenti materia naturalis sit, forma tamen, a qua sacramentum denominatur, sacra sit necessum est, ut sacrum opus perficiat. Numquid a forma naturali & civili facer prodibit effectus? Porro contrahentium verba, *Ego te accipio in meam* &c. nullo modo sacra sunt. Materia ergo sacramenti esse possunt; forma esse non possunt. Quod præfata verba naturalia sint, & non sacra, inde patet, quod omni nationi, etiam fide christiana destitutæ, communia sint, & ab omni populo indiscriminatim usurpentur. Rursus verba quæ sacramentorum formas constituunt, spiritualem effectum significant; immo vel maxime in forma sacramenti significatio elucet. Hæc autem verba, *Ego te accipio in meam*, nullius spiritualis effectus signa sunt. Accedit quod dum verba alicuius sacramenti forma sunt, si loco illorum aut nutus, aut scriptum, aut signum substituantur, inanis prorsus eorum actio est. Numquid baptisma per nutus, aut signa administrari valide potest? At si contrahentes loco verborum, nutus, vel scripturas substituant, æque conficiunt matrimonium, ac si verbis utantur.

XVII. Heinc merito ratiocinatur Melchior Cano. Verba igitur contrahentium materia sacramenti sunt, forma non sunt. Iam illa falsa & commentitia esse quis non videt quæ iuniores Theologi confinxere, ut civilem hunc, humanumque contractum Christi & Ecclesiæ sacramentum esse tuerentur: quæ quidem pleraque infidelibus valde nugatoria sunt; fidelibus autem parum solida. Hic tibi dicit, contrahentes ipsos esse materiam sacramenti; hic non ipsos, sed consensum; alius, gestus & nutus qui a viro feminaque exceptis verbis adhibentur; alius prioris loquentis verba materiam esse affirmat, posterioris formam. Quæ utinam graviter, vere, & probabiliter dicerentur, ne iure ab hæreticis rideremur. Quorsum autem attinet in re gravissima tenuiter, ne dicam ridicule, philosophari? Quorsum in re ad fidem, & religionem necessaria, tanta varietas & inconstantia? Non enim, ut Hieronymus ait, potest umquam verum asseri quod diversum est. Et rursum, *Verum*, inquit, *non esse quod variat, etiam maledicorum testimonio comprobatur*. Quid quod nos materiam, & formam sacramenti quærimus, hoc est res quasdam religione sacras; hi vero de forma materiaque contractus profani, naturalisque respondent? Nam si apud Ethnicos de pacti illius conventionisque materia & forma controversia esset, non aliter profecto illi ac nostri Theologi loquerentur. Ita Lutherus more suo Theologos satis iocose lusit, quod religionis nostræ sacramentum ex his vel integrum & perfectum constituissent quæ penitus omnia in matrimoniis paganorum reperirentur. Ac certe materiam, & formam civilis, naturalisque contractus, quibus in omni semper lege omnes usi sunt, quæque perpetuo fidelibus, & infidelibus fuere communes; easdem omnino esse materiam, & formam, quibus integra & perfecta nostræ religionis constituuntur sacramenta, non Luthero dicam,

cam, sed vix cuiquam persuaderi poterit, nisi ei apud quem tantum opinio praeiudicata potest, ut etiam sine ratione valeat. Hactenus sapientissimus Cano, totidem verbis, quae usurpare mihi libuit, quod sint ad controversiae difficultatem exponendam quammaxime opportuna.

XVIII. Tandem haec sententia tutior sane est. Nemo enim in controversiam vocat, matrimonium, benedictione sacerdotali accedente, esse sacramentum. Contra, hac benedictione sublata, gravissimi Theologi aperte inficiantur matrimonium tale esse sacramentum. Haec autem Theologorum opinio probabilis est. An negabunt adversarii hanc opinionem esse probabilem, quam tot doctissimi Theologi propugnant? Si quisquam minus peritus hoc auderet, illi oppono auctoritatem sapientissimi Pontificis BENEDICTI XIV. qui *Lib. VIII. de Synod. cap.* XXVIII. *num.* 3. haec scribit. *Verum quamquam hucusque explicata Melchioris Cani sententia, tot Doctorum suffragiis communita, sit VALDE PROBABILIS, ac cuique liberum absque erroris nota eam amplecti* &c. Non probabilis modo, verum etiam valde probabilis est sententia nostra, teste Pontifice maximo. Est etiam tutior in comparatione oppositae. Illa enim tutior sententia est de qua Theologorum nemo unus ambigit. Porro omnes ad unum fatentur, coniugium, ecclesiastico ritu benedictum a Sacerdote, esse verum sacramentum. Contra, gravissimi Theologi pernegant sine hac benedictione esse sacramentum. Ergo tutior illa, haec minus tuta. Atqui ex decreto Innocentii XI. ex duabus opinionibus probabilibus, quae in utramque partem a Theologis disputantur, tutiorem amplecti debemus, quando de sacramentis agitur. Ergo amplectenda nostra, reiicienda altera est.

§. UNICUS.

Adversae sententiae rationum momenta expenduntur.

I. Obiiciunt 1. In decreto pro Armenorum instructione Eugenius IV. haec docet. *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti*. Porro caussa efficiens matrimonii, & minister idem sunt. Resp. Iam supra dictum est, caussam effectricem matrimonii, ut est naturae officium, & ut contractus humanus, & civilis, esse mutunm contrahentium consensum: quia inde oritnr nexus, & vinculum perpetuum, ut Catechismus Concilii Tridentini *Part.* II. *cap.* VIII. *§. 6.* interpretatur. *Cum dicunt coniugium esse consensum maris & feminae, hoc ita accipiendum est, consensum ipsum matrimonii causam effectricem esse: quod Patres in Concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio, & nexus oriri non potest nisi ex consensu & pactione*. Insistunt, Eugenium loqui de septem Ecclesiae sacramentis, quorum numerum matrimonium ingreditur. Verum habet. Sacramentum esse matrimonium, asserit Eugenius; at de materia, & forma huius sa-

cramenti nihil prorſus definit ; ſed potius determinatum omnium ſacramentorum miniſtrum conferentem ſacramenta, a ſuſcipientibus diſtinctum deſignat . Et hoc magis inde conſtat quod Pontifex loquens de aliis ſacramentis illorum materiam aſſignat. *Primum omnium ſacramentorum* (inquit) *eſt baptiſmus . . . huius ſacramenti materia* &c. De matrimonio vero loquens, ſacramenti non meminit; ſed tantum abſolute ait: *Cauſa efficiens matrimonii*; minime vero inquit: Cauſſa efficiens *huius ſacramenti*. Nihil igitur ex hoc decreto eruere adverſarii valent quod illorum faveat opinioni; cum certum ſit, duo in matrimonio diſtinguenda eſſe, nempe rationem contractus, & rationem ſacramenti. Sacramentum matrimonium eſſe Eugenius aſſerit; cauſſam vero effectricem contractus matrimonii dicit eſſe conſenſum contrahentium. Quænam vero ſit cauſſa perficiens ſacramentum, expreſſe non definit. Porro, cum abſolute dicat, ſacramentorum miniſtrum eſſe *Sacerdotem*, ut ab hac univerſali omnium aliorum ſacramentorum regula matrimonium exciperet, neceſſaria foret perſpicua & manifeſta declaratio . Perperam igitur una æquivoca vocula firmare adverſarii opinionem in re graviſſima contendunt.

II. Obiiciunt 2. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* 1. *de ref.* declarat matrimonia clandeſtina rata & vera matrimonia fuiſſe, donec Eccleſia eadem irrita fecit; quamvis ea ſemper deteſtata fuerit ſic clandeſtine contracta . Reſp. Levior præcedenti eſt oppoſitio hæc. Rata, & valida ſemper fuiſſe matrimonia clandeſtina in ratione contractus, verum habet; in ratione ſacramenti, falſum eſt. Laudatum Concilii decretum vinculum perpetuum, & fœdus matrimonii indiſſolubile , non ſacramenti dignitatem ſpectat; ut Cardinalis Pallavicinus *Lib. XXIII. cap.* IX. *num.* 9. teſtatur, inquiens: *Numquam declaravit Concilium, clandeſtina matrimonia fuiſſe ſacramenta, adeo ut graves Theologi id negent*.

III. Inſiſtunt. Concilium *cit. ſeſſ.* XXIV. *can.* I. hoc dogma ſtatuit . *Si quis dixerit matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis evangelicæ ſacramentis a Chriſto Domino inſtitutum . . . anathema ſit*. Deinde *can.* XII. inquit: *Si quis dixerit , cauſas matrimoniales non ſpectare ad iudices eccleſiaſticos , anathema ſit*. Reſp. Omnes Catholici confitentur, ut fidei dogma, matrimonium eſſe ſacramentum. Propterea ne matrimonium clandeſtinum ſacramentum eſt? *Can.* XII. damnat eos qui negant cauſſas matrimoniales attinere ad iudices eccleſiaſticos: quia Chriſtiani omnes tenentur matrimonium inire, ut ſacramentum a Chriſto inſtitutum. Porro ad iudices eccleſiaſticos pertinet iudicare, contractæ ne nuptiæ ſint iuxta leges Eccleſiæ. Iſtorum officium eſt in eos fideles animadvertere qui matrimonium clandeſtine, & neglectis Eccleſiæ ritibus, ineunt tamquam humanum contractum, & non tamquam ſacramentum a Chriſto inſtitutum. Violant enim tunc leges tum divinas, tum eccleſiaſticas. Ergo iudicium ad Eccleſiam attinet.

IV. Obiiciunt 3. Abſurdum videtur, matrimonia clandeſtina non fuiſſe ante Triden-

dentinum sacramenta, & tot fideles caruisse huius sacramenti effectu. Resp. Absurdum quod obtruditur, totum in malitiam contrahentium regeritur. Nonne etiam adversarii fatentur, Christianos matrimonia contrahentes contemptis Ecclesiæ ritibus, peccare mortaliter? Maius ergo absurdum in sententia adversariorum apparet. Non enim caruerunt dumtaxat effectu sacramenti, qui ante Tridentinum clandestine matrimonia iniebant; sed sacrilegium quoque perpetrabant, admissa sententia, quod eiusmodi matrimonia fuerint sacramenta. Peccato siquidem mortali, neglecti Ecclesiæ ritus, polluti illa celebrabant. In nostra autem sententia uno se inquinabant scelere: quia matrimonia illa fœdera perpetua & indissolubilia erant, sacramenta non erant.

V. Obiiciunt 4. Benedictiones & verba Parochorum non ad essentiam, sed ad cæremonias accidentales attinent matrimonii. Quoniam Tridentinum non asserit matrimonium sine tali benedictione nullum esse; sicut nullum pronuntiat, si Parochi præsentia desit. Resp. Sunt aliquæ benedictiones utique accidentales; sed hoc non impedit quominus essentialis illa sit qua Parochus contrahentes coniungit. Tridentinum, ut supra dictum est, nihil super hac controversia expresse definivit. Instant. Secundæ nuptiæ benedictione carent, ut ex *can.* VII. Concilii Neocæsariensis colligitur. Resp. Secundæ nuptiæ carent quadam benedictione accidentali, quæ in ipsa Missa a Sacerdote pronuntiatur; at non carent benedictione essentiali, qua Sacerdos, ut Dei & Ecclesiæ minister, contrahentes coniungit.

VI. Obiiciunt 5. auctoritatem S. Thomæ, & Thologorum multitudinem. Resp. Pro utraque sententia afferuntur Angelici Doctoris testimonia. Prioris sententiæ patroni producunt hæc, quæ *Lib. IV. contr. Gent. cap.* LXXVIII. Angelicus scribit. *Matrimonium*, inquit, *inquantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico. Ea autem quæ populo per ministros Ecclesiæ dispensantur, sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, secundum quod consistit in coniunctione maris & feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare, & educare, est Ecclesiæ sacramentum: unde & quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur: & sicut in aliis sacramentis per ea quæ exterius aguntur, spirituale aliquid figuratur; sic & in hoc sacramento per coniunctionem maris & feminæ coniunctio Christi & Ecclesiæ figuratur.* Rursus in *IV. dist.* I. *art.* 3. *ad* 5. licet, inquit Cano, communes opiniones sequeretnr, tamen veritate coactus docet matrimonium, sicut & pœnitentiam, esse sacramentum, *secundum quod utrumque est sacramentum, in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, utrumque habet aliqua verba*. Hæc testimonia videntur satis perspicua. Nihilominus contrariæ opinionis patroni alia opponunt, quæ videntur adductis contraria, quæ habet in *Suppl. quæst.* XLV. *art.* 5. *ad* 2. Quare negari nequit quin ambigua sit super hac controversia S. Thomæ mens. Propterea Sylvius in 2. 2. *quæst.* C. *art.* 2. *ad* 6. docet, S. Doctorem,

si suam Summam absolvisset, declaraturum fuisse, ministrum sacramenti matrimonii esse Sacerdotem: præsertim, inquit, quod *III. Part. quæst.* lxxxiii. *art.3. ad* 8. expresse dicat: *Dispensatio sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiæ*. Et in Suppl. quæst. viii. art. 1. *Solus ille est minister sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod solius Sacerdotis est*. Item quæst. xxxi. art. 1. *Nullius sacramenti dispensatio laicis ex officio competit*. Denuo quæst. lix. art. 2. ad 1. *Matrimonium, secundum quod est sacramentum consistens in dispensatione ministrorum Ecclesiæ, non competere infidelibus*. Ad multitudinem Scholasticorum, contrariæ opinioni patrocinantium, quod attinet, respondetur, hunc magnum numerum probabilem quidem reddere oppositam opinionem, secus certam. Idcirco disputare licite in utramque partem quisque valet, eamque sibi eligere quam probabiliorem iudicat.

VII. Illud ex iis quæ dicta sunt, inferri iure posse existimo, nempe sententiam quæ defendit, Sacerdotem esse matrimonii ministrum, facilius Novatorum commenta explodere, & minoribus absurdis obnoxiam esse. Præterea sententia hæc omnino conformis est universæ Ecclesiæ catholicæ praxi; idque propugnat quod reipsa observatur, observatumque semper Ecclesia voluit. Neque ex hoc dissidio aliquid emolumenti capere Novatores possunt. Nam omnes Catholici conveniunt, matrimonium iuxta ritum & leges Ecclesiæ celebratum sacramentum esse. Sit postea nec ne sacramentum, absque sacris ritibus celebratum, disputatio scholæ est. Quare prudenter concludit Melchior Cano. *Sed sive nostra opinio sit vera, sive falsa, nihil moror. Si Lutherani de hoc matrimoniorum genere disceptare voluerint, intelligant se in scholæ disceptationes incurrisse; nec oportere Catholicum ad eorum argumenta respondere. Sin vero argumententur, matrimonium cum sacris cæremoniis, cum sacra materia, cum sacra forma, a sacro ministro administratum, quemadmodum in Ecclesia Romana semper usque ab Apostolis administratum est: si hoc, inquam, argumententur, sacramentum Ecclesiæ non esse, tunc Catholicus respondeat, animose defendat, secure contra pugnet.*

CAPUT VI.

De consensus mutui ad matrimonium necessarii conditionibus.

I. QUæst. I. *An, ut validum sit matrimonium, utriusque coniugis consensus requiratur?* Resp. Affirmant omnes. Dictum enim supra est, consensum mutuum utriusque coniugis caussam effectricem esse matrimonii. Matrimonium autem firmum vinculum esse nequit perpetui amoris, animorumque coniunctionis, nisi utraque pars suum consensum præbeat. Quoniam sine mutuo consensu, non trans-

transfertur proprii corporis dominium . Bona quippe propria in alterius transire potestatem nequeunt, nisi vel lege cogente, vel ipsius domini consensu . Nulla autem lex est quæ cogat ut quis proprii corporis dominium in alterius potestatem transferat. Ergo solo mutuo consensu eorum qui contrahunt, transferri dominium istud valet.

II. Disputant Scholastici, possit ne Deus sua absoluta potestate supplere contrahentium consensum, & efficere ut verum sit matrimonium , non accedente coniugum consensu. Adfirmant plures cum Estio in *IV. dist.* XXVII. *§. 3.* Quia Deus supremo suo dominio conferre uni potest dominium in alterius corpus, atque adeo eiusdem supplere consensum . Negant alii . Verum quæstio ista inter otiosas collocanda est. Numquam enim Deus hac usus potestate est, & definire infinitæ potestatis divinæ confinia fugit humanæ mentis aciem.

III. Quæst. II. *Quæ conditiones requirantur ad consensum, ut validum efficiat matrimonium?* Resp. Consensus debet esse internus , sincerus & non fictus, liber & non coactus, ab errore immunis, & publicus, atque signo exteriore manifestatus.

IV. Quæst. III. *An consensus interior nullo exteriori signo expressus sufficiat ad matrimonium?* Resp. Negant omnes ; & ratio est manifesta : tum quia consensus iste materia est sacramenti, quæ necessario sensibilis sit oportet : tum quia consensus unius coniugis acceptari ab alio debet . Acceptari autem non potest, nisi per exteriora signa manifestetur. Neque enim homines , quemadmodum Angeli , communicare sibi conceptus suos valent sola animi directione, sed solum per externa aliqua signa, sive verba sint, sive quodlibet aliud symbolum.

V. Quæst. IV. *An consensus in matrimonium necessario exprimendus verbis sit ab iis qui loqui possunt, sufficiantque in mutis & surdis nutus, vel alia signa?* Resp. Concilium Florentinum in decreto &c. hæc statuit. *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus.* Particula illa *regulariter* verba, non consensum afficit : consensus enim non modo regulariter , sed semper necessarius est ; non item verba , quæ suppleri per aliqua externa signa possunt, ut in mutis, surdisque, quando isti matrimonium ineunt; quemadmodum Innocentius III. cap. *Tuæ fraternitatis* statuit, inquiens : *Surdos , & mutos posse contrahere matrimonium sine verbis . Quod enim verbis non possunt , signis declarare valent.* Et hoc expressius Catechismus Concilii Tridentini *Part. II. cap.* VIII. *§.* 10. declarat. *Verborum loco tum nutus , & signa , quæ intimum consensum aperte indicent , satis ad matrimonium esse possunt : tum etiam ipsa taciturnitas, cum puella propter verecundiam non respondet , sed pro ea parentes loquuntur.*

VI. P. Claudius La-Croix fallitur , & fallit *Lib. VI. quæst.* III. *num.* 231. inquiens, Canum putasse, matrimonia solis nutibus contracta non esse sacramenta . Canus enim docet, matrimonia contracta solis nutibus non esse sacramenta in hypo-

pothesi, quod coniuges essent ministri huius sacramenti : quia Ecclesia sacramentorum ministros mutos & surdos non habet. Ceterum Canus non negat matrimonium nutibus contractum esse sacramentum, quando celebretur iuxta Ecclesiæ ritum, Sacerdote benedicente, & coniungente sponsos præbentes materiam sensibilem sive per verba, sive per nutus.

VII. Disputant Casuistæ, an valentes loqui peccent mortaliter, si, neglectis verbis, solis nutibus matrimonium celebrent. P. La-Croix *loc. cit.* refert ex una parte Ledesmam, Rodriquez, Sylvestrum, Aversam, requirentes verba sub mortali : ex altera Sanchez, Filliucium, docentes venialiter tantum peccare qui verba omittunt nutibus substitutis : sed Pontius, inquit, Castropalaus, Henriz, Tamburinus, Sporer, Krim, quibus accedit Leander *disp.* VI. *quæst.* XXII. dicunt per se nullam esse culpam, neglectis verbis, exprimere alio signo consensum internum, dummodo absit periculum scandali, & dubii de existentia consensus. Has omnes opiniones Lectorum arbitrio P. La-Croix more suo relinquit. Bilances casuisticæ ponderandi malitiam mortalem, vel venialem sæpe mihi desunt. Certe solum aio, peccare regulariter illos qui loqui cum possint, verbis omissis, nutus, vel alia signa adhibent. Excipe casum puellæ verecundæ, aut aliud legitimum impedimentum.

VIII. Quæst. V. *Utrum consensus interior ad matrimonii valorem debeat esse verus & sincerus, an sufficiat fictus per verba exterius serio de præsenti expressus ?* Resp. Plures hac de quæstione circumferuntur opiniones. Mihi probabilius est, consensum interiorem fictum simulatumque, licet verbis de præsenti serio expressum, non efficere matrimonium validum. Hanc doctrinam aperte tradit Innocentius III. cap. *Tua nos* de sponsal. his verbis. *Sine consensu nequeunt cetera fœdus perficere coniugale*. Hanc sententiam perspicue docet S. Thomas in *Suppl. quæst.* XLV. *art.* 4. ubi in argumento quod vocant prolusorium, hæc habet. *Intentio requiritur in omnibus sacramentis. Sed ille qui corde non consentit, non habet intentionem matrimonii contrahendi. Ergo non fit matrimonium*. Deinde in articuli corpore hoc pacto ratiocinatur. *Sicut se habet ablutio exterior ad baptismum; ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum. Unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere sacramentum, sed ludum & dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit*. Decretoria hæc sunt, nec commentatione nostra egent. Plura obtrudi solent in oppositum, quæ resoluta manent ex iis quæ dicta sunt *Tom. VIII.* de intentione necessaria in perficiendis sacramentis, quæ ibidem videre tu poteris, ne ego actum agam.

IX. Quæst. VI. *An qui simulate contrahit matrimonium cum aliqua, peccet mortaliter, & teneatur consentire, eamque ducere* ? Resp. Qui simulate contraxit, pecca-

cavit mortaliter, contra veritatem quidem ratione mendacii, contra iustitiam vero, quod alterum contrahentem fraude & dolo decepit.

X. Ad secundam partem quod attinet, alleganti se ficte contraxisse, fidem adhibendam non esse, Innocentius III. cap. *Per tuas* de probat. docet, inquiens: *nimis indignum esse iuxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare*. Quæ absurda, quæ familiarum, Reipublicæ, & Ecclesiæ perturbationes non consequerentur, si adfirmanti, se animo simulato contraxisse, fides adhiberetur? Non modo audiri absolute non debet talis simulator, sed severis pœnis puniri a Superiore debet ob fraudem, qua & contrahentem, & Ecclesiam decepit.

XI. Quare absolute loquendo, qui simulate contraxit, sub gravi peccato obstringitur vere & sincere consentire, & feminam cum qua ficte contraxit, ex animo ducere: tum ut resarciat iniuriam illatam Ecclesiæ, & parti; tum ut scandala, & damna quæ inde suboriri possent, impediat. Eiusmodi simulatores absolvendi nullo modo sunt, nisi prius verum consensum sive interius, sive exterius, prout prudenter Sacerdos iudicaverit, præstent.

XII. Quæst. VII. *Sunt ne aliqui casus in quibus simulator non teneatur ducere feminam cum qua ficte contraxit?* Resp. Sequentes casus assignant plures Theologi. 1. Si simulator alteram duxerit sincero animo: quo in casu, inquiunt, priori feminæ illata damna compensare simulator deberet. Verum communiter hæc opinio reiicitur. Ecclesia enim semper hunc compellit manere cum prima; ut colligitur ex cap. *Licet* de sponsal. & docet *loc. cit. ad 3.* S. Thomas. *In tali casu Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore: quia secundum ea iudicat quæ foris apparent: nec decipitur in iustitia, sive in iure, quamvis decipiatur in facto*. Si tamen revera consensus fuit coram Deo fictus cum prima uxore, & verus sincerusque cum secunda, tunc, addit Angelicus ibi, *ille debet potius excommunicationem sustinere quam ad primam uxorem accedat: vel debet in alias regiones remotius fugere*. Quoniam secunda in hoc casu esset vera uxor, quamvis Ecclesia secundum ea quæ extrinsecus apparent, iudicet in favorem primæ: quia præsumit adfuisse verum consensum. Quando tamen certa & indubitata argumenta occurrerent, defuisse reipsa cum priore consensum; tum iudex ecclesiasticus post reparatum damnum illatum parti læsæ, & peractam pœnitentiam ob mendacii & fraudis iniquitatem absolvere posset reum, & nullum declarare prius matrimonium.

XIII. 2. Si sit maxima inter eos disparitas, & evidentia ficti consensus signa appareant; tunc præsumi potest, mulierem voluisse decipi, & non fuisse vere deceptam. 3. Casus, si mulier quæ decepta apparet, se virginem simulaverit, cum reipsa non esset: tunc enim fictio ex utraque parte extaret. 4. Si capitales inimi-

micitiæ, scandala, diffidia, cædes, aliaque id genus mala ex tali matrimonio oritura timeantur. In his casibus, inquiunt, iudex ecclesiasticus poterit iuxta circumstantiarum varietatem talia matrimonia ficta rescindere, compensatione pecuniaria adiecta.

XIV. Quæst. VIII. *Quid dicendum de prole ex matrimonio ficte contracto suscepta?* Resp. Legitimam prolem ex tali matrimonio susceptam reputandam esse, antequam fictio probetur, docent communiter Auctores cum S. Thoma in *IV. dist.* xli. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 2. ubi hæc habet. *Ignorantia excusat illicitum coitum a peccato, nisi sit affectata. Unde illi qui conveniunt bona fide in facie Ecclesiæ, quamvis sit impedimentum, dum tamen ignorant, non peccant, nec filii sunt illegitimi.* Fictiones istæ, ut iam dixi, communiter improbandæ sunt, & reiiciendæ. Uni coniugi, affirmanti se non consensisse in matrimonium, fidem alter coniux adhibere non debet, nec alterum inire coniugium potest. Sicut Ecclesia non præbet fidem asserenti, & non probanti fictionem; ita neque privatus coniux credere eidem debet, ut in *Suppl. quæst.* xlv. *art.* 4. *ad* 2. S. Thomas docet, inquiens: *Si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium: quia matrimonium consistit in mutua coniunctione. Tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi signa evidentia doli appareant: quia de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium. Unde ille ex cuius parte dolus non est, a peccato excusatur per ignorantiam.* Quando iudicis sententia rescissum prius matrimonium fuerit, tum iniri secundum poterit.

XV. Quid, si unus coniux certus sit, prius matrimonium, iudicis sententia dissolutum, esse validum in foro interiori? Tum iste nequit secundum coniugium inire. Qui dubitat, sit ne matrimonium suum validum, debet doctiores viros consulere, & illorum iudicio dubium deponere. Quod si dubium probabile fuerit, & deponi prudenter nequeat, tunc reddere, minime tamen petere potest debitum; ut docet S. Thomas in *Suppl. quæst.* lv. *art.* 9. *ad* 3. Ratio primi est, quia dubitatio unius non sufficit ad privandum alterum sua legitima possessione. Secundum vero patet: quia cum dubium deponi prudenter nequeat, periculum fornicationis adest, quod quisque vitare tenetur.

XVI. Quæst. IX. *An consensus metu extortus nullum matrimonium efficiat?* Resp. Principio distinguenda a metu coactio est. Hæc a principio extrinsecus operante manat, quæ in internos voluntatis actus agere minime valet. Ideo communiter Theologi docent, voluntatem intrinsecus cogi non posse. Quando enim vult, proculdubio voluntarie vult.

XVII. Multiplicem metum Theologi distinguunt. Alius metus gravis est, qui concipitur de aliquo malo imminente vel in se gravi, ut est mors, exilium, carcer, mutilatio, vel gravi ex apprehensione timentis. Iuveni, vel mulieri potest

esse

esse grave malum quod leve est viro. Timor levis est de malo & in se, & respectu timentis personæ levi. Prior dicitur cadens in virum constantem, secus posterior.

XVIII. Præterea alius metus est a naturali interna caussa ortus, qui vel ob vitam servandam, vel ob pœnam æternam, similemve fugiendam ad agendum impellit. Alius est metus qui a caussa exterius agente proficiscitur: & hic duplex est. Aut enim caussa exterius agens est dumtaxat metus occasio, ut est tempestas maris respectu mercatoris, qui, ut vitam a sæviente tempestate servet, merces proiicit, vel votum edit: ubi tempestas non est caussa, sed occasio talis proiectionis, & voti: neque enim tempestas huc tendit, ut mercatorem cogat ad merces proiiciendas, votumve emittendum. Aut caussa exterior est caussa effectrix eiusmodi metus ob vim quam homini directe infert, ut cum latro, pugione districto iugulum petens, mortem comminatur, nisi pecunia sibi tribuatur. Hæc vis exterior vera est metus caussa, unde actio manat.

XIX. Insuper alius est metus iustus a iudice, vel legitimo superiore ex iusta caussa inflictus: ut cum iudex Titium sub matrimonii fide virginis corruptorem ad carcerem damnat, aliave gravi pœna plectit, ut violatam virginem ducat in matrimonium. Alius est metus iniustus, qui iniuste absque legitima caussa incutitur. Tandem est metus reverentialis, qui dicitur existimatio futuri mali quod sibi quisque metuit ab illis sub quorum extat potestate, & quos revereri tenetur; ut sunt filii respectu parentum, subditi respectu superiorum. His præmissis, ad quæstionem propositam respondetur.

XX. Dicendum 1. est, matrimonium ex metu gravi iniuste incusso celebratum, nullum & irritum esse: & hoc fatentur omnes, declaratumque est ab Alexandro III. cap. *Cum locum* de sponsalibus, his verbis. *Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est ut ubi assensus cuiusdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur: & ubi de illo quæritur, plena debet securitate gaudere: cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit*. Rationem assignat Doctor Angelicus in *Suppl. quæst.* XLVII. *art.* 3. his verbis. *Vinculum matrimonii est perpetuum. Unde illud quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit: quia potest repeti restitutio in integrum. Et ideo hæc coactio metus, quæ cadit in constantem virum, tollit matrimonium, & non alia*. Vide plura alia ibi. Ratio hæc matrimonia irritandi evidens est. Quia matrimonium perpetuum animorum fœdus includit. Consensus autem gravi metu extortus nec plene liber est, nec benevolam animorum societatem inducit, sed potius dissidia parit; idcirco iure Ecclesia eiusmodi matrimonia irrita declaravit.

XXI. Disputant Theologi, sint ne hæc matrimonia nulla iure naturæ, an tantum iure ecclesiastico. Communior & probabilior sententia est, nulla esse iure dumtaxat ecclesiastico, iuri tamen naturali quammaxime consentaneo. Quoniam metus natura sua non tollit voluntarium simpliciter, sed tantum secundum quid, ut *Tom. VI.* dictum est.

XXII. Dicendum est 2. matrimonium ex gravi metu iuste incusso, sive ex caussa naturali interna, sive externa, validum esse, ut communiter docent omnes. Si caussa interna sit, res manifesta est. Qui enim vel mortis metu, vel sanitatis amore matrimonium contrahit, libere eligit hoc bonum, ut malum effugiat. Qui ergo coniugium init, ut ab aliquo malo se se liberet, quoties malum istud directum in hunc finem non est, ut consensum extorqueat, vinculo coniugali obstringitur; quemadmodum qui furente tempestate votum edit, voto obstringitur, quia libere vovet. Et eiusmodi caussæ sunt potius occasiones quam veræ caussæ actionis: quia non sunt in talem finem directæ. Si caussa exterior metum iuste incutiat, ut matrimonium contrahatur, tunc sibi imputare debet contrahens, qui suo crimine impulit iudicem ad infligendam pœnam, qua compulsus uxorem ducit puellam quam post datam matrimonii ineundi fidem defloravit. Hoc enim iustitiæ ordo postulat, ut damnum illatum reparetur. Validum quoque est matrimonium illius qui, ut evadat supplicium capitale, vel aliud malum, etiam iniuste illatum, non tamen eum in finem ut matrimonium contrahatur, talem feminam ducit uxorem.

XXIII. Dicendum est 3. matrimonium ex metu levi contractum validum esse: quia metus levis facile repelli potest, nec libertatem aufert. Similiter matrimonium ob metum reverentialem initum validum est; dummodo ex parte parentum desint comminationes, iræ graves, quæ morosam ac difficilem cum iisdem cohabitationem efficerent. Quia tum metus evaderet gravis, & iniustus. Tunc enim metus iniuste incussus dicitur, quando qui illum incutiunt, peccant contra iustitiam, & bonos mores. Peccant autem parentes, & quidem graviter, quoties vi cogunt filios ad certa matrimonia ineunda.

XXIV. Ex iis quæ hactenus dicta sunt, valida habentur sequentia matrimonia. 1. Qui concubinam mortis, aut inferni, aut naufragii metu perculsus ducit, validum contrahit matrimonium. 2. Qui ad mortem iuste damnatus, si ab aliqua postulatur ad nuptias, ut mortem declinet, validas nuptias contrahit. 3. Ratum est matrimonium illius qui iudice mortem, aut carcerem comminante ducit illam quam defloravit. 4. Si iuvenis inventus in stupro a parentibus cum propria filia, timens sibi mortem inferendam, sponte offerret se ducturum in coniugem filiam, validum esset coniugium. 5. Si parentes minarentur, se hunc stupratorem adducturos ad iudicem, nisi ducat filiam, quam invitam violavit: & is

is metu hoc concussus eam sponte ducat, ratum est matrimonium: quia iuste parentes talem stupratorem ad iudicem deferre valent. Contra si ipsi mortem, aut grave malum inferre tentarent, tunc matrimonium ex tali metu contractum nullum esset: quia talis metus iniuste esset incussus. Licet enim parentes iure stupratorem invitæ filiæ deferre ad iudicem valeant; ipsi tamen minari, vel inferre mortem, sive aliud grave malum nequeunt. Similiter nullum esset matrimonium, si filia libere consensisset in stuprum, eamque ex gravi metu sibi incusso duceret: quia metus iniuste esset intentatus. Tunc enim parentes ius tantum habent accusandi penes iudicem stupratorem, & adigendi ut damnum illatum resarciat; secus infligendi timorem ad extorquendum consensum in matrimonium, nisi sub fide matrimonii ineundi eam revera violasset.

XXV. Quid de hoc matrimonio dicendum? Sempronius, passus a Titio iniuriam per furtum, aliudve crimen, minatur illum accusare apud iudicem, nisi talem puellam ducat in uxorem. Matrimonium irritum foret: quia quamquam Sempronius iure potiatur accusandi Titium apud iudicem ad damnum sibi illatum reparandum; nullum tamen ius habet comminandi accusationem, ut illum compellat ad matrimonium contrahendum. Et quamvis hoc timore perculsus Titius contraheret matrimonium, illudque iuramento confirmaret; nihilominus invalidum esset. Quia iuramentum non efficit validum quod ab Ecclesia irritum declaratum est. Qui iniusto metu compulsus contraxit, reddere debitum non tenetur.

XXVI. Quæst. X. *Quomodo coniugium ex metu iniusto initum convalescat?* Resp. Si qui coactus contraxit, libere postea consentiat, validum evadit matrimonium, dummodo in altera parte, quæ libere consenserat, persistat consensus, non retractatus; ut S. Thomas in *IV. dist.* XXIX. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 2. docet: *Ex consensu libero illius qui prius coactus est, non fit matrimonium, nisi inquantum consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore: unde si dissentiret, non fieret matrimonium.* Ratio patet. Matrimonium enim ex utriusque coniugis consensu mutuo pendet. Quare sicut matrimonium nullum fuit ex defectu consensus illius qui coactus contraxit; ita nullum est, si consensus ab altera parte præstitus non perseveret; licet coactus libere postea consentiat. Quoniam utriusque coniugis consensus moraliter saltem simultaneus, & reciprocus sit oportet. Ex utraque igitur parte renovari consensus debet, si in altera parte non persistat, ut matrimonium convalescat. Si matrimonium primo contractum fuit coram Parocho & testibus, nemine reclamante, nullaque timoris incussi mentione facta, sat matrimonium convalescit per solum privatum etiam occultum consensum, mutuamque maritalem cohabitationem. Contra, si coram Parocho & testibus vis illata fuisset, aut metus incussus tunc innotuisset, matrimonium rursus

sus coram Ecclesiæ facie celebrari deberet; ut S. Pius V. & Congregatio Concilii declararunt.

XXVII. Qui directe, vel indirecte timorem gravem iniuste incutiunt, ut aliquem cogant ad matrimonium ineundum, sunt ipso facto excommunicati a Concilio Tridentino *sess.* XXIV. *cap.* IX. *de ref. matr.*

XXVIII. Quæst. XI. *An consensus, adiecta conditione, datus per verba etiam de præsenti, satis sit ad matrimonium validum?* Resp. Negant communiter omnes. Quare si quis dicat: Accipio te in uxorem, si pater meus consenserit: matrimonium nullum est: quia conditio adiecta consensum præsentem suspendit. Matrimonium autem non fit nisi per consensum præsentem, expressum & absolutum. Quare dum apposita conditio impletur, necessarius est consensus novus. Quid, si ante conditionem impletam commisceantur? Ad hunc casum respondet Innocentius III. cap. *Per tuas* de conditionibus appositis, his verbis. *Cum liquide constet, quod post contracta sponsalia carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio est præsumendum: quia videntur a conditione apposita recessisse. Nam etsi probatum sit, quod postquam pater & patruus contradixere sponsalibus, idem vir mulierem illam carnali coniunctione cognoverit, non est tamen aliquo modo probatum, quod antequam ipse cognovisset eamdem, pater eius & patruus contradicere curavissent.* Pontifex summus hunc contractum: Accipio te in meam, si pater & patruus consenserit: de quo consultus fuerat, non vocat matrimonium, sed sponsalia. Deinde, ut controversiam dirimat, iuris præsumptionem allegat, nempe præfatum sponsum revocasse adiectam conditionem. Siquidem eo ipso quod copula carnali cognoverit sponsam, iure præsumitur conditionem revocasse. Similem decisionem dedit Congregatio Concilii Tridentini coram Clemente VIII. ad hunc casum, qui idem est. *Titius cum Berta coram Parocho & testibus contraxit matrimonium per verba de præsenti, sed hac tamen conditione, si id salvo meo honore fieri potest, & si fratribus meis placuerit. Deinde non expectato conditionis eventu copulam habuit cum Berta affectu maritali; & copula scitur a multis. Quæritur, an per hoc sit iam firmatum matrimonium de præsenti, nec oporteat expectare conditionis eventum. Et ratio dubitandi est, quoniam contractus ille coram Parocho, & testibus, cum fuerit per appositam conditionem suspensus, non potuit habere vim matrimonii de præsenti, sed sponsalium de futuro; & copula cum affectu maritali subsecuta, quamvis ostendat recessum fuisse a conditione, tamen non sufficit ad matrimonii veritatem, nisi de præsenti contrahatur coram Parocho, & testibus.* Cui casui hoc præbet Sac. Congregatio responsum. *Sacra Congregatio Concilii censuit, in casu proposito valere matrimonium; nec requiri ut de novo coram Parocho, & testibus contrahatur.*

XXIX. Quæst. XII. *Quæ adiici conditiones possunt matrimonio?* Resp. Quæ nunc di-

dicenda sunt, sponsalia potius quam matrimonium spectant. Matrimonium quippe sub conditione contrahi praesertim post Tridentinum nequit. Conditiones quae apponi valent, diversi sunt generis. Aliae sunt generales, cuilibet contractûi intrinsecus insitae, ut sunt istae: Ducam te, si Deo placuerit, si vixerimus &c. Aliae sunt peculiares & intrinsecae, sine quibus consistere matrimonium nequit; puta si quis dicat: Accipiam te in coniugem, si ab alio matrimonio sis libera, si non sis mea consanguinea. Aliae sunt quae extrinsecus necessario futurae sunt; ut si dicas: Ducam te, si Sol cras orietur. Aliae prorsus impossibiles; ut si dicas: Contraham tecum, si caelum digito tetigeris. Aliae sunt possibiles & contingentes: & hae rursus dividuntur in honestas, turpes, indifferentes. Turpes aliae sunt contra substantiam matrimonii; aliae extra eiusdem substantiam. Aliae tandem sunt de futuro, vel de praeterito, vel de praesenti.

XXX. Conditiones generales, vel necessariae nullo modo suspendunt matrimonium. Conditiones quae aut ex rei natura, aut ex Ecclesiae auctoritate insunt matrimonio, quod sine eisdem consistere nequit, non efficiunt sponsalia conditionata, neque suspensa: v. g. si dicas: Accipiam te, nisi sis consanguinea, vel matrimonio iuncta, vel si coram Parocho consensum dederis. Conditiones eiusmodi intrinsecus insunt ipsi contractui, ac perinde est sive taceantur, sive exprimantur; cum natura verae conditionis, cuius est effectum suspendere, careant. Similiter conditiones necessario futurae contractum nullo modo suspendunt, quando conditio diem certum habet, ut crastinus Solis ortus. Si vero contrahens diceret: Contraham tecum, si cras Sol caelo sereno sit oriturus: contractus esset conditionatus: quia conditio adiecta contingens est. Similiter si contrahens Solis ortum praefigeret, tamquam terminum in quo celebrandae nuptiae essent, non tamquam conditionem, effectus suspenderetur. Quando conditio, alioquin necessaria, contingens evadit, quia diem certum praefinitum non habet, effectum suspendit; ut si dicas: Ducam te in coniugem, si Titius moriatur.

XXXI. Conditiones impossibiles, & turpes, quae matrimonii substantiam non inficiunt, pro non adiectis habentur: & matrimonium ratum consistit, ut Gregorius IX. cap. *Si conditiones*, declaravit his verbis. *Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur; puta si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu; licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi*. Conditiones istae turpes, quia sunt contra bonos mores, & ad scelera viam aperiunt, reiiciuntur, & pro non adiectis habentur: quia Ecclesia matrimonio, quoad fieri potest, favere vult. Si vero conditiones istae sint vel de praeterito, vel de prae-

senti; ut si dicas: Tecum contraho, si hominem occidisti, si sis inimica Sempronii: communiter Theologi docent, tum has conditiones, tametsi turpes, reiiciendas non esse, atque probato conditionis eventu, contractum consistere, quod conditiones istæ non inducant peccatum, sed illud supponant.

XXXII. Quæst. XIII. *Quænam conditiones adversantur substantiæ matrimonii?* Resp. Quæ bona matrimonii, videlicet prolem, fidem, & sacramentum, impetunt. Sunt autem eiusmodi vel similes: Accipio te in meam, si nullos mihi genueris filios, si generationem devitaveris, si sterilitatis venenum sumpseris, si adulterandam te prostitueris: contraho tecum, usquedum venustiorem, nobiliorem, ditioremve invenero. Istæ & similes conditiones inficiunt ipsam matrimonii substantiam, nullumque efficiunt.

XXXIII. Si matrimonio, aut sponsalibus apponantur conditiones de præsenti, aut de præterito, posita conditione, consistunt sponsalia, & matrimonium; sublata conditione, nulla sunt sponsalia, & matrimonium: ut si dicas: Accipio te in meam, si sis virgo, si sis primogenita, si consentiant tui parentes. Et hoc verum habet, dummodo conditiones turpes non sint, aut bonis matrimonii non adversentur, eoque animo apponantur, ut efficiant contractum conditionatum. Quare etiamsi copula carnalis succedat, quando conditio est de præsenti, vel de præterito, matrimonium irritum est: ut si dicas: Accipio te in uxorem, si sis virgo, legitima, nobilis &c. Deinde, matrimonio consummato, comperit eam pro tempore quo initus contractus est, virginem non fuisse, nec legitimam, nec nobilem. Hoc quippe in casu matrimonium initio nullum fuit, & copula consequente convalescere nequit. Si conditio fuisset de futuro, tunc suspendisset actum usque ad conditionis eventum. Quare si medio tempore copula carnalis affectu maritali accessisset, tunc Ecclesia præsumit contrahentes a conditione recessisse, & consensum conditionatum transiisse in absolutum, atque adeo matrimonium ratum esse; ut ex Innocentio III. supra dictum est. Verum quando conditio est de præsenti, aut præterito, actus suspensus non hæret: sed, conditione extante, absolutus & validus; conditione sublata, nullus omnino est; ut Innocentius IV. Hostiensis, & Canonistæ plures docent, quibus accedit Fagnanus in caput *Si conditiones*.

XXXIV. Si quis dicat: Accipio te in meam, si patri meo placuerit; sciebatque patrem esse mortuum; conditio pro non adiecta habetur: si vero ignorabat patris mortem, nullum est matrimonium, nisi novus consensus accedat. Si pater vivit, taceatque, si ex circumstantiis colligatur tacere, quia illi placet contractus, matrimonium valet: contra si iudicetur tacere, quia displicet, nullus contractus est. Si dubitetur, cur taceat, abstinendum a contractu, donec se declaret. Si consentiat, & postea dissentiat, validum erit matrimonium, dummodo sponsi perseverent in voluntate contrahendi usque ad assensum patris. Pruden-

dentia tamen opus est. Nam iuxta prudentum intelligentiam conditio præfata postulat ut pater plene acquiescat. Quare si intra breve temporis intervallum consentiret & dissentiret, tunc contractus nullus esset. Hoc tamen ex circumstantiis iudicandum est.

XXXV. Quæst. XIV. *Conditio honesta, contraria bonis matrimonii, irritat ne matrimonium?* Resp. Si conditio turpis sit, omnes affirmant. Si conditio sit honesta, disputant in utramque partem. Quando sponsi contrahunt sub conditione perpetuæ castitatis, tunc non solum copula carnalis aufertur, sed etiam ius ad copulam, & potestas mutua in propria corpora. Uterque obligatur ad non petendum, neque reddendum debitum. Hoc autem iure sublato, matrimonium nullum est. Nam licet sociari cum matrimonio possit intentio non petendi debitum, & non cognoscendi coniugem; si tamen hoc deducatur in pactum, substantia matrimonii, cui necessario inest ius ad copulam, destruitur. Sanctissimi sponsi B. Virgo, & Ioseph absolute contraxerunt, & mutuam corporum potestatem transtulerunt, nullo adiecto pacto sibi reciproce numquam reddendi debitum; quamvis animum habuerint ab omni carnali copula abstinendi, ut S. Thomas *III. Part. quæst.* XXIX. *art.* 2. docet. *Uterque consensit in copulam coniugalem, non autem expresse in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placuerit*. Et rursus in *IV. dist.* XXX. *quæst.* 11. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 2. subdit: *Beata Virgo antequam contraheret cum Ioseph, fuit certificata divinitus quod Ioseph in simili proposito erat, & ideo non se commisit periculo nubens: nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit: quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum: talis enim conditio, cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret*. Aliqui contendunt validum esse hoc matrimonium, tali conditione abstinendi a copula affectum; quia adhuc ius remotum ad copulam manet. Sed hæc opinio mihi non probatur.

XXXVI. Quæst. XV. *An conditio indifferens, vel impertinens suspendat contractum?* Resp. Affirmant plures recentiores: iuxta quos si dicas: Accipio te, si pluat, si saltes: suspenditur contractus, donec pluat, saltes &c. quia omnis conditio a iure non improbata apponi matrimonio potest. Conditio autem indifferens, aut impertinens nullo iure improbatur. Ergo tales conditiones suspendunt matrimonium. Verum quamvis opinio hæc admitti possit; tamen culpa non vacarent qui his nugis & ineptiis magnum hoc sacramentum immiscerent: & vix discuti absque culpa tam ineptæ quæstiones valent.

XXXVII. Quæst. XVI. *Quid, si cum duabus conditione adiecta honesta sponsalia contrahas?* Resp. Ille contractus valet cuius conditio prius impletur. Si conditiones eodem momento implerentur, neuter contractus validus esset. Verum & hæc opinio inter otiosas collocanda videtur.

XXXVIII. Quæst. XVII. *An impedimento dirimente irretiti contrahentes, adiectæ conditione, si Papa dispensaverit, coniugium conditionatum efficiant?* Resp. Recentiores plures respondent. Si impedimentum tale sit a quo Papa dispensare non soleat absque gravissima caussa, quæ desit in contrahentibus, contractus nullus est. Si autem dispensare a tali impedimento Pontifex soleat, tum validum matrimonium conditionatum asserunt, dummodo coram Parocho, & testibus initum fuerit; ita ut adveniente dispensatione, non sit necessarius novus consensus. Addunt; eiusmodi contrahentes monendos a Parocho esse, contractum suspensum hærere; usquedum impleatur conditio, & consequenter ne domi cohabitent, sed separati vivant. Si conditio sit de præsenti, vel de præterito, monere eos Parochus debet, illos Ecclesiam non habituram ut coniuges, nisi conditio apposita extet. Verum probabilius mihi videtur, eiusmodi matrimonia conditionata numquam admittenda a Parocho esse, sed prorsus suspendenda, donec impletæ conditiones fuerint; & nonnisi matrimonia absoluta, & omni conditione, sive de præterito, sive de futuro sublata, celebranda esse.

XXXIX. Quæst. XVIII. *Quibus verborum formulis exprimendus consensus matrimonialis sit?* Resp. Illis exprimi verbis & signis debet quæ iuxta patriæ, & nationum idioma præferunt consensum reciprocum de præsenti: ut sunt eiusmodi, Accipio te in uxorem, duco te &c. Quia ad matrimonium requiritur reciprocus verbis, aut signis de præsenti expressus consensus.

XL. Quæst. XIX. *Quid de hac formula dicendum, Non duco aliam, nisi te?* Resp. Quando dictio includens particulam exceptivam est de præsenti, semper adfirmationem claudit; ut hæc, Non video nisi te, significat, te solum video, & neminem alium. Similiter in hac propositione, Nolo aliam uxorem nisi te, sensus est, te solam duco, & non aliam. In propositione e contrario de futuro particula exceptiva non adfert secum affirmationem: v. g. Non ingrediar aliam Religionem, nisi Franciscanam: sensus non est, ut Religionem Franciscanam ingredi debeas; sed si aliquam ingressurus eris, illam solam, & non aliam suscipies. Similiter hæc propositio, Non ducam aliam, nisi Bertam, non inducit obligationem Bertæ ducendæ; sed solum, si aliquam duxeris, solam Bertam ducturus eris. Quare tales propositiones sponsalia non inducunt, nisi aliqua circumstantia sensum determinet; ut si quis post dotis stipulationem, aliasque circumstantias sponsalia comitantes dicat, Non ducam aliam nisi te; ex subiecta materia colligitur, sponsalia contracta esse, & hanc particulam exceptivam confirmare adfirmationem. Similiter particula exceptiva in propositione adfirmativa ponit actum in casu excepto, removetque ab aliis: ut si dicas, Ducam tantum te, vera est promissio, & firma sponsalia. Si vero dicas, Duco tantum te, fit matrimonium.

C A-

CAPUT VII.

De proprietatibus matrimonii, & polygamia successiva, ac simultanea.

TRes sunt matrimonii proprietates, seu bona propria, iuxta Patres, & Theologos, videlicet fides, proles, & sacramentum. Fides hic non accipitur pro virtute theologica, qua quis assentitur mysteriis a Deo revelatis, sed pro ea fidelitate, & iustitiæ parte qua promissa implentur. Heinc coniux dicitur fidem datam servare, quando aliam, vel alium nullo modo cognoscit. Fidem e contrario violat, si alteri sui copiam faciat. Proles est matrimonii finis, cuius procurandæ gratia contrahitur. Sacramentum indissolubilitatem & firmitatem contractus coniugalis prodit. In fide igitur unitas, seu unius cum una coniunctio, in sacramento perpetuum indissolubile vinculum intelligitur.

§. I.

De polygamia simultanea.

I. MAtrimonii unitati opponitur polygamia, seu uxorum pluralitas: quæ vel successiva esse potest, cum nempe, mortuo priori coniuge, ad secundas nuptias superstes transit; vel simultanea, cum eodem tempore unus vir plures uxores, aut uxor plures viros habet. Convenit penes omnes, polygamiam, qua una mulier multis simul viris nuberet, esse contra ius naturale: quoniam eiusmodi coniunctio pugnat cum fine tum primario matrimonii, qui est prolis generatio; cum evidens sit meretrices, pluribus viris se se commiscentes, infecundas esse: tum secundario, nempe prolis educatione, incertus quippe tunc pater esset, atque adeo nullus esset alendæ & educandæ proli obstrictus. Disputatur dumtaxat de polygamia qua unus vir plures simul uxores ducit, num adversetur iuri naturali, & divino.

II. Calvinus adeo hostiliter cum iure naturali, & divino pugnare contendit polygamiam, ut SS. Patriarchas veteris testamenti, qui plures habuere uxores, violati naturalis iuris, & adulterii sontes pronuntiet. Contra Lutherus, Bucerus, Melanchthon, aliique factionis Lutheranæ primipili Philippo Landgravio Hassiæ licitum esse declararunt, ut, vivente coniuge, a qua abhorrebat, alteram duceret: quorum auctoritate suffultus reipsa alteram sibi desponsavit. Huiusce consilii & facti perspicua documenta in medium protulit Cl. Bossuetus *Lib. VI. Historiæ Variationum*. Lutheranis accessere Anabaptistæ.

III. Catholici omnes fatentur, polygamiam illicitam esse. Durandus, Abulensis,

sis, Maldonatus contendunt, polygamiam non pugnare cum lege naturali, sed tantum cum divina evangelica.

IV. Communis & vera Theologorum sententia est; polygamiam adversari legi naturali: idque evincunt Scripturarum, & Patrum auctoritate, & ratione. Nam *Gen.* II. hæc habentur. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una.* Coniunctio duorum in carne una uxorum pluralitatem excludit.

V. Patrum testimoniis hæc veritas confirmatur. Tertullianus *Lib. de exhort. cast. cap.* v. hæc habet. *Homo Dei Adam, & mulier Dei Eva unis inter se nuptiis functi, formam hominibus Dei, de originis auctoritate, & prima Dei voluntate sanxerunt.* Erunt duo, *inquit*, in carne una, *non tres, neque quatuor: alioquin non iam una caro, nec duo in carne una.* Subdit ibidem: *Numerus matrimonii a maledicto viro cœpit . . . Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit.* Et iterum Lib. I. de monogamia cap. IV. *Semel tantum vim passa institutio Dei per Lamech, constitit postea in finem usque gentis illius.*

VI. S. Hieronymus *Lib. I.* contra Iovinianum inquit: *Una costa a principio in unam uxorem versa est. Et erunt duo in carne una, non tres, neque quatuor: alioquin iam non duo, sed plures. Primus Lamech sanguinarius & homicida unam carnem in duas divisit uxores. Fratricidium, & bigamiam eadem cataclysmi delevit pœna. De altero septies, de altero septuagies septies vindicatum est.*

VII. S. Thomas præ ceteris fusius, & eruditius hanc quæstionem discutit in *IV. dist.* XXXIII. *quæst.* I. *art.* I. & in *Suppl. quæst.* LXV. *art.* I. ubi omnia quæ opponi argumenta possunt, resolvit, & rationum momenta exponit. Ex multis pauca cursim delibo. *Contra legem naturæ est* (inquit) *quod homo se ad impossibile obliget, & ut quod uni datum est, alteri detur. Sed homo contrahens cum una uxore sui corporis potestatem ei tradit, ut necesse sit ei reddere debitum cum petierit. Ergo contra legem naturæ est quod postea alteri potestatem sui corporis tradat: quia non posset simul utrique reddere debitum, si simul peterent.*

Præterea de lege naturæ est, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Sed vir nullo modo vellet quod uxor alium virum haberet. Ergo contra legem naturæ faceret, si uxorem aliam superinduceret.

VIII. Hæc in argumento, *Sed contra*; quæ tamen in responsis ad hæc eadem argumenta uberius explicat. Deinde in corpore articuli distinguit ea quæ sunt contra prima præcepta, & contra finem primarium legis naturæ, ab iis quæ adversantur fini secundario. Statuit vero, polygamiam simultaneam pugnare cum fine non primario, sed secundario; seu polygamiam non adversari primis legis naturæ præceptis, sed tantum præceptis quæ sunt veluti conclusiones ex primis erutæ. Nam finis principalis matrimonii est generatio, & educatio prolis. Hunc au-

autem finem pluralitas uxorum in totum non tollit: *cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis, & educandis filiis ex eis natis*: concludit ille. Finis autem secundarius matrimonii est pacifica cohabitatio, tranquilla societas, & mutua pax; cui fini valde adversatur uxorum pluralitas. Heinc polygamia ex se discordias nutrit, & familiae regimen, & uxoris aequalitatem in iis quae torum spectant, perturbat.

IX. Argumenta omnia quae obiici solent, Angelicus diluit *loc. cit. in Suppl.* Illud praeceptum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, interpretatur proportione servata. *Non enim*, inquit, *si Praelatus non vult sibi resisti a subdito, ipse subdito resistere non debet. Et ideo non oportet ex vi illius praecepti quod sicut vir non vult quod sua uxor non habeat alium virum, ipse non habeat aliam uxorem. Quia unum virum habere plures uxores non est contra prima praecepta legis naturae*. Vide plura ibi.

X. Pro facili solutione omnium quae opponi valent, advertendum, ius naturale aliud esse invariabile, & immutabile; cuiusmodi sunt prima & universalia mandata, quae primaevum naturae finem spectant: in his nulla est dispensatio, nulla interpretatio: quae enim hoc iure prohibentur, intrinsecus mala sunt. Aliud est ius naturale variationi obnoxium ratione temporum, & circumstantiarum. Hanc varietatem solus Deus universi iuris naturae sapientissimus comprehensor & moderator cognoscit: idcirco solus Deus potest dispensare, seu interpretari & declarare, quando, & quomodo homo iuri isti obnoxius sit.

XI. Heinc habes, Deum in veteri lege SS. Patriarchas dispensasse, ut simul habere plures uxores possent, sicuti ex *Deut. cap.* XXI. habetur. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex ea liberos . . . non poterit filium dilectae facere primogenitum, & praeferre filio odiosae*. Quae verba supponunt Hebraeorum consuetudinem ducendi plures uxores. Neque conclusio haec Patrum testimoniis confirmari indiget, cum sit compertissima. Neque necesse est ut expresse haec dispensatio, seu revelatio legatur in Scripturis; sed sat est ut factum non reprehensum legatur.

XII. Illud solum advertendum, nomen uxoris bifariam accipi in Scriptura sancta. Primum in strictiori significatu, sub quo venit prima uxor solemni ritu ducta, quae etiam materfamilias nuncupatur; & speciali honore praedita erat, eiusque filii ad hereditatem vocabantur paternam. Secundo in latiori significatione: idcirco secundae uxores, quae praefatis privilegiis non gaudebant, concubinae etiam appellabantur. Quamobrem *Gen.* XXV. dicitur: *Deditque Abraham cuncta quae possederat, Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo*. Hoc quoque in sensu de Salomone habetur: *Fueruntque ei uxores quasi Reginae septingentae, & concubinae trecentae*: Lib. III. Reg. cap. XI. Omnes

 sunt

sunt uxores, sed honore, gradu, & privilegiis diversæ. Exemplum occurrit in Turcis, qui polygamiam simultaneam retinentes, quemadmodum Hebræi ante Christi adventum, unam veluti præcipuam habent. Illorum Imperator ex permultis uxoribus unam Reginam habet, cuius primogenitus patri succedit in imperio. Non modo in Scripturis, sed etiam in iure tum civili, tum canonico concubina latiori significatione venit uxoris nomine. Concilium Toletanum I. *can.* XVII. statuit, ut qui uxorem non habet, sed pro uxore concubinam, a communione non repellatur. Gratianus quoque cap. *Omnibus*, dist. XXXIV. hæc habet. *Concubina hic intelligitur quæ cessantibus legalibus instrumentis unita est, & coniugali affectu asciscitur. Hanc coniugem facit affectus, concubinam vero lex nominat.* Quæ ex SS. Ambrosio, & Leone contra ea quæ dicta sunt, opponi solent, nullius sunt momenti. Nam S. Ambrosius *Lib. I. cap.* IV. de Abraham aperte ait, coniugium Abrahæ cum Agar non fuisse *peccatum*, sed *mysterium*. Ambigua est expressio adulterii, quæ ibidem legitur: & ex universo contextu colligitur, S. Ambrosium non damnasse S. Patriarcham adulterii proprie dicti. Idem de S. Leone dicendum est.

XIII. Quæst. I. *Fuit ne singulis Patriarchis, aliisque antiquis veteris testamenti revelata hæc dispensatio?* Resp. Responsio negans communis est. Revelatio Abrahæ facta fuit, ad cuius exemplum ceteri licitam uxorum pluralitatem collegerunt.

XIV. Quæst. II. *Hæc dispensatio concessa ne fuit omnibus Iudæis, nedum Patriarchis?* Resp. Adfirmant communiter Theologi, idque colligunt ex *cap.* XXI. *Deut.* & ex Prophetis, quos numquam redarguisse legitur Iudæos ob polygamiam. Id autem non omisissent, si crimen polygamia fuisset genti eiusmodi.

XV. Quæst. III. *Hæc dispensatio comprehendebat ne etiam Gentiles?* Resp. Disputant in utramque partem Theologi. Negant Estius, Le-Druin, & alii. Adfirmat vero Bellarminus *Lib. I. de matr. cap.* XI. Et hoc colligit ex Scriptura, narrante non solum Abrahæ posteros, sed etiam Esau successores, qui extra Dei populum erant, plures habuisse uxores absque ulla reprehensione. Anne tota Iudæorum natio exultasset ob matrimonium Esther initum cum Assuero Rege infideli & uxorato, si vetitum illi fuisset plures habere simul uxores? Numquid Esther virgo piissima in tale coniugium consensisset, aut Mardochæus Deum timens eidem tale suasisset matrimonium? Hæc opinio probabilis est; sed obstare videntur ea quæ mox dicturus sum.

XVI. Quæst. IV. *Quæ caussa fuit cur Deus Abraham, eiusque posteris uxorum pluralitatem concesserit?* Resp. Duæ communiter assignantur causæ. 1. est generis humani propagatio. 2. aliquorum mysteriorum significatio. Et reipsa S. Paulus *cap.* IV. in duabus Abrahæ uxoribus mysterium portendi asserit, quamvis tale my-

mysterium non pandat. Et S. Augustinus *tract.* XI. in Ioannem, quid per quatuor Iacob uxores ominatum fuerit, exponit. Neutra autem harum caussarum in populis infidelibus locum habere potuisse videtur. Neque enim ex illis, sed ex posteris Abrahæ oriturus Messias erat. Sed res tanti non est, ut discuti severius debeat.

XVII. Quæst. V. *Quænam est istius dispensationis epocha?* Resp. Posteriorem diluvio fuisse, communis sententia adfirmat. Unus enim ante diluvium polygamus Lamech adulterii reus arguitur. Prima itaque istius dispensationis epocha ab Abraham repetenda est. Ante diluvium longæva hominum vita ad humani generis propagationem sufficiebat.

§ II.

Christus Dominus in novo testamento dispensationem antiquis impertitam habendi plures uxores sustulit.

I. Conclusionem hanc Concilium Tridentinum definivit *sess.* XXIV. *can.* 2. his verbis. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.* Addit insuper ibidem, eiusmodi matrimonium cum pluribus uxoribus non modo prohibitum esse lege evangelica, verum etiam irritum & inane. Hæc Tridentini doctrina ex Evangelio hausta est. Nam Christus Dominus a Pharisæis rogatus, an liceret homini dimittere uxorem, *Matth.* XIX. respondit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos? . . . Et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Hanc doctrinam confirmat S. Paulus & *I. Cor.* VII. & *ad Rom.* VII.

II. Constat enim hæc veritas perpetua Ecclesiæ traditione. Unum & alterum testimonium allegare brevitatis gratia sufficiat. Concilium Milevitanum *II. can.* XVII. inquit: *Placuit secundum evangelicam, & apostolicam disciplinam, ut neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungantur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.*

III. S. Augustinus *de adulter. coniug. Lib. II. cap.* IV. hæc scribit. *Verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, plena sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur.* Similia scribunt Innocentius I. *epist.* ad

ad Exuperium *cap.* IV. Nicolaus I. *cap.* II. in Responsis ad consulta Bulgarorum, Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divortiis, Alexander III. cap. *Licet* de sponsa duorum.

IV. Opponunt. Valentinianus Imperator christianus habuit uxores duas, Severam, & Iustinam; atque, ut testatur Socrates *Lib. IV. hist. cap.* XXXI. publico edicto concessit cuilibet ut plures, si vellet, uxores duceret: & contra hoc edictum Episcopos reclamasse non legitur. Resp. Valesius, & alii commentitiam & falsam hanc Socratis narrationem aiunt. Idque colligunt, ex silentio Damasi Romani Pontificis, aliorumque Episcoporum, apud quos nulla est huius edicti, vel coniugii cum Iustina mentio. Immo neque ethnici historici huius facti meminerunt. Tandem, etiamsi verum esset quod Socrates narrat, scelus gravissimum perpetrasset Valentinianus, non legem iustam tulisset.

V. Insistunt. Gregorius II. *epist.* XIV. ad Bonifacium, quæ habetur XXXII. *quæst.* VII. cap. *Quod proposuisti*, secundam uxorem permittit viro cuidam uxorem ægrotantem habenti. Resp. Alii volunt, hoc Gregorii rescriptum esse suppostititium: alii communiter respondent, Pontificem concessisse illi alteram ducere uxorem, quia coniugium cum priore ob eius perpetuam impotentiam invalidum erat.

VI. Quæst. Unic. *An omnes etiam infideles, nedum Christiani, Christi lege obstringantur?* Resp. Affirmant Theologi omnes. Lex enim evangelica universalis est. Heinc Innocentius III. cap. *Gaudemus*, de divortiis docet, infideles plures habentes uxores, si ad fidem convertantur, prima retenta, dimittere ceteras debere.

§. III.

De polygamia successiva.

I. Montanistæ, quibus accessit Tertullianus, & Novatiani, ut illicitas damnarunt secundas nuptias. Ecclesia catholica secundas, & ulteriores nuptias numquam generatim suasit; sed potius exoptasset ut ab iisdem fideles abstinerent. Hoc quippe consilium est quod viduis præbet *I. Cor.* VII. Apostolus. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis, si sic permaneant . . . Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem, quod & ego spiritum Dei habeam.*

II. Tertullianus *Lib. II. cap.* I. ad uxorem, antequam ad Montanistas defecisset, inquit: *Apostolus de viduis quidem, & innuptis, ut ita permaneant, suadet cum dicit*: Cupio omnes meo exemplo perseverare. *De nubendo vero in Domino, cum dicit*, Tantum in Domino, *iam non suadet, sed exerte iubet.*

III. S. Hieronymus, acerrimus castitatis & continentiæ assertor, epist. ad Gerun-

runtiam hæc scribit. *Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? Minime, sed prima laudamus. Abiicimus de Ecclesia bigamos? Absit. Sed monogamos ad continentiam provocamus .... Aliud est quod vult Apostolus; aliud quod cogitur velle .... Duæ sunt Apostoli voluntates: una qua præcipit .... altera, qua indulget .... Vult nos permanere post nuptias, sicut seipsum. Sin autem nos viderit nolle quod ipse vult, incontinentiæ nostræ tribuit indulgentiam*. Non ergo secundas, & ulteriores nuptias improbat Hieronymus, sed incontinentiam eorum vellicat qui pluries nubunt. Narrat enim ibi, se Romæ vidisse *duo inter se paria vilissimorum e plebe hominum comparata, unum qui viginti sepelisset uxores, alteram quæ vigesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi, ut putabant, matrimonio copulatos ... Quid dicemus tali mulieri? Nempe illud quod Samaritanæ: Viginti duos habuisti maritos, & iste a quo sepeliris, non est tuus*. Effrenatam mulieris incontinentiam S. Doctor carpit; minime vero matrimonium, ut nullum, improbat: quemadmodum luculentius se explicat in Apologia librorum adversus Iovinianum *cap*. VII. ubi inquit: *Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, immo nec trigamiam; & ita licere quinto, & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere. Sed quomodo non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ*.

IV. Tametsi numquam Ecclesia secundas nuptias prohibuerit ut noxias; primis tamen sæculis Ecclesia præsertim Græca severæ pœnitentiæ subiecit bigamos, & trigamos; ut ex pluribus sacris canonibus compertum est. Unum ex multis referre sufficiat. S. Basilius in sua ad Amphilochium epistola *can*. IV. hæc habet. *Trigamorum, & polygamorum eumdem canonem definimus quem in bigamis proportione. Annum enim in bigamis, alii vero duos annos, trigamos autem sæpe tribus, & quatuor annis segregant .... Consuetudine autem accepimus in trigamis quinquennii segregationem non a canone, sed ab eorum qui præoccuparunt, consequenti. Oportet autem non eos omnino arcere ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus vel tribus annis: & postea permittit quidem consistere, seu in fidelium esse congregatione, ab omni tamen communione abstinere; & sic postquam pœnitentiæ fructum ullum ostenderint, communionis loco restituere*. Hac pœnitentia tempore S. Basilii bigami, & trigami plectebantur. Plura transcribere ex Tertulliano, Origene, Conciliis Ancyrano, Laodiceno, aliisque possem, quæ, ne sim longus, missa facio.

V. Qui secundas nuptias contrahebant, Sacerdotis benedictione, & eleemosynis Ecclesiæ privabantur. Heinc ratas quidem & legitimas fuisse nuptias illas in ratione contractus, minime vero rationem habuisse veri sacramenti, cum benedictione caruerint Sacerdotis, plures docent. Basilius Macedo Imperator apud Græcos sæculo IX. omnium primus tertias nuptias illicitas, quartas nullas & irritas declaravit; ut habetur in eiusdem *Novella*, quæ incipit, *Non licere ad quartas nuptias*.

ptias transire. Leo Imperator, dictus Sapiens, & Basilii filius, constitutionem edidit in iure orientali xci. in qua statuit ut *qui tertias nuptias contrahunt, pœnis ecclesiasticis subiiciantur*. Verum hic Imperator, *tertia defuncta, quartam uxorem accepit*, inquit Cardinalis Baronius ad an. 901.

VI. Concilium Toletanum XIII. an. 683. Reginis Hispaniarum secundas nuptias non permittebat. Ius ipsum civile pœnis viduas plectit quæ ante elapsum integrum ab obitu mariti annum ad secundas nuptias transeunt. Et ut multa paucis perstringam, semper Ecclesia exoptavit ut a secundis nuptiis fideles abstinerent. Et quamvis severior antiquæ Ecclesiæ disciplina desierit; tamen vel apud ipsum vulgus, qui secundas nuptias contrahunt, quamdam admirationem ingerunt. In villis & pagis, ubi antiqui mores diutius perseverant, iuvenes, & pueri ipsi crepitacula pulsant, vociferantur, sibilis excipiunt viduos ad secundas nuptias convolantes, & sæpe vociferari non desinunt, usque dum bigami vexationem aliquibus munusculis redimant.

VII. Non semper tamen incontinentia, sed necessitas, aut saltem iusta causa ad secundas impellit nuptias. Viduas quæ necessitatis specie obvelare suam libidinem student, salse defricat *Lib. de vid.* S. Ambrosius. *Ne dixeris, Destituta sum: querela nupturæ est. Ne dixeris, Sola ego sum. Castitas solitudinem quærit, pudica secretum, impudica conventum. Patrimonium vis tueri? Maius pudoris est patrimonium, quod melius regit vidua quam nupta. Sed vis nubere? Licet. Non habet crimen simplex voluntas, causam non quæro, cur fingitur. Si honestum putas, fatere. Si incongruum, sile. Ne accuses Deum, ne accuses propinquos, quod prædia tibi desint: utinam non desit voluntas. Ne te consulere liberis dicas, quibus matrem eripis. Neque quidquid licet decet. Licet nubere, sed pulchrius est abstinere. Sunt vincula nuptiarum bona multi amoris gratia, sed maior est servitus. Mutuis enim necessitatibus ab utroque servitur, nec temperanti licet iugo subducere caput, cum alterius intemperantiæ serviendum sit; sed relinquendum est ut unaquæque se pendat, non auctoritate aliqua præcepti, sed incremento gratiæ provocata. Etenim præceptum in subditos fertur, consilium amicis datur. Ubi præceptum est, ibi lex est; ubi consilium, ibi gratia est. Sed consilium sobriis, non ebriis datur. Habeat saucia remedium, honesta consilium.*

VIII. Nulla afferri ratio potest cur secundæ potius quam primæ nuptiæ noxiæ sint. Matrimonium enim unio soluti cum soluta est. Porro vidua post mariti mortem soluta & libera est. Ergo æque licet nubere secundo, tertio, quarto, & ultra, quam primo.

CA-

CAPUT VIII.

De indissolubilitate vinculi coniugalis.

Difficillimam, & undiqueversum circumseptam ambagibus controversiam dispiciendam aggredimur. Fœdus coniugale quamquam natura sua firmum, stabile, perpetuumque sit; tamen variis hominum consuetudinibus, & moribus nimium luxuriosis, scissuras, fracturasque passum est. Græci, Romanique uxorum repudia ob earumdem sterilitatem, & morositatem in more habuere; non tamen pro arbitrio, sed coram Censoribus, legitima caussa probata, atque iureiurando confirmata. Repudii formula hæc apud Romanos obtinebat: *Res tuas tibi habeto: res tuas tibi agito*. Per sex tamen sæcula nullum apud Romanos repudiatæ uxoris exemplum occurrit. Primus qui uxorem repudiavit, fuit Spurius Corvilius sterilitatis caussa, *qui* (scribit Valerius Maximus Lib. II. cap. 1.) *quamquam tolerabili caussa motus videbatur, reprehensione tamen non caruit*. De Iudæorum repudio sermo erit infra. Gravissimam hanc controversiam in sequentes §§. tribuo.

§. I.

Firmum & indissolubile est matrimonium utroque iure; naturali, & divino.

I. Principio Theologi distinguunt matrimonium legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum vocant & verum, quod iuxta præscriptas leges personæ nullo irretitæ impedimento contrahunt: & hoc matrimonium vel ipsi infideles celebrant. Ratum ineunt Christiani, cui ex baptismo maior accedit firmitas. Consummatum vocatur quod carnali copula perficitur.

II. Firmitatem & perpetuitatem matrimonii ab ipso naturæ iure manare, inde patet, quod matrimonium sit animorum, corporumque coniunctio ad individuam vitæ societatem. Huic autem individuæ societati, & animorum nexui directe adversatur separationis libertas. Continuo enim amor languescit, dum videt liberum esse parti coniunctæ discedere, aliamque inire societatem; contra fervet, & inflammatur necessitate perpetuæ coniunctionis.

III. Doctor Angelicus hanc iuris naturæ indissolubilitatem repetit ex matrimonii fine, qui est sobolis procreatio, & educatio. Hæc enim in *Suppl. quæst.* LXVII. *art.* 1. scribit. *Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis,* non

non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturæ est quod parentes filiis thesaurizent, & filii parentum heredes sint . . . . Et ideo cum proles sit commune bonum viri & uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum legis naturæ dictamen. Et sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturæ. Plura alia rationum momenta exhibet *Lib. III. contr. Gent. cap.* CXXIII. quæ videri possunt. Nec est quod sterilitatem opponas: quoniam hæc præter naturam est, & per accidens: natura enim sua fecundum matrimonium est.

IV. Hanc naturalem matrimonii stabilitatem & perpetuitatem iure suo divino Deus confirmavit in ipsa primæva eiusdem institutione; ut ex *Gen. cap.* II. patet. *Erunt duo in carne una*. Indissolubilitatem eamdem Christus roboravit *Matth.* XIX. inquiens: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro . . . Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*.

V. Universam hanc doctrinam confirmat Tridentinum *sess.* XXIV. *cap. unic. de matrim.* inquiens: *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit cum dixit: Hoc nunc os* &c. Deinde Christi confirmationem assignat. *Eiusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit. Quod ergo Deus coniunxit* &c. Et tandem anathema in eos intorquet qui *asserunt errare Ecclesiam, cum docuit, & docet, iuxta evangelicam, & apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi*.

VI. Opponunt. Quod iure naturali indissolubile est, nulla solvi auctoritate potest. Deus in veteri lege solvendi matrimonii facultatem concessit. Ergo naturæ iure matrimonium non est indissolubile. Resp. Ex iis quæ supra dicta sunt, solutio patet. Alia sunt iuris naturæ principia prima, & immutabilia, quæque intimam claudunt malitiam. Hæc nulli subsunt dispensationi, neque divinæ. Alia sunt secundaria, & mutationi obnoxia. Neque ab istis aliqua humana potestas dispensare valet: quia nullus homo universam naturæ sphæram comprehendere potest. Solus Deus, totius naturæ, & omnium quæ eamdem consequuntur, moderator & comprehensor, potest pro temporum diversitate, & circumstantiarum varietate dispensare ab istis, quæ intrinsecam malitiam non includunt. Plura alia obiecta diluta lege apud S. Thomam *loc. cit.*

§. II.

§. II.

De indissolubilitate matrimonii contracti ab infidelibus. Quomodo per unius coniugis conversionem ad fidem matrimonium solvatur.

I. VErum & legitimum matrimonium contrahi apud infideles, dictum iam est. Siquidem cum matrimonium contractus sit naturalis, celebrari legitime in quacumque religione potest. Porro cum eiusdem principalis finis sit generatio & educatio prolis, consequitur, matrimonium infidelium indissolubile esse.

II. Quaest. I. *Quando ambo coniuges ad fidem convertuntur, solvitur ne eorumdem matrimonium?* Resp. Negant Theologi omnes: idque colligitur ex S. Paulo *I. Cor.* VII. inquiente: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Porro si vir fidelis habitare cum uxore infideli potest, tanto magis, si ambo convertantur ad fidem, cohabitare simul debent. Si vero infidelis, repudiata uxore sua, aliam duxerit, & deinde ad fidem convertatur, tum cogendus est ut priorem recipiat, dimissa posteriore; cum repudium prioris nullum fuerit: indissolubile enim est vinculum matrimoniale ipsa naturali lege, qua obstringuntur & ipsi infideles. Si autem prior illa uxor repugnaret habitare cum marito Christiano facto, tum vir fidelis posset secundam ducere; ut declaravit Innocentius III. cap. *Gaudemus*, ubi etiam definitum est, quod si vir infidelis plures habens uxores convertatur ad fidem, debeat, sola prima uxore retenta, ceteras dimittere.

III. Quaest. II. *Quando maritus infidelis amplectitur fidem Christi, potest ne habitare cum sua uxore infideli?* Resp. Si uxor infidelis pacifice cohabitare primis Ecclesiae saeculis voluisset cum marito fideli facto, licita erat cohabitatio; ut ex *I. Cor. cap.* VII. clare patet. *Sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Disputant Theologi, fuerit ne tunc haec cohabitatio necessaria ex praecepto, an solum ex consilio. Pontius *Lib. VII. cap.* XLVIII. ex praecepto, Sanchez *Lib. VII. disp.* LXXIII. ex consilio fuisse contendit. Alii non divinum, sed humanum mandatum agnoscunt, quatenus Apostoli iudicarunt congruum tum temporis fuisse ne maritus fidelis discederet ab uxore infideli, quae sine contumelia Creatoris habitare pacifice cum suo fideli marito volebat; tum ne Pagani deterrerentur ex tali separatione; tum ut uxores infideles facilius instrui in christianae religionis mysteriis possent. Saeculo V. licitum erat marito fideli habitare cum uxore infideli, ut ex S. Augustino colligitur. Immo Innocentius III. cap. *Gaudemus*, de divortiis haec statuit. *In favorem christianae*

næ religionis & fidei, a cuius perceptione per uxores se deseri timentes viri, possunt facile revocari, fideles huiusmodi licite matrimonialiter copulari libere possunt, & licite remanere coniuncti; cum per sacramentum baptismi non solvantur coniugia, sed crimina dimittantur. Disputant Theologi, num licita in præsentia sit hæc cohabitatio mariti fidelis cum uxore infideli, quæ permanere absque contumelia Creatoris in coniugio desiderat. Communis sententia affirmat, nullam extare scriptam legem quæ talem cohabitationem prohibeat. Consuetudo tamen obtinet opposità, vi cuius illicita absolute est eiusmodi cohabitatio, iis exceptis casibus in quibus valida argumenta apparerent prudenter sperandi uxoris conversionem.

IV. Quæst. III. *Quando unus coniugum convertitur ad fidem, altero in infidelitate remanente, quem sequi proles debet?* Resp. Si proles doli capax est, sua fruitur libertate; & suscipere, vel reiicere religionem christianam, quam professus pater est, valet. Si proles rationis usu destituta fuerit, tunc illum parentem qui conversus ad Religionem est, sequi debet. In dubio, an proles prædita usu rationis sit, in religionis favorem iudicandum est. Heinc si pater fidelis est, & proles triennio minor, ad patrem; contra, si mater fidelis sit, & proles triennio maior, ad matrem attinere educationem iudicandum est; licet absolute, quando proles est triennio minor, ad matrem, & quæ est triennio maior, ad patrem pertineat.

V. Quæst. IV. *Si coniux infidelis consentiat habitare pacifice cum coniuge fideli, potest ne fidelis coniux aliam ducere?* Resp. Bellarminus affirmat: alii negant: alii distinguunt. Tempore quo licita cohabitatio erat, solvi non potuisse matrimonium; nunc vero, quo illicita est cohabitatio, solvi posse, affirmant. Sed negantem sententiam aperte defendit S. Augustinus *Lib. I. de adulter. coniug. cap.* XXV. his verbis. *Propter quodlibet tamen fornicationis genus, sive carnis, sive spiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro non licet alteri nubere; & dimissa uxore non licet alteram ducere: quoniam Dominus, nulla exceptione facta, ait: Si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Innocentius III. cap. *Gaudemus* hanc eamdem sententiam docet, inquiens: *Nisi post conversionem illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum.* Advertendum tamen id quod supra indicatum est, tempore nempe Augustini, & Innocentii licitam fuisse cohabitationem fidelis cum infideli. Idcirco absolute tunc contrahi a coniuge fideli aliud matrimonium non poterat. In præsens autem, cum illicita sit talis cohabitatio, oppositum dicendum videtur.

VI. Si vero coniux infidelis refugiat societatem, aut cohabitare nolit absque contumelia Creatoris, tunc coniux fidelis, illo deserto, poterit aliud inire connubium; etiamsi præcedens consummatum fuisset; ut expresse S. Thomas in *Suppl. quæst.* LIX. *art.* 5. docet, & in *I. Cor.* VII. ubi ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat: non enim*

enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi : in pace autem vocavit nos Deus. Quæ verba exponens Angelicus *lect.* III. inquit: *Hic autem dicit, quod si* (infidelis) *non vult cohabitare, non tenetur fidelis eum sequi, sed potest alteri nubere. Ubi primo ponitur ipsa concessio, secundo concessionis ratio duplex. Prima est libertas, ibi*, Non est enim servituti &c. *Secunda est pacis tranquillitas* : In pace autem &c. *Dicit ergo, quod si vir infidelis, vel mulier* discedit *a fideli odio fidei*, discedat; *& potest fidelis qui dimittitur, contrahere: primum enim matrimonium dissolubile erat, quia numquam fuit ratum*. Supra dictum est illud esse matrimonium ratum quod a Christianis iuxta Christi legem contrahitur. Heinc Angelicus *loc.cit. in Suppl. ad* 1. ait: *Matrimonium infidelium non est omnino firmum & ratum, sed ratificatur postmodum per fidem Christi*. Matrimonio infidelium deest ultima perfectio, nempe educatio prolis iuxta legem Christi. Quamobrem licet infidelium matrimonium sit legitimum & verum, non tamen ratum. Et quamquam etiam infidelium matrimonium sit natura sua indissolubile, nullaque creata potestate dissolvi valeat; tamen hinc non sequitur, nullum reperiri casum posse in quo Deus solvere illud non possit. Nam in eadem Scriptura, ubi indissolubile matrimonium asseritur, casus exceptio apponitur. Si fideles post contractum matrimonium in hæresim, vel infidelitatem prolabantur, illorum matrimonium firmum & indissolubile perseverat; ut definivit Concilium Tridentinum *sess.* XXIV. *can.* V. inquiens: *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem . . . dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit*.

VII. Quando unus coniugum infidelium convertitur ad fidem, matrimonium non solvitur per baptismi susceptionem, sed solum per nuptias subsequentes. Quamvis enim coniux infidelis pervicax, & Christo iniuriosus iustam dissolvendi vinculi coniugalis caussam præbeat; tamen reipsa non dissolvitur nisi secundo nuptiarum contractu. Si vero infidelis coniux ante matrimonium a fideli coniuge contractum secundas nuptias celebraret, nullæ istæ essent: & si ad fidem converteretur, separandus esset: quia privilegium dissolvendi vinculi coniugalis in favorem dumtaxat fidei, non infidelitatis, concessum a Christo est; ut habetur cap. *Quinto* de divortiis. Similiter si fidelis post monitum infidelem coniugem obstinatum in infidelitate contrahat matrimonium, deinde istud secundum solvatur per mortem coniugis, tunc fidelis iste non teneretur redire ad priorem coniugem infidelem, etiamsi ad fidem converteretur. Quoniam cum prius matrimonium legitime solutum fuerit, liber fidelis evasit; atque adeo potest, vel non potest ad priorem coniugem redire, in casu mortis secundæ uxoris. Monendam tamen uxorem infidelem, antequam ad secunda vota transeat, an velit legitime cohabitare, docet Gregorius XIII. teste Basilio Poncio *Lib. VII. cap.* XLVIII. Quando coniux fidelis transit ad secundas nuptias propter obstinationem coniugis infidelis, etiam iste liber manet

ad aliud matrimonium contrahendum. Vinculum enim respectu utriusque legitime solutum est. Similiter matrimonium infidelium etiam consummatum solvitur per professionem solemnem alicuius Ordinis approbati; sicut solvitur matrimonium fidelium non consummatum.

§. III.

Utrum matrimonium Iudæorum per libellum repudii fuerit nullum.

I. Divortium est separatio quantum ad torum, & cohabitationem. Repudium vero presse acceptum præfert vinculi coniugalis dissolutionem. Libellum repudii permissum Iudæis fuisse, habetur in *Deuter. cap.* XXIV. Neque de hac permissione diffidium est.

II. Disputant vero in partes plures Theologi super Iudæorum repudio. Primo quærunt, num licitum fuerit hoc Iudæorum repudium. Secundo an post datum libellum repudii validum contrahi matrimonium potuerit.

III. S. Thomas in *Suppl. quæst.* LXVII. quatuor articulis versat hanc controversiam, sed semper modo problematico, quin in alterutram opinionem se declinare aperte ostendat. S. Hieronymus, S. Bonaventura, Estius, Sylvius defendunt, libellum repudii fuisse vitandi maioris mali caussa, & ad eorum cordis duritiem a Deo permissum; minime tamen licitum fuisse: & multo minus per tale repudium dissolvi vinculum coniugale.

IV. Scotus, Durandus, Paludanus, Abulensis, Petrus Soto, Bellarminus, & alii plures sustinent, Deo dispensante, licuisse Iudæis repudium; illoque, abrogato priori matrimonio, concessam fuisse potestatem secundas nuptias celebrandi. Hæc secunda sententia sequentibus argumentis nititur.

V. Mulier dimissa alterum maritum ducebat, ut *Deuter. cap.* XXIV. habetur. *Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam .... non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Si prius matrimonium constitisset, non maritus, sed adulter dicendus fuisset vir secundus. Deinde prior maritus prohibetur repudiatam uxorem etiam redeuntem suscipere. Id ne iure prohiberetur, si revera illius uxor esset? Quid quod repudium iniquum appareret, si vinculum matrimonii non esset solutum? Vir quippe repudians tunc temporis non unam, sed plures ducere uxores poterat. At uxor repudiata vinculo perpetuæ continentiæ subiecta fuisset: quod iugum durissimum nimiam inæqualitatem inter maritum repudiantem & uxorem repudiatam præfert. Quid quod neque Moyses, neque Sacerdotes umquam reprehendisse leguntur secundas nuptias uxoris repudiatæ, non omissuri certe increpationem, si adulterina fuissent posteriora coniugia?

VI.

VI. Altera ſententia hæc pro ſe argumenta promit. Chriſtus *Matth.* XIX. ait, Moyſem permiſiſſe repudii libellum ad cordis Iudæorum duritiem. Non ergo licitum repudium erat. Reſpondent prioris ſententiæ defenſores, Chriſtum Dominum ſignificare legem repudii conceſſam fuiſſe ad præcavenda maiora mala, nempe uxoricidia, & alia abſurda. Non inde tamen ſequitur, inquiunt, diſpenſationem malam fuiſſe, & eadem utentes peccaſſe; ut in *IV. diſt.* XXXIII. *quæſt.* II. *art.* I. *ad* 4. docet S. Thomas. *Sicut quædam permittuntur infirmis corporaliter quæ non permittuntur ſanis: nec tamen infirmi peccant, permiſſione ſibi facta utentes.*

VII. Secundo. Uxor repudiata, & alteri nupta abominabilis, & polluta coram Domino dicitur *Deuter.* XXIV. Reſpondet in *Suppl. quæſt.* LXVII. *art.* 4. *ad* 5. S. Thomas. *Dicitur polluta eo modo quo immundus dicebatur qui mortuum tangebat, vel leproſum, non immunditia culpæ, ſed cuiuſdam irregularitatis legalis.*

VIII. Tertio. Eo modo Deus Iudæis libellum repudii permiſit quo accipere uſuras ab alienigenis conceſſit. Sed uſurarum exactio numquam fuit licita. Ergo nec repudium. Reſp. Negant maiorem. Fenora enim abſolute vetita erant, & frequenter reprehenſi Iudæi fuerunt ob fenoris crimen, numquam vero ob libellum repudii. Inſiſtunt. *Ieremiæ* III. dicitur: *Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eum ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Reſp. Comparatio hæc, inquiunt, confirmat priorem ſententiam. Mulier repudiata non poterat a priori marito recipi, quia ſolutum erat matrimonii vinculum. Deus tamen ob infinitam ſuam clementiam populum Iſrael poſt multas fornicationes cum pluribus amatoribus, ſeu poſt multa idololatriæ ſcelera in gratiam recipiebat.

IX. Hæc ſunt utriuſque ſententiæ fundamenta. Controverſia tanti non eſt, ut ſeveriorem poſtulet diſcuſſionem. Si tenue meum iudicium poſtulas, probabilius mihi videtur per libellum repudii non fuiſſe vinculum coniugale ſolutum. Teſtimonium Chriſti *Matth.* XIX. decretorium mihi apparet: eo vel maxime quod Patres, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Iſidorus, Theophylactus perſpicue docent, vinculum coniugale præfato libelli repudio ſolutum non fuiſſe. Hanc ſententiam communiorem appellat S. Thomas, & in eamdem tandem illum concedere oſtendit Franciſcus Sylvius. Accedit quod hæc ſententia conformior ſit principiis inconcuſſis, ab utraque parte admiſſis. Verum, ut dixi, res tanti momenti non eſt, ut maiores poſtulet curas.

§. IV.

Utrum Christianorum matrimonium dirimatur per adulterium.

I. ITa obscura, & implicata ipsi Aquilino Doctori Augustino visa est quæstio isthæc, ut *Lib. de fid. & bon. oper. cap.* XIX. scripserit : *Quisquis uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis qui excepta causa adulterii dimittunt, & ducunt : & in ipsis divinis Scripturis ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.* Venialiter tamen decepti non fuere Lutherus, Bucerus, Kemnitius, Melanchthon, & alii Novatores, qui contra Ecclesiæ decreta dirimi per adulterium matrimonium perfracte docuerunt. Ven. Bellarminus Erasmum præivisse in hoc errore Luthero contendit. Propositiones Erasmi quatuor ad hanc rem attinentes damnavit Universitas Parisiensis. Adversus Universitatis huius censuram apologiam scripsit Erasmus, qua propositiones suas catholicum excipere sensum, & perperam censura notatas contendit.

II. Launoius in suo de *regia potestate in matrimonium* tractatu Auctorum plurium tum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ testimonia a Christo ad Tridentinum usque infarcit, quibus ostendere nititur, per adulterium dissolvi coniugale vinculum; licitumque fuisse ante Tridentinum coniugi reiicienti adulteram ad secundas convolare nuptias. Tridentinum canonem contendit Launoius ad disciplinam, non ad dogma pertinere. Quod commentum, temeritatis, & audaciæ plenum, catholici Theologi omnes explodunt.

III. Apud Græcos praxim diu obtinuisse, quod adulterium matrimoniale vinculum abrumpat, factum est extra controversiam positum; ut Goarius in notis ad Euchologium Græcorum patefacit. Istius corruptæ disciplinæ origo obscura est. Recentiores Græci vetustam, & a primis sæculis ortam iactant. Arcudius de matrimonio modernos Græcos a maiorum doctrina & disciplina in hac causa defecisse contendit. Iustinianus Imperator sæculo VI. lege civili sanxit, licitum esse, repudiata adultera uxore, aliam ducere : & hoc aliæ civiles leges ante ipsum permittebant. In has leges sæculo IV. invecti sunt Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, & ex Latinis Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Magnus. Ex his legibus a laica potestate latis latius manavit Græcorum disciplina, altioresque egit radices. Heinc est quod nec Nicolaus I. in dissidio cum Photio habito, nec Innocentius III. in Concilio Lateranensi, nec Gregorius X. in Synodo Lugdunensi exprobraverint matrimonii solutionem adulterii caussa : quoniam aut præ-

praxis Græcorum tum temporis adeo universalis non erat; aut prudenti dissimulatione, quod profectum non sperarent, silentio id prætereundum existimarunt.

IV. Tempore Concilii Tridentini Græci Serenissimæ & immortali Reipublicæ Venetæ subiecti, præfatæ adhærebant praxi. In horum favorem Veneti Oratores curarunt ut Tridentini Patres decretum adversus eos qui solvi matrimonium adulterii caussa propugnabant, latum salva veritate delinirent, ut Cardinalis Pallavicinus narrat.

V. Arcudius ne unum quidem antiquum Scriptorem Græcum propugnasse matrimonii solutionem adulterii caussa contendit. Laudandum quidem studium est, ut advertit Honoratus Turnely *quæst.* 111. *art.* 2. *de matrimonio*; at vanum esse, explorata aliquorum testimonia evincunt. Quid quod nec ex ipsis Latinis aliqui defuerunt qui eamdem opinionem propugnaverint? Nec mirum, si in re magnopere obscura, implicata, & ab Ecclesia nondum definita, aliqui extra viam declinaverint; ut in aliis dogmatis accidit, antequam ab Ecclesia definirentur. S. Augustinus Pollentium in Africa hac de caussa ambigentem refert. Sixtus Senensis *Lib. VI.* Bibliothecæ asserit, aliquos antiquos Patres, & Concilia œcumenica dispositione ad tempus permisisse ut, repudiata uxore adultera, secundæ nuptiæ celebrarentur. Hanc opinionem tribuit Petavius in notis ad hæresim 59. S. Epiphanii Concilio Arelatensi. Cottelerius Synodis Bituricensi, Romano sub Leone IV. Vermeriensi, & aliis.

VI. Caietanus in *cap.* XIX. *Matth.* in eam inclinat sententiam quæ pro solutione matrimonii fornicationis caussa stat. At se opponere Doctorum torrenti non audet, ut ipse ait. Catharinus *Lib. V. quæst. ultima* contra Caietanum quæstionem in utramque partem versat, concluditque, neque ex Evangelio, neque ex Apostolo colligi posse, non licere fornicationis caussa aliud inire matrimonium. Uterque tamen Ecclesiæ definitioni proprium suppofuit iudicium. Neque enim Catharinus qui Concilio Tridentino interfuit, vitam duxit usque ad *sess.* XXIV. Launoius post exploratam Tridentini definitionem familiari sua temeritate & audacia non dubitavit proscriptam defendere opinionem. Hæc, quæ paucis perstrinxi, quæque fusius, & quidem erudite prudenterque exponit citatus *Turnely*, evincunt, quam difficilis, & involuta sit controversia hæc, de qua tamen post Tridentinum ambigere nemini licet.

§. V.

Catholicum dogma est, matrimonium non dissolvi adulterii caussa.

I. HAEc catholica veritas in Evangelio aperte traditur. Lucæ *cap.* XVI. hæc habentur. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* Hæc particula *omnis* universalis est, & neminem excipit. *Qui dimissam ducit, mœchatur.* De dimissa sermo est adulterii caussa: quia nemo dixit, dimitti absque caussa uxorem posse. Marci *cap.* X. dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.*

II. Accedunt compertissima S. Pauli testimonia. Nam *Rom.* VII. inquit: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Similia habet *I. Cor.* VII. Non fornicationem, sed solam mariti, aut uxoris mortem allegat Apostolus pro vinculi matrimonialis solutione. Ergo testimonium *Matth.* XIX. exponendum est iuxta hanc S. Pauli perspicuam explicationem, ut sapienter *Lib. II. de adulter. coniug. cap.* V. S. Augustinus argumentatur. *Hæc verba Apostoli toties inculcata vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinit uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur coniux ob causam fornicationis; sed nec carebit illo vinculo, etiamsi numquam reconcilietur viro: carebit autem, si mortuus fuerit vir eius.*

III. At, inquiunt, verba Apostoli intelligenda sunt iuxta ea quæ Evangelista Matthæus *cap.* V. & XIX. docet, ubi fornicationis caussam excipit, ob quam licet & dimittere, & ducere. Aliquod facessere negotium, & ambiguitatem quamdam præseferre testimonia Matthæi, si superficie tenus legantur, negari haud potest. Ceterum si ea penitius inspexeris, cum ceteris Lucæ, Marci, & Pauli oraculis optime quadrant. Licita est dimissio uxoris fornicationis caussa. Hoc penes omnes certum est. Hæc igitur exceptio, textui evangelico inserta, coniungenda est cum antecedentibus, non cum ultimis verbis, hoc modo. *Quicumque dimiserit uxorem (quod non licet nisi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur.* Fornicatio licitam facit dimissionem, minime vero novi coniugii celebrationem. Hanc obviam interpretationem confirmant Marcus, Lucas, & Paulus, qui huius exceptionis nullo modo meminerunt. Christus *Matth.* XIX. Pharisæorum illum tentantium fraudulenta responsa elusit dicendo, non licere uxoris dimissionem ex le-

vi

vi caussa, ut ipsi faciebant; sed ex gravi dumtaxat, nempe fornicationis: quae responsio perspicue quadrat Moysis doctrinae. Ut vero Pharisaeorum calumnias eluderet, obscure subdit, non licere dimittenti aliam ducere. Serio expende Marci verba, quae haec omnia distincte produnt. *Accedentes Pharisaei interrogabant eum, si licet viro dimittere uxorem, tentantes eum*. Ut itaque istorum tentationes exploderet, verba legi conformia reposuit, addiditque: *Ad duritiem cordis vestri* &c. Separatus vero ab illis seorsim discipulos alloquens, haec ad istorum interrogationem respondit. ***Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.*** Marci, Lucae, Pauli doctrina promulgata fuit Romanis, Corinthiis, aliisque plurimis nationibus, quibus volumen Matthaei ignotum erat. Decepti ergo fuissent populi illi, si istorum doctrina ex solo ambiguo Matthaei textu penderet. Quid quod si lex evangelica Matthaei vinculum coniugale solveret, viam aperiret adulteriis, quae morte, sicut in lege mosaica, non plectuntur. Uxores & mariti, quoties essent amore alieno capti, toties fornicarentur, ut pro arbitrio nexum coniugalem abrumperent: & fractio vinculi matrimonialis ab effrenata coniugum libidine penderet. Hac lege admissa, vincula matrimonialia facilius in dies scinderentur quam vilissimarum mercium contractus. Quae omnia hostiliter pugnant cum sanctitate & perfectione evangelica.

IV. Verum evangelicae legis intelligentia non ex privatorum hominum interpretamentis, sed ex Ecclesiae traditione haurienda est. Porro Tertullianus scriptor II. & III. saeculi *Lib. IV. cap.* XXXIV. contra Marcionem, opponentem Christum esse Moysi permittenti repudium, contrarium, respondet. ***Dico Christum conditionaliter tunc fecisse divortii probibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat. Qui dimiserit, inquit, uxorem, & aliam duxerit, aeque adulter est. Ex eadem utique caussa qua non licet dimitti, ut alia ducatur, illicite etiam dimissam pro indimissa ducens adulter est. Manet enim matrimonium, quod non rite diremptum est. Manente matrimonio nubere adulterium est. Ita si conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit.*** Conditionaliter, inquit Tertullianus, Christus prohibuit repudium a Moyse permissum, nempe sub conditione, ne facto divortio alia ducatur uxor.

V. Concilium Milevitanum an. 416. Africanae Ecclesiae doctrinam *can.* XVII. explicat. ***Placuit ut secundum evangelicam & apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungatur; sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint; ad poenitentiam redigantur.***

VI. Hoc idem prius, nempe an. 314. *can.* X. statuerat Concilium Arelatense in Gallia. ***De his qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & probibentur nubere, placuit ut, inquantum potest, consilium eis***

detur ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant. Consilium dandum illis, Concilium ait, non præceptum: quia per leges civiles licitum erat ad secundas transire nuptias. Ideo ad vitandum dissidium inter utramque potestatem sacram & civilem, consilii, non præcepti nomen Patres Arelatenses usurparunt.

VII. Hispanicæ quoque Ecclesiæ traditionem perhibet Concilium Eliberitanum an. 305. can. IX. *Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem quam is quem reliquit, de sæculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit*. Rursus can. LXXI. *Si qua vidua fuerit mœchata, & eumdem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus, acta legitima pœnitentia, placuit eam communioni reconciliari. Si alium duxerit, relicto illo, nec in fine dandam ei communionem*.

VIII. Eamdem doctrinam sæculo VIII. tradit Ecclesia Aquileiensis in Concilio Foroiuliensi cap. X. *Quoniam ambiguus interponitur sermo*, (*idest* nisi ob fornicationem.) *quæri potest, utrum ad solam licentiam dimittendi uxorem, an etiam ad utrumque dictum refertur, hoc est ad aliam, vivente illa, accipiendam, quasi dixerit: Qui dimiserit uxorem suam, & aliam ducit, nisi ob fornicationem, mœchatur*. Quam difficultatem, adducta S. Hieronymi auctoritate, diluunt Concilii istius Patres hoc pacto. *Unde patenter datur intelligi, quamdiu vivit adultera, non licere viro impune secundas contrahere nuptias*.

IX. Innocentius III. tit. XIX. de divortiis, cap. *Gaudemus*, inquit: *Sane veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Evangelio*: Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. *Si ergo, uxore dimissa, duci alia de iure non potest, fortius & ipsa retenta*.

X. Eugenius IV. in decreto pro Armenis. *Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit*.

XI. Testimonia Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii Magni, aliorumque Latinæ Ecclesiæ Patrum prætereo; cum planum sit istos catholicum dogma propugnasse. Ecclesiæ Græcæ Patres opponit *loc. cit.* Launoius, garriens Patres Græcos docere, solvi nexum coniugalem fornicationis caussa. Aliquos Patres Græcos hac in controversia errasse, ultro fatentur omnes, sicuti in controversia de baptismo ab hæreticis collato, & de beatitudine differenda ad iudicii ultimi diem. Quid inde? Numquid ex hoc aut illo privato Auctore, quamtumvis sanctitate, & doctrina præstanti, doctrina Ecclesiæ accipienda est? Si Launoius contendit, universam Ecclesiam Græcam docere solutionem vinculi coniugalis adulterii caussa, fateatur oportet, illam pugnare cum Ecclesia Latina. Nec est quod Launoius ob-

obtrudat, controversiam hanc ad disciplinam, non ad dogma pertinere: quandoquidem, tamquam fidei dogma, Ecclesia Latina propugnat veritatem hanc. Ceterum fallitur, & fallit Launoius, dum suo errori favere Patres Graecos iactat; ut praestantes Theologi iampridem demonstrarunt. Pauca Graecorum Patrum testimonia hic subiicio.

XII. Hermas *Lib. II.* Pastoris *mandato* IV. in titulo *de dimittenda adultera* hoc pacto Dominum rogat. *Si permanserit in vitio mulier? Et dixit: Dimittat illam vir, & vir per se maneat. Quod si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, & ipse moechatur . . . Propter poenitentiam ergo non debet, dimissa coniuge sua, vir aliam ducere. Hic actus similis est in viro, & in muliere.*

XIII. S. Iustinus Martyr *apolog.* II. inter christianae doctrinae capita hoc recenset. *Qui repudiatam a viro alteri duxerit, adulterium committit.*

XIV. Athenagoras in sua percelebri apologia haec scribit. *Ut natus est unusquisque nostrum, manet, vel nuptiis copulatur unicis. Secundae enim decorum quoddam adulterium sunt. Qui enim uxorem suam dimiserit, & duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noster: neque illam dimittere concedens, cuius debilitata est pudicitia, neque alteram ducere.*

XV. S. Clemens Alexandrinus *Lib. II. stromatum* sub finem. *Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, nec a coniugio umquam permittit discedere, legem aperte constituit. Non dimittes uxorem, praeterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat coniungi matrimonio, vivo altero ex separatis. Qui autem dimissam accipit uxorem, moechatur eam; hoc est, cogit eam moechari. Non solum autem qui dimisit, est eius causa, sed etiam qui eam suscepit, praebens mulieri peccandi occasionem: si enim non suscipiat eam, revertetur ad virum.* Priorem textus partem truncatam refert Launoius, omissa posteriore: & sic frequenter lectoribus illudit.

XVI. Origenes Clementis discipulus commentario in *cap.* XIX. *Matthaei* inquit: *Contra Scripturae legem mulieri, vivente viro, nubere quidam Ecclesiae Rectores permiserunt, agentes contra id quod scriptum est:* Mulier alligata est, quanto tempore vir eius vivit: *& contra illud:* Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. *Non omnino tamen sine ratione: haec enim contra legem initio latam, & scriptam ad vitanda peiora, alieno arbitrio morem gerentes eos permisisse verisimile est.* Perspicue declarat Origenes contra Scripturae legem agere Episcopos qui ad maiora vitanda mala, & ob duritiem cordis, quemadmodum Moyses, permiserunt uxori, vivente viro, alium ducere. Alia ibi adiicit Origenes, quae hactenus dicta implicare videntur. Subdit enim: *Servator noster, haudquaquam connubii solvendi propter ullum aliud flagitium facultatem concedens, quam solam fornicationem &c. in uxore deprehensam.* Hic loqui Origenem de so-

lu-

latione quoad torum, secus quoad vinculum, animadverterunt Theologi plures ex verbis quae continuo subiicit. *Tanta enim pati, & tolerare flagitia, quae adulterio, & scortatione peiora censeri queant, plane a ratione videbitur esse alienum: rursum contra Scripturis praeceptum agere nemo est quin impium esse confiteatur.* Heinc patet Origenem loqui de separatione quantum ad torum, secus quantum ad vinculum. Et quamvis aliqua Origenis verba ambigua sint, perspicue tamen fatetur, contra legem Christi esse, vivente coniuge, alium ducere quacumque ex caussa.

XVII. S. Ioannes Chrysostomus *hom.* XVII. *in Matth.* adversus illum qui, cum dimisisset uxorem, in caussa fuit cur alteri nuberet, haec scribit. *Ille enim etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quod adulteram fecit ex coniuge: hic vero excipiendo alienam adulter effectus est. Nequaquam enim mihi referas, quia illam alter eiecit; nam expulsa quoque uxor esse eius qui eam expulit, perseverat.*

XVIII. S. Gregorius Nazianzenus *carmine* II. haec, interprete Billio, scribit.

Prospice, quanta premant servos incommoda carnis.
Femina non parva mercatur dote maritum:
Quodque etiam gravius, vitiosum saepe, & inertem.
Rursus emenda viro coniux, nec moribus illa
Praedita saepe bonis: quaesita attractaque pestis,
Pestis, quam nulla liceat ratione fugare.

XIX. S. Basilius *Lib. de virginitate* circa medium, ait, *mulierem, quae vivente viro alteri nubit, moechari .... Non audis, quod etiam, qui dimissam duxerit, moechatur? Etsi enim pro culpa dimissa est, attamen vivit vir ipsius.* Plura alia scribit S. Basilius *can.* IX. & *can.* XLVIII. epistolae ad Amphilochium, quae ambiguam, obscuramque illius doctrinam reddunt; ut testatur vel ipse Arcudius. Nec solus Basilius, sed Epiphanius, & alii pauci Graeci Patres ambigui in hac controversia fuere. Theodoretus aperte oppositam propugnavit opinionem. Nec mirum, ut iam initio dixi, quod aliqui erraverint; cum nondum esset ab Ecclesia veritas decretoria sententia definita.

XX. Ex quibus omnibus patet, communem primis saeculis fuisse utriusque cum Graecae, tum Latinae Ecclesiae doctrinam. Quando Graeci deficere ab Ecclesiae Latinae dogmate inceperint, ignoratur. Errandi illis occasio fuerunt leges civiles, & aliquorum Patrum sententiae.

XXI. Concilium ergo Tridentinum doctrinam & ex Scripturis haustam, & apostolica traditione firmatam, definivit *sess.* XXIV. *can.* VII. his verbis. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, iuxta evangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissol-*

solvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui caussam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit: anathema sit. Accedit unanimis Theologorum consensus, quorum testimonia referre supervacaneum est.

XXII. Quæst. unic. *An indissolubilitas vinculi coniugalis, etiam adulterii caussa, sit dogma fidei?* Resp. Launoius, ut iam indicavi, relatum Tridentini canonem, non doctrinam, sed disciplinam spectare contendit: quæ opinatio ab omnibus, ut manifestus error, exploditur. Doctrinam quippe evangelicam & apostolicam exponit canon ille, & anathema in Lutheranos, & Calvinistas vibrat, quod oppositum propugnarent errorem.

XXIII. Honoratus Turnely *quæst.* III. *de matr. art.* 2. fatetur canonem præfatum ad doctrinam, non ad disciplinam pertinere. Verum dogma fidei in eodem definiri asseverare non audet. Dubitandi rationem præbet canonis mutatio facta a Concilio. Nam ubi primum canon conceptus erat cum anathemate adversus eos qui dicerent, dissolvi matrimonium adulterii caussa, postea ad declinandum Græcorum rumorem, instantibus etiam Oratoribus Venetis, mutatus fuit & temperatus, ut *Lib. XXII. cap.* IV. *num.* 27. narrat Cardinalis Pallavicinus. *Canon quoque paratus fuerat cum anathemate in eum qui diceret matrimonia consummata ob adulterium dissolvi. Sed Oratores Veneti die* II. *Augusti (an.* 1563.) *cum ipsis posterior modulus ostensus est, solemniter exposuerunt Conventui, Venetam Rempublicam semper coniunctissimam fuisse apostolicæ Sedi, & Conciliis œcumenicis eius auctoritate celebratis, pioque semper studio complexam ac veneratam decreta sanctionesque inde profectas, utpote divinam gloriam, animarum salutem, pacemque Christianorum promoventia. Verum ab eo quod septimo canone parabatur, nisi moderatione aliqua reformaretur, inferri posse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præsertim vero Venetorum insulis Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zacyntho, Cephaloniæ, & aliis multis, non solum cum publicæ quietis, sed cum Ecclesiæ catholicæ detrimento. Compertum esse Patribus, tametsi Græca Ecclesia a Romana ex parte dissentiret, non tamen eo desperationis deventum esse, ut meliora sperari non possent; præsertim cum Græci in subiectis Reipublicæ locis degentes, quamvis ritu suo viverent, tamen Præsulibus a Romano Pontifice assumptis obtemperarent. Ea propter tum rerum convenientia, tum Oratorum munere se compelli, ne ipsi eos populos percuti finerent eiusmodi anathemate, quo ad tumultum, integramque a Sede apostolica secessionem provocarentur. Satis constare, in more positum apud Græcos, ut uxorem adulteram deserant, & aliam ducant, veterrimam maiorum consuetudinem, ut ipsi dicunt, secuti. Nec idcirco illos damnatos, aut anathemate perculsos fuisse ab ulla Synodo œcumenica, etiamsi Romanæ & catholicæ Ecclesiæ huiusmodi liquido mos inno-*

notuisset. Existimare igitur Oratores sui muneris esse, quam efficacissime possent, postulare ut voces illæ canonis adeo moderate linirentur, ne Græcis detrimentum inferrent, præsertim intentato anathemate: quod dubium non erat confici posse, non solum nulla parta Ecclesiæ catholicæ indignitate, sed fortasse retenta plurimorum Doctorum reverentia. Posse, quantum ipsi rebantur, & obtineri quod Synodus intendebat, & Reipublicæ satisfieri, canone eiusmodi verbis conflato. Anathema sit, si quis dixerit, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ mater est, & magistra aliarum, errasse, & errare, cum docuit, docet &c.

XXIV. Purpuratus Historicus *loc. cit. num.* 30. redarguit Petrum Suavem, scribentem mutationem canonis *aeream, & utilitatis, effectusque vacuam* esse. Factum evincit, canonis mutationem effectus vacuam non fuisse; cum & Venetis Oratoribus satisfactum reipsa fuerit, & Græcorum offensio, ac tumultus declinatus. Ceterum vacua effectus fuit, quod veritas catholica nihil detrimenti ex illa diversa verborum collocatione passa sit. Et fatetur ipse Pallavicinus inter primum & posteriorem canonem discrimen esse penes verborum sonitum. *Revera discrimen est, quamvis subtilius. Sed etiamsi non inesset, convenientius fuisset Reipublicæ satisfacere, eam mutationem petenti, ubi per eam merus sonus, non autem significatio variaretur.* Subdit ibidem Pallavicinus, Episcopum Legionensem Venetorum postulationi intercessisse: *quia non solet ab Ecclesia usurpari hæc damnandi formula: Si quis dixerit, Ecclesiam errare. Hanc veritatem* (nempe indissolubile esse vinculum coniugale, etiam adulterii caussa) *esse certam, ac firmatam in Synodo Milevitana, in sexta œcumenica, & in Florentina.* Concluditque Historicus. *Credendum est, si Cuestæ locus loquendi inter primos obtigisset, sicut inter postremos debebatur in Conventu, tantum ab eo numerum assectarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem Oratorum Venetorum satis fuisset.*

XXV. Utcumque res ista se se habeat, cuicumque serio perpendenti canonem rescriptum Tridentinum, adeo compertum exploratumque est, dogma fidei in eodem definiri, ut nec levis ambigendi locus remaneat. Et ipse citatus Turnely, his omnibus expensis, quod primum ausus non fuerat asseverare, tandem fatetur, nempe fidei dogma in hoc canone definitum haberi. Canone illo anathema in eos pronuntiatur qui dixerint, *Ecclesiam errare, cum docuit, & docet iuxta evangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi.* Ab hæresi ne immunis est qui evangelicam & apostolicam doctrinam inficiatur? Tridentinum definit indissolubilitatem coniugalis vinculi esse doctrinam evangelicam & apostolicam. Ergo opposita sententia error est, doctrinæ evangelicæ & apostolicæ directe contrarius. Rursus errat ne œcumenicum Concilium, cum hoc definit? Si ais; hæresim pronuntias. Si negas; ergo doctrina definita in Concilio evangelica est & apostolica. Atqui negare

gare doctrinam evangelicam & apostolicam manifesta hæresis est. Ergo doctrina indissolubilitatis nexus coniugalis, etiam adulterii caussa, dogma fidei est. Ergo qui asserunt matrimonium adulterii caussa dissolvi posse, contradicunt evangelicæ & apostolicæ doctrinæ. Errant ergo contra fidei dogma Græci, adfirmantes adulterii caussa rescindi matrimonium posse. Ergo errant in fidei dogmate. Nulla ad effugium rima patet. Aut erravit Tridentinum, definiendo indissolubilitatem matrimonii adulterii caussa ad doctrinam evangelicam apostolicamque attinere. Aut errant Græci, adfirmando hanc indissolubilitatem ab evangelica & apostolica doctrina alienam esse. Quamvis igitur Tridentinum expresse nec Græcos, nec Lutheranos nominet, canonem tamen absolute formavit, quo omnium, sive Græcorum, sive Protestantium, sive aliorum quorumcumque, qui docent vinculum coniugale fornicationis caussa dissolvi posse, errorem proscribit & damnat.

XXVI. Veritas catholica rationum quoque momentis confirmatur. Nam, admissa nexus coniugalis resciffione, uxore adulterante, gravissima consequuntur absurda. Etenim mulieres libidine æstuantes adulteria idcirco perpetrarent, ut dimissæ suis nubere procis facile possent. Similiter improbis maritis occasio foret pro legitima uxore adulteram introducendi. Quæ heinc calumniarum ansæ adversus innocentem uxorem, ut, hac tamquam adultera repudiata, altera exoptatior duceretur? Quibus vero filii incommodis forent obnoxii? Loco matris adhuc viventis educandi a noverca essent. Matrem, a qua geniti essent, conspicientes novercam odirent, & odio haberentur ab illa. Quid? *Lib. VIII.* in Lucam clamat Ambrosius. *Paterisne, oro, liberos tuos, vivente te, esse sub vitrico, aut incolumi matre esse sub noverca? Pone, si repudiata non nubat. Et hoc vivo tibi debuit displicere, cui adultero fidem servat. Pone, si nubat. Necessitatis illius tuum crimen est, & coniugium quod putas, adulterium est.* Si mulier dimissa innocens nubat, cedit hoc in prioris viri crimen, & dedecus. Si adultera est, ex perpetrato scelere commodum capit. Tandem matrimonium, quod ad sacramenti dignitatem Christus evexit, ut libidinem, & concupiscentiam coerceret, sobriosque & temperantes redderet coniuges, intemperantiores effrenatioresque efficeret. Et cum epulæ quotidianæ vilescant, minusque sapiant, continua esset coniugiorum vicissitudo cum incredibili familiarum, societatis, & animarum pernicie.

XXVII. Plura, quæ adversus dicta opponi solent, diluta remanent. Testimonium Matthæi, quod facessere negotium potest, suo in sensu explicatum est. Ex multitudine Scriptorum quos opponit Launoius, multi favent catholico dogmati; alii ambigui sunt; alii innoxie erranrunt; cum solemni Ecclesiæ canone veritas adhuc definita non esset. In vetere Pœnitentiali Romano, & in nonnullis Synodis solum statuitur, quod coniux innocens possit, mortuo coniuge, ad secun-

das.

das transire nuptias. Coniux vero reus neque post mortem innocentis coniugis inire matrimonium poterat; sed in sui criminis pœnam reliquum vitæ transigere absque matrimonio debebat. Nonnulla alia obiecta diluta invenies apud S. Thomam in *Suppl. quæst.* lix. *art.* 6. Dispensationes quæ ab uno & altero Romano Pontifice obtruduntur, subreptitiæ sunt, & obreptitiæ.

§. VI.

Matrimonium Christianorum ratum, & non consummatum solvitur per solemnem Religionis professionem.

I. Omnibus quæstionibus quæ hoc in tractatu agitantur, hæc mihi difficilior est, si rationes quibus implicari solet, spectentur. Nam si absolute quæstio accipiatur, definita est in Concilio Tridentino *sess.* xxiv. *can.* vi. his verbis. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, & non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum non dirimi; anathema sit.*

II. Petrus Suavis acriter hunc canonem vellicare conatur, quod matrimonium ratum sit verum sacramentum, iure divino indissolubile: professio autem religiosa iuris ecclesiastici, cum primis Ecclesiæ sæculis nullum eiusdem vestigium appareat. Ius autem ecclesiasticum nequit quæ iuris divini sunt irritare. Maldonatus *tract. de matr. cap.* vi. tantum sibi facessere negotium difficultatem istam ait, ut eiusdem resolutionem se non videre adfirmet, nisi, inquit, *aut concedatur matrimonium ratum, & nondum consummatum, non esse verum matrimonium, & verum sacramentum: aut certe Ecclesiam ita existimasse, cum decrevit licere post matrimonium ratum conferre se ad Religionem, altero coniuge invito, & licere alteri adire alias nuptias.* Si matrimonium ratum, nondum consummatum, verum matrimonium non esset, verumque novæ legis sacramentum, ad eiusdem rescissionem professione religiosa minime opus foret; sed natura sua, & ex aliis caussis rescindi iure posset. Ubi verum matrimonium non est, ibi nullum indissolubile vinculum reperitur.

III. Petrus Gibert, qui tria volumina de matrimonio edidit sub hoc titulo, *Tradition, ou histoire de l'Eglise sur le sacrament de mariage*, fuso calamo *Tom. III. a pag.* 245. universalis, & perpetuæ traditionis documenta promit, quæ evincunt, professionem solemnem Religionis dirimere matrimonium ratum. Pauca ego hic delibabo adversus Novatores, quos cum vel luculentissima Ecclesiæ catholicæ dogmata carpere non pudeat, mirum haud esse debet, si canonem hunc deridere, & proscindere studeant.

IV. Primum traditionis documentum a S. Thecla repetitur, quæ præceptorem habuit S. Paulum Apostolum, cuius consilio, contractis nuptiis renuntiatis, Deo se consecravit; ut *hæres.* lxxviii. *num.* 16. S. Epiphanius testatur, inquiens: *Hæc, cum*

in

in Paulum incidisset, pactas nuptias dissolvit, cum primario cuidam civitatis, ac longe diviti, nobilissimo, splendidissimoque desponsata iam fuisset. Verum terrena ideo Sancta illa contempsit, ut cælestium compos esse posset. Hoc idem narrat *Lib. II. de virg. cap.* III. S. Ambrosius. *Thecla copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit.* S. Augustinus *Lib. VIII. Confess. cap.* VI. narrat, duos milites, lecta Antonii vita, talia inter se sermocinatos. *Quid quærimus? Cuius rei causa militamus? Maior ne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? . . . Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo servire statui, & hoc ex hora hac in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille, adhærere se socio: & ambo habebant sponsas; quæ, postquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem.*

V. S. Gregorius Magnus *Lib. III. Dialog. cap.* XIV. de virgine hæc narrat. *Dum adolescentiæ suæ tempore, constitutis iam nuptiis, in Ecclesiam fugisset: & sanctimonialis vitæ conversationem quæreret . . . sponsum meruit habere in cælo, quia sponsum fugit in terra.*

VI. Venerabilis Beda *Lib. IV. Hist. cap.* XIX. simile exemplum narrat Edildridræ Reginæ, quæ, celebratis nuptiis, numquam se marito immiscuit, sed Religionem ingressa est. Non me latet, eludi hæc exempla posse, aut negando hæc fuisse vera matrimonia, aut ex his exemplis legitime nequaquam inferri posse conclusionem definitam in Tridentino. Verum gratis negatur, præfata matrimonia vera fuisse, cum Patres tantæ auctoritatis id affirment. Utique hæc sola exempla haud sufficiunt ad hanc firmandam veritatem; at coniuncta cum iis quæ nunc subiicio, extra dubitationis aleam eam constituunt.

VII. Alexander III. in Concilio III. Lateranensi an. 1179. in *Append. part.* V. *cap.* I. hæc statuit. *Post consensum illum legitimum de præsenti datum, licitum est alteri, altero etiam repudiante, Monasterium eligere; sicut quidam sancti de nuptiis vocati fuerunt; dummodo inter eos carnis commixtio non intervenerit. Et alteri remanenti, si commonitus servare noluerit continentiam, licitum esse videtur ut ad secunda vota transire possit. Quia cum non fuissent una caro effecti, potest unus ad Dominum transire, & alter in sæculo remanere.* Similia tradit *ibidem cap.* VIII. in responso dato Episcopo Brixiensi.

VIII. Innocentius III. cap. *Ex parte* de conversione coniugatorum hæc docet. *Nos inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod etsi possit non inconsulte videri, quia ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahitur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, ut, vivente reliquo, alter ad secunda vota transmigret; etiamsi unus fidelium, inter quos est ratum coniugium, fieret hæreticus,*

cus, & nollet permanere cum altero fine iniuria Creatoris: nisi forte fieret ex revelatione divina, quæ superat omnem legem, sicut a quibusdam Sanctis legitur esse factum. Nos tamen nolentes a Prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium fit per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari.

IX. Plures adducunt Theologi rationes in huius veritatis confirmationem. Verum nulla, separata a traditione, rem demonstrat: evincunt tamen rationes, nihil occurrere in eiusmodi matrimonii rescissione profitendæ Religionis caussa quod aut divinis Scripturis, aut morum sanctitati, aut legi naturali repugnet. Ratiocinium S. Thomæ in *Suppl. quæst.* lxi. *art.* 2. est valde solidum. Hoc siquidem pacto argumentatur. *Ante carnalem copulam est inter coniuges tantum spirituale vinculum; sed postea etiam est inter eos vinculum carnale. Et ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem; ita per ingressum Religionis vinculum quod est ante carnalem copulam, solvitur: quia Religio est quædam mors spiritualis, qua aliquis sæculo moriens, vivit Deo.* Hæc ratio seorsim accepta eludi facile potest, quod etiam in simplici castitatis voto, aut in voto Ordini sacro annexo quædam spiritualis mors occurrat. Idcirco aliud principium adiicit ibidem *ad* 2. Angelicus. *Ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, SED SUB CONDITIONE, si interea alter coniugum ad frugem melioris vitæ non convolet.*

X. Hæc, ut mihi videtur, est huiusce implicatissimæ controversiæ ratio solidior ceteris. Omnes contractus sunt potestati supremæ subiecti: quæ subiectionis conditio intrinsecus omnibus inest. Deus est supremus corporum, animarumque nostrarum Dominus. Ergo cuilibet mutuæ corporum traditioni insita est conditio isthæc: nisi corpus istud sibi delegerit supremus Dominus, cuius nutu, & voluntate omnia fiunt. Conditio omni iuri, omnibusque principiis quammaxime consentanea est. Quid enim rationi congruentius quam Deo vocanti ad sibi inserviendum in altiori statu, parendum esse, quando id fieri absque alterius detrimento potest? Porro ante carnalem commixtionem nullo modo coniugum corpora læduntur, sed integra consistunt, & digna ut Deo in sacrificium immolentur.

XI. Reponi utique & huic rationi potest, hanc conditionem includi quoque in simplici, aut solemni annexo sacro Ordini castitatis voto. Verum hæc oppositio ex iis quæ iam præmisi, convulsa manet. Dixi, nullam occurrere rationem, quæ separatim spectata sententiam catholicam evidenter demonstret. Ceterum hæc rationum momenta, traditioni Ecclesiæ consociata, ita perspicue evincunt hanc caussæ definitionem a Tridentino latam, ut obmutescere Novatores oporteat. Universa autem Ecclesiæ traditio soli professioni Religionis hanc rati matrimonii dissolutionem

tionem adfcribit, non voto fimplici, vel annexo Ordini facro. Quod hæc traditio fit univerfalis & perpetua, ex dictis patet. Nam Pontifices fummi, Gregorius Magnus, Alexander III. Innocentius III. nihil hac in cauffa fe innovaffe teftantur; fed doctrinam a maioribus acceptam tradidiffe. SS. Patres Ambrofius, Hieronymus, Auguftinus, & pofteriores, Thomas, Bonaventura, cum ceteris Theologis fe communem Ecclefiæ doctrinam docere adfirmant.

XII. Obiicies 1. Neque Concilium Tridentinum, neque Ecclefia definire valent, matrimonium ratum diffolvi per profeffionem religiofam, nifi ex divina revelatione, quæ per Scripturas, vel traditionem innotefcat. Sed colligi ex Scriptura hæc revelatio nequit: oppofitum enim Scriptura docet: *Quod Deus coniunxit, homo non feparet*. Refp. Ecclefiæ Spiritus fanctus affiftit, ne in fidei articulis, morumque regulis definiendis erret. Laudatum Scripturæ textum: *Quod Deus coniunxit, homo non feparet*: Ecclefia fic interpretatur, Deum ipfum effe qui feparat coniugatos Religionis caufsa. Neque enim Ecclefia fponfos ad Religionem impellit, fed Deus, qui, ut fupremus Dominus poteft, illos ad fe vocat.

XIII. Obiicies 2. Matrimonium ratum non confummatum eiufdem naturæ & effentiæ eft ac confummatum. Iftud folvi nequit. Ergo neque illud. Refp. Eiufdem naturæ, & fub eifdem circumftantiis utrumque matrimonium effe negatur. Abfolute eadem eft utriufque natura; at ftatus, & circumftantiæ diverfæ funt. Utrumque abfolute indifsolubile eft. Solus Deus voluit, & vult folvere ratum, fecus confummatum. Idque nobis conftat ex traditione, & Ecclefiæ definitione. Hæc eft unica & decretoria ratio: nec ultra pergendum eft.

XIV. Infiftunt. Votorum folemnitas iuris eft ecclefiaftici: ergo nequit fcindere vinculum coniugale, iure divino indiffolubile. Refp. Ritus & cæremoniæ votorum funt utique ab Ecclefia præfcriptæ; at vis votorum folvendi vinculum coniugale eft a Deo. Deus ipfe vim. votis emiffis fub ritu ab Ecclefia præfcripto indidit fcindendi matrimonia rata. Neque, ut dixi, Ecclefia eft quæ feparat coniugatos, fed Deus.

XV. Quæft. I. *Quomodo fe gerere coniux debet qui ante matrimonii confummationem ingredi Religionem deliberat?* Refp. Coniux qui deferitur, monendus eft, fervare ne velit continentiam. Si refugit, duorum menfium intervallum concedit Ecclefia, quo negari debitum poteft, & deliberare de Religionis ingreffu. Hoc elapfo tempore, negari petenti debitum nequit. Si intra hoc fpatium fit ingreffus in Religionem, qui in fæculo remanet, expectare præter hos duos menfes, annum integrum debet, donec emiffa a coniuge Religiofo profeffio fuerit. Præfati enim duo menfes a iure conceduntur, ut matura fiat de ingreffu deliberatio. Si tamen, antequam elabantur duo dicti menfes, coniux ingrediatur Religionem, & elapfo anno profiteatur; tum coniux defertus, poft emiffam profeffionem, fecundas cele-

brare nuptias potest. Quid, si femina, dum annos pubertatis assequitur, monasterium ingrediatur? Astringitur vir annum 16. expectare, donec profiteatur: quia ante hunc annum per Tridentinum professionem emittere nequit.

XVI. Disputant Theologi, possit ne iudex spatium duorum mensium amplificare, aut coercere. Adfirmat Sanchez *Lib. II. disp.* XXIV. quod non sit illud tempus a lege constitutum. Negat contra P. Pontius *Lib. IX. cap.* IX. Et haec sententia mihi est probabilior. Duo menses praescripti sunt ab Alexandro III. & hoc spatium communi Ecclesiae consuetudine determinatum est. Si iudicis arbitrio relinquatur, cum varia sint hominum ingenia, & affectus diversi, plura consequi absurda valent. Posset coniux de una ad alteram Religionem transire, moras nectere in fraudem alterius coniugis. Idcirco neque arctandum, neque protrahendum omnino est spatium istud matrimonio odiosum.

XVII. Quaest. II. *Copula, per vim extorta intra bimestre, adimit ne violato coniugi ius ingrediendi Religionem?* Resp. Negat Sanchez *Lib. II. disp.* XXII. Adfirmat Pontius *loc. cit. cap.* X. & haec opinio mihi videtur vera. Commixtio enim carnalis revera matrimonium consummat: & hunc effectum physicum vis non tollit, sed solum efficit ut copula sit malitiosa. Quod enim libera sit copula, aut violenta, perinde est ad consummationis effectum. Ergo ingressus ad Religionem non patet. Accedit quod haec vis vix umquam revera contingit. Lucretiae enim rarissimae sunt.

XVIII. Quaest. III. *Sponsis iuramento testantibus se matrimonium non consummasse, adhibenda ne fides est?* Resp. Distinguunt communiter. Si sponsa non erat virgo, & ad sponsi domum traducta non sit, adhibetur, inquit Sanchez *Lib. II. disp.* XXIII. illorum iuramento fides, cum ex aspectu probatio haberi nequeat. Si vero traducta sit, non creditur illis in matrimonii praeiudicium. Si puella virgo erat, iuramento creditur, si talis appareat post aspectum: quia aspectus praevalet omni probationi.

XIX. Quaest. IV. *Qui post solemne professionis votum, & solutionem matrimonii rati obtinet a tali voto dispensationem, poterit ne secundas celebrare nuptias?* Resp. Adfirmat Paludanus, Durandus, & alii. Sed haec opinio mihi non probatur. In epistola siquidem ad *Polycarmum* ostendi, haud posse Pontifices a votis solemnibus dispensare.

§. VII.

§. VII.

Utrum Pontifex possit dispensare a matrimonii rati vinculo.

I. CElebris inter Theologos est controversia hæc, quæ in utramque partem disputatur. Affirmantem sententiam ut probabiliorem propugnat P. Sanchez *Lib. II. disp.* XIV. *num.* 4. & pro eadem allegat Iurisperitos Gofredum, Alanum, Vincentium, Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andream, Cardinalem Henricum, Baldum, Ancharanum, Imolam, Felinum, Decium, Socinum, Gozadinum, Curtium, Bertachinum, Rapam, & plures alios: ex Theologis S. Antoninum, Gabrielem, Victoriam, Ledesmam, Caietanum, Catharinum, Medinam, Henriquez, Ortiz, Grisaldum, Vivaldum, Navarrum, aliosque.

II. Thomas Sanchez *Lib. II. disp.* XV. *num.* 5. inquit: „ Probabile est valere dispensationem Pontificis *in matrimonio rato* absque iusta caussa concessam . . . . „ Et ratio est, quia est probabile indissolubilitatem talis matrimonii esse de iure „ humano. " Addit *num.* 6. *conclusione secunda*, verius esse non tenere talem dispensationem absque iusta caussa. Sed quid additio hæc prodest, cum licitum iuxta Sanchez sit sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore?

III. Pro sententia negante sequentes Theologi allegantur ab ipso P. Sanchez. S. Bonaventura in *IV. dist.* XXVII. *art.* 3. Scotus in *IV. dist.* XXXI. *quæst.* 1. Paludanus in *IV. dist.* XXVII. *quæst.* 1. *art.* 2. S. Antoninus *III. Part. tit.* 1. *cap.* XXI. *§.* 3. Almainus *de potest. Eccl. cap.* XV. Victoria in *Sum.* & *relect. de potest. Papæ num.* 1. Dominicus Soto *Lib. VII. quæst.* 11. *art.* 5. & in *IV. dist.* XXVII. *quæst.* 1. *art.* 4. Petrus Soto *lect.* XII. *de matr. §. Post hoc*, Bartholomæus Ledesma *II. Part. quæst.* LXIX. *num.* 4. Corduba *Lib. I. quæst.* XXV. Palacios in *IV. dist.* XXVII. *disp.* 11. *conclus.* 2. Aragonius 2. 2. *quæst.* LXXXVIII. Ludovicus Lopez *II. Part. Instructor. cap.* LIV. Petrus Ledesma *de matrim. quæst.* LXVII. *art.* 2. Vega *Lib. IV. Sum.* Manuel *Tom. I. cap.* CCXXXIX. Turrecremata cap. *Sunt qui dicant* XXVII. quæst. 11. art. 3. Tabiena verb. *Dispensatio*, Covarruvias *IV. Decr.* 11. *part. cap.* VII. *§.* 4. *num.* 13. Antonius Cucus *Lib. V. tit.* XII. *num.* 275. Matienzo *Lib. V. recop. tit.* 1. Guttierez *Lib. I. Qq. Can. cap.* XVII. pluresque alii tum ex antiquis, tum ex modernis addi possent, Cano *Lib. III. cap.* IV. Honoratus Turnely *de sacr. matr. art.* 2. *pag.* 174. inquit: *Verisimilius longe videtur non posse S. Pontificem dispensare a vinculo matrimonii rati non consummati.*

IV. Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. in suo immortali opere, auro, cedroque digno de *B. S. D. Lib. I. cap.* XLII. *num.* 13. *pag.* 415. *ult. edit.* obiter hoc de argumento inquit: *Ad rem oppido facit exemplum concessionum, quibus summi*

mi Pontifices solvunt homines a matrimoniis ratis, sed non consummatis, aliarumque concessionum solventium a continentia annexa regulæ ac professioni monasticæ. Fiunt quippe aliquando huiusmodi concessiones, nec tamen ex eis deducitur certum esse de fide posse Pontifices solvere homines a matrimonio rato, sed non consummato, atque a voto continentiæ annexo professioni monasticæ: adversantibus videlicet etiam magni nominis Theologis, qui post easdem concessiones etsi existiment prædictam potestatem Romanis Pontificibus nullo modo competere, non tamen putant, se ulli pontificiæ definitioni refragari, utpote cum sciant, eos in iudicio permittente, ac solvente minime definire, eisdemque satis esse, si pro se certam certitudine morali habeant sententiam propriæ potestati faventem. Quare Card. Capissuebius postquam controv. 11. *late docuit non posse Ecclesiam solvere a continentia solemniter annexa professioni monasticæ, exemplis solutionum a Romanis Pontificibus concessarum respondet* §. 3. *Pontifices secutos esse opinionem Canonistarum id posse fieri asserentium, & ipsis Pontificibus visam esse probabiliorem*. In hac gravissima controversia nihil omnino ego iudicii pronuntiabo. Absit a me temeritatis tantum, ut limitibus circumscribere pontificiam potestatem velim. Historici dumtaxat, non Theologi, partes agam, & utriusque sententiæ argumenta in medium adducam, propria opinione prorsus suspensa.

V. Posterioris sententiæ negantis argumenta eiusmodi sunt. Theologi, ut probent solemnem Religionis professionem rescindere matrimonium ratum, ad traditionis asylum, ad auctoritatem Ecclesiæ sese recipiunt. Hic pedem figunt. Quid? Matrimonium ratum est verum matrimonium, verumque sacramentum. Ergo divino iure indissolubile. Quæ autem divini iuris sunt, potestati pontificiæ non subiacent. Ad hoc argumentum, quatenus urget contra professionem monasticam, quodnam præbent Theologi responsum? Diximus supra, in professione monastica, Deum ipsum ut supremum Dominum, non humanam aliquam potestatem, solvere vinculum istud. Diximus, Ecclesiam ut interpretem divinarum Scripturarum, & sancti Spiritus lumine perfusam, declarare, vinculum matrimonii rati dissolvi per solam monasticam professionem. Castitatis votum, sive simplex, sive solemne, annexum sacro Ordini, nihil valet ad solvendum matrimonium ratum, ut omnes fatentur. Unde ergo eruitur posse Pontificem dispensare ut coniuges post matrimonium ratum aliud matrimonium ineant?

VI. Urgent istius sententiæ patroni. Quis ex duodecim & amplius sæculorum Patribus docuit, Pontificem summum posse a matrimonii rati vinculo dispensare? Quodnam Concilium id declaravit, aut indicavit? Nullum antiquitatis vestigium, nulla traditio suffragatur opinioni adversæ. Quid quod traditio potius contraria est, cum ad solam solemnem Religionis professionem coarctet rescissionem matrimonii rati? Siquidem Innocentius III. cap. *Ex parte* de conversione coniugato-

torum docet, in nullo casu, *ne quidem lepræ supervenientis, aut lapsus in hæresim, SED OB SOLAM RELIGIONIS PROFESSIONEM posse dirimi matrimonium ratum*. Alexander III. *in Append.* Concilii Lateranensis III. *part.* VI. *cap.* VIII. hoc Episcopo Salernitano responsum præbet. *Consuluisti nos, utrum inter virum & mulierem, præstito, vel non præstito sacramento, si legitimus consensus intervenerit de præsenti, carnali copula non secuta, liceat mulieri alii nubere, vel si nupserit alii, & carnalis fuerit copula secuta, an ab ipso debeat separari. Super hoc inquisitioni tuæ taliter respondemus: quod si legitimus consensus ea solemnitate qua fieri solet, præsente Sacerdote, aut etiam eius Notario, sicut etiam in quibusdam locis adhuc observatur, coram idoneis testibus interveniat de præsenti, ita quod unus aliam in suam mutuo consensu verbis expressis recipiat, utrimque dicendo*, Ego te recipio in meam, *sive sit iuramentum, sive non, non liceat mulieri alii nubere: & si nupserit, & fuerit carnalis copula subsecuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli: quamvis alii aliter sentiant, aliter etiam a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum*. Si neque per subsequens matrimonium consummatum dirimi matrimonium ratum docet Alexander III. quamquam aliqui prædecessores aliud senserint; quanto minus dirimi potest dispensatione pontificia, ob aliquod inferius motivum data?

VII. Opponunt prioris sententiæ propugnatores dispensationes concessas ab Urbano VIII. & Clemente VII. Respondent alii, etiamsi admittatur revera laudatos Pontifices concessisse similes dispensationes, non propterea ex eiusmodi exemplis quidquam certi statui posse. Etiam aliqui prædecessores Alexandri III. declaraverant matrimonium consummatum dirimere matrimonium ratum. Nihilominus ipse publica decretali oppositum statuit. S. Antoninus *III. Part. tit.* I. *cap.* XXI. *§.* 3. hæc scribit. *Est ergo conclusio istius §. quod matrimonium contractum per verba de præsenti, solum per professionem Religionis approbatæ solvi potest, & non per alium modum, etiam auctoritate Papæ. Canonistæ autem communiter tenent contrarium, scilicet quod Papa potest dissolvere illud*. Deinde post multa subdit: *Vide aliquas Bullas & Martini V. & Eugenii IV. continentes talem dispensationem, sive dissolutionem matrimonii non consummati, contrahentibus postmodum illis cum aliis. Unde tales non sunt condemnandi. Sed consulendum est alicui ut non procuret talem dissolutionem, sive dispensationem, cum Theologi videantur tenere, quod non possit dissolvi nisi per ingressum Religionis, ut supra dictum est*. Cardinalis Capissuchius, ut animadvertit doctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. respondet, hos SS. Pontifices secutos esse oppositam opinionem, quam iudicarunt probabiliorem. Quam responsionem præbet etiam S. Thomas.

VIII. Insistunt allegantes multitudinem Canonistarum. *Ursaja* celebris Canonista *Tom. I. part.* I. fuso calamo integram disputationem instituit, qua evincere conten-

tend it, Papam posse dispensare super matrimonio rato ob scandala, gravesque dissensiones. Verum doctissimus Alexius Symmachus Mazochius *in praef. adiect.* ad dissertationem theologico-legalem Muscetulae haec scribit. *Ursaya, vir ceteroquin optimus & Cl. in sua interdum commoda peccat: praesertim quia Tom. II. part. 1. integram disceptationem tertiam in eo insumpsit, ut ostenderet, posse Papam gravibus de causis, praesertim propter imminens scandalum, & graves offensiones, dissolvere matrimonium ratum. At id mirifice causam Ursayae sauciat. Quid enim? Si scandali metus tanti visus est, ut eius causa contractum matrimonium rescindi a Papa possit; quis non videt, impares invitis parentibus nuptias (ex quibus vix umquam est quin gravissima scandala suboritura praevideantur) nullo modo fuisse ab initio contrahendas, immo a Pastoribus omnibus impediendas? Nullum, crede mihi, argumentum validius afferri potest, quo qui praeposterae nupturientium libertati impense favent, efficacius iugulentur. Et tamen idem ille Ursaya, causae ad se delatae serviens, matrimonia quibus parentes dissentiant, impediri posse, etsi graves offensiones inde immineant, acriter negavit alibi, quia sic alterius causae rationes postulabant... Hoc illud nimirum est, non ad rei veritatem, sed ad causarum opportunitatem calamum attemperare, ac Pyrrhonismum in Iurisprudentiam invehere.* Profecto disputationes illorum Canonistarum qui foro inservierunt, & delatas ad se caussas propugnarunt, non pluris faciendae sunt quam documenta quae afferunt, serio expensa, & ab eorum interpretamentis purgata mereantur. Frequenter enim disputationes illae in favorem clientum scriptae sunt, ut post multos fuse observavit Cl. Muratorius in opere *de vitiis Iurisprud.*

IX. Dominicus Soto Theologus sane gravissimus in *IV. dist.* XXVII. *quaest.* V. *artic.* 4. ex instituto hanc quaestionem versat, & de opposita opinione haec scribit. *Revera opinio haec, quamvis aliquibus sustentabilis appareat, mihi tamen, ut tenuitatem ingenii mei fatear, salva semper Ecclesiae censura, nullam probabilitatis effigiem repraesentat. Quare cum Christus ait,* Homo non separet, *Pontificem etiam ipsum exclusit, quasi talem potestatem ei non committeret, quia super iure divino & naturali, quale illa verba significant, Papa minime dispensat... Auctoritas vero Martini, & Eugenii, si ita verum est, quod similem dispensationem fecerunt, nullatenus tamquam Ecclesiae determinatio movet: quia factum Pontificum non facit fidei articulum, sed opinionem Canonistarum sunt secuti. Et tamen alii Pontifices non leguntur talem fecisse dispensationem, cum tamen credibile sit creberrime oblatos fuisse dispensandi casus. Immo Adrianus VI. vir tum utriusque iuris peritissimus, tum & rei theologicae non infime doctus, cum ab illo huiusmodi dispensatio fuisset postulata, oblataque fautrix sententia Caietani, demiratus est virum Theologum hoc sibi in animum inducere potuisse; & ideo improbis precibus succumbens respondit, se dare quidem posse, sed tamen credere nihil posse.*

At

At quo tandem illam opinionem exulceremus, si matrimonium ratum non esset natura sua indissolubile, profecto non solum Papa, sed etiam Episcopus dispensare super eo posset: nam quidquid potest Papa in huiusmodi dispensationibus, potest Episcopus, nisi sit prohibitus. Quin vero nihil mirarer, si quispiam inferret, quod etiam citra dispensationem possent se coniuges separare. Nam si verbum illud, Quos Deus coniunxit, homo non separet, *non intelligatur de matrimonio rato; unde, rogo, convincitur arctiorem nexum esse in matrimonio rato quam in sponsalibus de futuro? Et ideo, saltem si de facto separarentur, & alia matrimonia consummarent, teneret factum.*

In summa si hæc dispensatio semel usu admitteretur, frequentissimi essent qui eam procurarent; & sic contractus matrimonii adeo esset languidus, ut vix ullius esset roboris. Id quod experientia nos docuit. Nam plurimi hac opinione Caietani coarmati Apostolicam Sedem super tali dispensatione pulsarunt, qui tamen repulsam meritissime passi sunt. Absit ergo ut hæc opinio his maxime temporibus audiatur, quando hæretici tam multis de caussis putant matrimonium dirimendum. Caietanus utinam numquam de hac re legisset Erasmum.

X. Quæst. unic. *Quænam caussæ assignentur a P. Sanchez pro iusta dispensatione matrimonii rati?* Resp. Posse summum Pontificem ex gravissima caussa, quæ bonum publicum spectet, dispensare a matrimonio rato, non consummato, docent gravissimi Theologi, & communiter Canonistæ, ut narravi. P. Sanchez *Lib. II. disp.* XVI. tot assignat caussas iustæ dispensationis, ut facilius sit contractus matrimoniales quam contractus quarumcumque vilium mercium rescindere. Ut intelligas quam longe a communi Ecclesiæ doctrina distet, ut minima mea præfert opinio, doctrina P. Sanchez in hac caussa, in memoriam revoca, neque votum simplex castitatis, neque votum solemne annexum Ordini sacro, neque ipsum votum Religionis, si Religio non sit solemniter approbata, sufficere ad rescindendum matrimonium ratum. Audi nunc caussas quas solvendi matrimonii rati P. Sanchez assignat. Illas propriis ipsius verbis expressas transcribo.

XI. Hæc *loc. cit. num.* 1. scribit. „ Quidam dicunt non satis esse quamcumque „ causam, sed debere esse similem expressæ a iure *cap.* 11. *de convers. coniug.* „ quæ est Religionis ingressus. Sic Abbas &c. “

XII. Vides, qua cautione locuti sunt illi ipsi qui inter primos hanc pontificiam rati matrimonii dispensationem invexerunt. Subdit P. Sanchez ibi: *Sed merito Barbosa... hanc sententiam reprobat, dicens, sufficere alias iustas causas.* Numquid Barbosa supra ius canonicum est? Unde Barbosa colligit alias iustas caussas, quæ rescindant matrimonium ratum iure naturali & divino perpetuum? Sed caussas istas audiamus.

XIII. P. Sanchez *num.* 2. „ *Prima ergo causa iusta* est notabilis in qualitate dispa- „ ritas, quando scilicet contrahentes sunt notabiliter conditione impares, & affe- „ ctione cæca, & levitate quadam ducti ineunt matrimonium. “

XIV. Hac admissa doctrina, matrimonia magna ex parte contracta in fumum abeunt: & sacramentum illud magnum in Ecclesia, discordiarum, schismatum, & perturbationum materia evadit. Sed audiamus rationem huiusce caussae iustae. *Et ratio est* (inquit Sanchez) *quia matrimonium ordinatur ad mutuam amicitiam & concordiam, quae inter beatitudines refertur*. Recte & bene. Idcirco Christus Dominus ad sacramenti dignitatem matrimonium extulit, ut gratia sacramentali hanc coniugatorum benevolentiam, concordiam, & castimoniam foveret. Et quia coniugati hac divina gratia in sacramento suscepta abutentes, propria nequitia & iniquitate discordes sunt, rescindendum ne sacramentum est? Notabilis conditionis disparitas sufficiens dissolutionis caussa asseritur? Accidentaria est conditio haec substantiae & naturae contractus. Accidentariae autem diversitates sat sunt ad contractus infringendos? Affectio caeca, & levitas animi aut impedit consensum necessarium, aut secus? Si primum, nullum absque dispensatione matrimonium est. Si secundum, perperam obtruditur. Plures Poetarum auctoritates P. Sanchez ibi allegat. Ovidius in epistola Deianirae ad Herculem: *Si qua voles apte nubere, nube pari*. Euripides in Rheso: *Nolim ex potentioribus me ducere uxorem*. Cleobolus unus ex septem sapientibus aiebat: *Par pari iugato coniux: quod impar est, dissidet*. Nae isti limpidi sacrorum canonum fontes, unde dissolvendi evangelici sacramenti caussae hauriendae? Utique & canones sacri, & Leo Pontifex *epist.* lxx. suadent: *Nuptiarum autem foedera inter aequales legitima sunt*. At numquid sacri canones definiunt, notabilem conditionis, nobilitatis, divitiarum, pulchritudinis disparitatem esse iustam abrumpendi vinculi coniugalis rati caussam? Sed pergamus ultra.

XV. P. Sanchez ibi num. 3. „*Secunda causa* est gravis timor scandali magni futuri, quia id cedit in magnum damnum commune, indeque rixae graves, & neces oriri solent. Sic Felinus.. Portius.. Menochius.. ubi cum Portio addit hoc futurum scandalum esse, *ob fornicationis timorem*, eo quod coniuges valde sibi displiceant, vel ob inimicitias quae inter coniugatos, vel eorum consanguineos timentur.“

XVI. Si rixae, si dissidia inter coniugatos, si timor fornicationis futurae iusta scindendi rati matrimonii caussa sit; quodnam, quaeso, matrimonium ratum firmum stabit? Moderna corruptela marium feminarumque conversationis mutuae serpente, quam frequens, & rationabilis fornicationum, & dissidiorum timor sit, quis est qui ignoret? Nihil ergo matrimoniorum rescissione frequentius.

XVII. „*Tertia causa* est (inquit ibi Sanchez *n.* 5.) lepra alteri superveniens.. Sic Borgasius.“ Innocentius III. supra citatus negat supervenientem lepram caussam esse sufficientem istius rescissionis. Subdit P. Sanchez, impotentiam supervenientem ante matrimonium consummatum, esse quoque caussam iustam: & adducit Alciatum, & Menochium, asserentes ipsam sterilitatem esse caussam iustam dissolutionis. At, reponit Sanchez, qui fieri potest ut sterilitas cognoscatur ante consummationem?

XVIII.

XVIII. „ *Quarta causa* est (pergit Sanchez *n.* 7.) quando alter coniugatorum asse-
„ rit se non habuisse animum contrahendi. Sic Socinus senior . . Felinus . . Meno-
„ chius. " Si consensus defuit, irritum est matrimonium, nulla egens dispensatione. Probandum est defuisse consensum; & irritum tunc natura sua matrimonium est. Si vero consensum defuisse non probetur, asserenti fides habenda non est: alioquin incerta ad arbitrium coniugatorum matrimonia rata evaderent.

XIX. „ *Quinta causa* est (subdit Sanchez *num.* 8.) ut vir efficiatur Episcopus.
„ Sic Paulus Borgasius . . Sed id credo verum, quando iis dotibus esset praeditus
„ ut valde necessarium esset ad bonum commune eum in Episcopum promove-
„ ri. " Votum solemne castitatis sacro Ordini annexum haud est scindendi matrimonii rati caussa: & gradus episcopalis erit? Si coniugatus fiat Sacerdos, Parochus, Archipresbyter, sitque bono communi valde necessarius, erit ne tunc caussa sufficiens?

XX. „ *Ultima causa* est (concludit P. Sanchez *num.* 9.) mutuus coniugum con-
„ sensus. Sic Gregorius Lopez . . Medina . . Sed hanc causam non esse sufficien-
„ tem testantur multi Doctores, quos retuli disp. praecedenti num. 2. asserentes
„ non posse Pontificem ex potestate ordinaria ob mutuum contrahentium consen-
„ sum dispensare, si alia causa non subsit: & quamvis fateantur posse ex pote-
„ state absoluta, id evenit, quia credunt nullam requiri causam, ut valide dis-
„ penset, ut ibi explicui. "

XXI. Explicuit sane, probabile esse Papam posse, nulla occurrente caussa, dispensare a matrimonii rati vinculo. En quo sacramentale illud, perpetuumque matrimonii rati vinculum devenit. Plures iuris civilis, & canonici interpretes, Alciatos, Felinos, Decios, Bertachinos, Borgasios, Curtios, aliosque plures P. Sanchez adsert. Sed videndum, num isti ICti Scripturarum testimonia, & apostolicae traditionis documenta severe expenderint. Si enim id omiserint, si unus post alium abiret, si pro arbitrio, nulla solida ratione adducta, & sacra Patrum, & Conciliorum auctoritate neglecta, rem definirent; quid praesidii adversae opinioni illorum multitudo adferre possit, ceteri iudicent.

XXII. Illud altius meditandum est, qua conciliari ratione possit cum Ecclesiae doctrina haec rescindendi matrimonii rati facilitas. Propugnat Ecclesia adversus Graecos, neque fornicationis caussa dirimi matrimonium consummatum; licet Patres aliqui, & Graecorum disciplina oppositum sentiant. Docent Theologi omnes, rati & consummati matrimonii naturam & essentiam eamdem esse, copulamque carnalem accidentariam esse perfectionem. Approbatae Religionis professionem scindere matrimonium ratum, iure naturali divinoque indissolubile, Ecclesia definivit. In nullo autem Concilio hactenus alia designata talis rescissionis caussa est. Non vota castitatis, quaecumque illa sint, reputata sunt caussa sufficiens.

Quo-

Quomodo autem cum his principiis cohæreat doctrina P. Sanchez, Borgasii, Bertachini, Alciati, Felini, Tiraquelli, Barbosæ, & aliorum plurium Canonistarum, ingenii mei tenuitas sane non percipit. Desudant Theologi, ut matrimonii indissolubilitatem propugnent adversus tum Græcos, tum Protestantes. Et postea tanta eiusdem rescindendi facilitas invehitur? Falluntur, meo quidem iudicio, Canonistæ illi, & nonnulli alii recentiores, si credunt, tanta dispensationum futilitate pontificiæ potestatis confinia amplificare. Potestas hæc firma, certa, & inconcussa est, & nonnisi certis firmisque fundamentis nititur. Arbitrariis opinionibus, quæ nullum in sacra traditione fundamentum habent, illa non eget. Ex præfatis opinionibus ansam Novatores arripiunt eidem insultandi.

XXIII. Opponunt. Alexander III. in *append.* Concil. Lateran. *part.* VI. *cap.* XXVI. concedit dissolvi rata sponsalia: & rursus *part.* XII. *cap.* IV. iubet, coniugium ratum, initum cum filia mulieris quam postea vir cognovit, dissolvi, si crimen sit publicum; secus, si occultum. In primo casu loquitur Pontifex de solis sponsalibus, inquiunt secundæ opinionis assertores. In secundo non de solutione contracti matrimonii, sed de cohabitatione sermo est. Et tria ad Episcopum Pictaviensem respondet. 1. quod, si occultum crimen sit, non separentur, cum publice contractum sit, neque quoad torum, nedum quoad vinculum. 2, Si crimen est publicum, nempe quod cognovit matrem sponsæ, non tamen sponsam, dispensat ut possit aliam ducere, & illa alium, post mortem alterius coniugis. Huc recidit dispensatio, quod rigorem disciplinæ, quæ coniugi reo in criminis pœnam etiam post mortem coniugis, vetitæ nuptiæ erant, temperet. 3. *Ceterum* (concludit Pontifex) *si sponsam cognovit, antequam matrem, vel post, numquam poterit eam, vel aliam in uxorem accipere.*

XXIV. Quod opponunt de Gregorio II. ex epistola XIV. ad Bonifacium, nullum facessit negotium contrariæ sententiæ defensoribus. Quoniam ibi sermo est de muliere impedimento dirimente irretita. Similiter perperam obtruditur Cælestinus III. vel, ut alii volunt, Clemens III. qui putavit matrimonium dissolvi propter alterius coniugis hæresim. Nam Innocentius III. cap. *Laudabilem* de conv. infid. declarat neque propter hæresim dissolvi matrimonium posse: idque definivit Concilium Tridentinum *sess.* XIV. *can.* V.

XXV. Insistunt, Pontifices dispensare a voto & simplici, & solemni, quamvis sit divini iuris. Ergo etiam dispensare a vinculo matrimonii valent. Resp. Convenit penes Theologos maiorem in votis quam in matrimonio dissolvendis datam esse Ecclesiæ potestatem. De voto simplici nulla est difficultas; cum perpetua traditio, & disciplina faveat. Ad votum solemne quod attinet, negant graviores Theologi Pontificibus ab eodem dispensandi facultatem. Admissa vero opposita opinione, Pontius *Lib. IX. cap.* III. *num.* 16. respondet. *Quod vero attinet ad dispensationem*

nem voti solemnis, redditur facile diversitatis ratio: quia in professione fit etiam traditio Religioni, quam acceptat Prælatus, & eo non acceptante non obligant illa vota; quorum fundamentum est traditio: cumque Pontifex sit Ordinarius, cui etiam tamquam Religionis Superiori fit traditio, eam traditionem potest reiicere, eaque reiecta, cessat obligatio status Religionis in illo. Hæc pauca historice delibasse sufficiat pro utraque sententia, proprio omnino iudicio suppresso. Et hoc in sensu intellecta volo, quæ *Tom. VI. diss.* VI. *cap.* V. *§.* 2. *num.* 3. *pag.* 476. *& seq.* obiter de præfata dispensatione a matrimonii rati vinculo scripsi. Quare quisque in suo sensu abundet, & quam ex duabus opinionibus probabiliorem iudicaverit, amplectatur.

§. VIII.

Utrum matrimonium Christianorum ratum & consummatum per ingressum in Religionem solvatur.

I. QUæst. I. *Matrimonium consummatum dirimitur ne per Religionis professionem?* Resp. Negant communiter Theologi omnes. Quoniam Ecclesia solum matrimonium ratum solvi per professionem monasticam declaravit. Testimonia Scripturarum quæ indissolubilitatem matrimonii declarant, nullam admittunt exceptionem respectu matrimonii consummati. Iustiniani lex 56. Codicis *tit.* 111. *de Episcopis* &c. qua indiscriminatim facultas conceditur coniugatis *ad meliorem vitam migrandi*, legi divinæ adversatur, ut ait S. Gregorius Magnus *Lib.* XI. *epist.* IV. Si unus coniux in crimen adulterii labatur, potest alter, reo invito, continentiam vovere, vel ingredi Religionem: quia divortium perpetuum licitum est, etiam reo coniuge, qui ius ob adulterium perpetratum amisit, invito. Hac divortii perpetui caussa sublata, neuter, altero invito, vovere continentiam iure valet, sive voto simplici, sive solemni. Si unus, altero invito, Religionem profiteretur, professio nulla esset. Si revocatus exiret, non teneretur absolute ad Religionem redire, etiam mortuo coniuge: quia professio nulla fuit. Hortandus tamen esset ut rediret, & professionem redintegraret. Si post professionem coniux consensum præstaret, non propterea valida professio evaderet; sed instauranda esset. Qui in sæculo mansit, non potest Monasterium ingredi, invito coniuge qui invalide professus est. Quoniam per professionem suapte natura irritam ius non amisit impediendi ne, se invito, alter Religionem ingrediatur. Invalide professus resilire valet, etiamsi coniux manens in sæculo adulterium committat: quia reus, non innocens, ius perdit cohabitationis. Licentia ex metu cadente in virum constantem data non sufficit ad validam professionem alterius coniugis.

II.

II. Quæst. II. *Quæ requiruntur ut post consummatum matrimonium unus coniux amplectatur Religionem* ? Resp. Requiritur necessario consensus coniugis remanentis in sæculo. Si coniux qui in sæculo manet, senex sit, emittat oportet castitatis votum. Si iuvenis, ingredi Religionem debet; ut statuitur cap. *Cum sis* de convers. coniug. ubi hæc habentur. *Prohibemus ne virum, vel uxorem (nisi uterque ad Religionem migraverit) transire permittas. Verum si ita uxor senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut, ea in sæculo remanente, & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir.* Qui consentiente altero coniuge profitetur, valet professio, etiamsi qui remanet, votum non emittat, si senex sit; aut Religionem non amplectatur, si iuvenis fuerit. Contra ius tamen ageretur. Quare ante professionem omnia præstanda sunt quæ a iure præscribuntur. Qui manet in sæculo, votumque emisit, non potest datam licentiam revocare. Si votum non emisit, essetque incontinentiæ periculum, graves Theologi docent esse revocationi locum.

III. Quæst. III. *Potest ne maritus, consentiente uxore, post consummatum matrimonium initiari sacris Ordinibus?* Resp. Maritus sive ante, sive post consummationem matrimonii non potest, invita uxore, ad sacros Ordines transire: quia, ut diximus, Ordo sacer non irritat matrimonium, ut habetur cap. *Coniugatus*. Si autem vir, uxore invita, sacros Ordines susciperet, reddere, non petere deberet, & maneret irregularis. Consentiente uxore, vir suscipere sacros Ordines valet, dummodo ipsa Religionem approbatam profiteatur, ut statuitur cap. *Sane* de convers. coniug. ubi Alexander III. inquit: *Prohibemus ne uxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumat.*

IV. Quæst. IV. *Quid requiritur ut matrimonium consummatum dicatur?* Resp. Aliqui dicunt, sat esse vasis penetrationem absque seminis effusione. Alii communiter requirunt immissionem seminis in vas mulieris: quæ sententia probabilior est. Alii requirunt ut etiam ipsa femina semen effundat; sed probabilius hoc non requiritur. Disputant quoque, num satis sit ut semen virile ope dæmonis in mulieris vas immittatur, absque vasis feminei penetratione. Affirmant Sanchez, Filliucius, Villalobosius. Alii negant. Hoc mihi incertum est. Absolute necessaria est vasis penetratio cum seminis effusione. Copula habita ante matrimonium non sufficit ad matrimonii consummationem, quæ per copulam matrimonialem, non per fornicationem perfici debet.

CA-

CAPUT IX.

De divortio coniugatorum.

I. DIvortium differt a repudio, quod istud communiter pro vinculi dissolutione, illud vero pro tori separatione accipiatur. Lutherani, qui ex quacumque gravi caussa dirimi matrimonium posse adfirmant, negant, manente matrimonii vinculo, separationem quoad torum licitam esse. Quem errorem *sess.* XXIV. *can.* VIII. proscripsit Tridentinum. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum, seu quoad habitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit*. Et disciplina constans obtinuit in Ecclesia, & in ipsa Scriptura sacra perspicue traditur: siquidem *I. Cor.* VII. dicitur: *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Duo hic habentur: alterum, per divortium, seu discessum vinculum coniugale non abrumpi; alterum, licitum divortium esse.

II. Quæst. I. *An in utroque coniuge ius divortii adulterii caussa par sit?* Resp. Sententia adfirmans certa est: quia in iis quæ ad torum attinent, utriusque coniugis iura paria sunt: & sicut vir potestatem in uxoris corpus, ita mulier in mariti corpus potestatem habet; ut docet S. Thomas in *Suppl. quæst.* LXII. *art.* 4.

III. Quæst. II. *Quid iuris habeat coniux innocens, & nocens post factum divortium?* Resp. Coniux innocens aut vovere continentiam, aut ingredi Religionem potest, invito reo. Reus autem non potest statum suum mutare vovendo continentiam, aut Religionem profitendo, quamdiu innocens coniux ius retinet illum revocandi. Si tamen innocens coniux sciens non contradicat, valet mutatio status facta a coniuge reo. Si iudicis sententia detrusa femina rea fuerit in Monasterium, biennium conceditur innocenti, ut deliberet, si velit feminam repetere: & intra hoc biennium professio feminæ nulla est; valida vero illo elapso. Nec est quod reponas, hanc dimissionem sceleribus occasionem aperire. Immo istius dimissionis timor coniugibus in ordine retinendis inservit. Si, inflicta separationis pœna, flagitia coniuges perpetrant, ex illorum nequitia, non ex dimissione, illa proficiscuntur.

IV. Quæst. III. *Quibus in casibus licitum est divortium inter christianos coniuges?* Resp. I. Licitum est ex utriusque coniugis consensu studio sanctioris vitæ. *Matth.* IX. habetur: *Omnis qui reliquerit domum .... aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet*. II. Fieri divortium potest ob adulterii crimen. III. Immoderata sævitia iusta est divortii caussa; ut Innocentius III. cap. *Litteras* de restitut. spoliat. statuit. *Si tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens*

ficiens securitas provideri, *non solum non debet illi restitui*, *sed ab eo potius amoveri*. Expectanda ne est iudicis sententia? Si sævitia publica, & manifesta omnibus sit, ut negari nequeat, discedere innocens coniux valet, non expectata iudicis sententia. Si vero occulta quodammodo sævitia sit, & nota solum innocenti, & paucis aliis, separare se uxor a toro potest, secus discedere a domo ante iudicis sententiam. Ita docet S. Thomas in *IV. dist.* xxxv. *quæst.* II. *art.* 3. Spectandæ tamen circumstantiæ sunt: nam si esset periculum in mora, tunc mulier omni meliori modo cavere sibi posset. IV. Si subversionis periculum uni coniugi immineat ex cohabitatione, non modo licitus, sed necessarius discessus est: inquit enim *Matth.* XVIII. Christus: *Si oculus tuus scandalizat te*, *erue eum*, *&* *proiice abs te*. Si vero nullum instet subversionis periculum, neque sollicitationis ad malum, discessus licitus non est; quamvis sceleribus coniux obnoxius sit. V. Si alter coniugum a fide defecerit; ut in *Supplem. quæst.* lXII. *art.* I. *ad* 3. S. Thomas docet.

V. Quæst. IV. *Cur Christus solius fornicationis meminit in caussa divortii?* Resp. Duæ assignari rationes solent. Una, quod fornicatio directe fidei coniugali, & ipsius matrimonii substantiæ adversetur. Cetera crimina sunt separationis caussa omnibus societatibus: servus a domino, filius a patre, frater a fratre, quando ex convictu, & cohabitatione imminet grave periculum hæresis, subversionis ad malum, percussionis &c. separari valent. At propter fornicationem nec filius patrem, nec famulus dominum dimittere valet. Altera ratio est, quia propter adulterium divortium perpetuum fieri potest, secus ob alia crimina. Christus de divortio perpetuo loquitur in Evangelio, quia consentanee ad interrogata Pharisæorum respondet. Iudæi autem in more habebant libellum repudii, quod erat perpetuum. Non licere autem hoc perpetuum divortium, nisi fornicationis caussa, Christus respondit. Si de aliis criminibus coniux pœnitentiam agat, & serio resipiscat, innocens tenetur pœnitentem acceptare. Propter adulterium autem in perpetuum negare debitum potest.

VI. Quæst. V. *Quot sunt casus in quibus ob fornicationem licitum divortium non est?* Resp. Septem S. Thomas in *Supplem. quæst.* lXII. *art.* I. assignat. I. Maritus non potest ab uxore fornicante separari, si ipse similiter fornicatus sit. 2. si ipse uxorem prostituerit. 3. si uxor, probabiliter virum suum mortuum credens, propter longam eius absentiam, alteri nupserit. 4. si latenter cognita ab alio fuerit, sub specie viri lectum subintrante. 5. si fuerit vi oppressa. 6. si adulterii conscius uxorem recognovit carnaliter. 7. si, matrimonio in infidelitate contracto, vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupserit: tunc, si uterque convertatur, tenetur eam vir recipere. Tunc enim vir caussam præberet uxori fornicandi, si debitum pertinaciter denegaret; & ob hanc fornicationis caussam dimittere

eam

eam nequit. Si autem post pœnitentiam, & mutuam reconciliationem unus perseveret in adulterio, dimitti ab altero potest.

VII. Quæst. VI. *Quid nomine fornicationis intelligatur?* Resp. Omnis illicitus concubitus. Quare S. Thomas in *Suppl. quæst.* lxii. *art.* 1. *ad* 4. docet sodomiam iustam esse divortii caussam.

VIII. Quæst. VII. *Voluntas adulterandi, tactus, oscula, amplexus, pollutio sunt ne divortii caussa?* Resp. Quod sola voluntas adulterandi non sufficiat ad divortium, certum est. Immo probabilior sententia est, non sufficere amplexus, oscula, tactus impudicos cum animo adulterandi. Ad pollutionem cum tertia persona habitam quod attinet, non videtur caussa sufficiens divortii perpetui: quia non est carnis divisio. Si vir cum uxore pollutionem perpetret, ipsa renuente; hæc separare se poterit, donec resipiscat, ut peccatum declinet.

IX. Quæst. VIII. *An copula naturalis absque seminis effusione intra vas sit sufficiens divortii caussa?* Resp. Negant Leander, Sanchez, Filliucius, Castropalaus, & alii. Sed contraria sententia communis, & vera est, quam, teste Leandro, defendunt S. Thomas, S. Bonaventura, Durandus, Paludanus, Soto, Ledesma, Vega, Sylvester, Bonacina, Henriquez, & alii plures.

X. Quæst. IX. *An detur compensatio, si coniugum alter adulteretur, alter sodomiam, aut bestialitatem committat?* Resp. Adfirmans sententia probabilior est. Nam sodomia crimen sufficiens est ad divortium. Ergo sicuti dum ambo coniuges fornicationis rei sunt, datur mutua compensatio; ita admittenda est compensatio quando alter sodomiæ, alter adulterii reus est.

XI. Quæst. X. *An coniux qui unum adulterium patravit, possit discedere ab altero qui pluries adulteravit?* Resp. Adfirmant nonnulli Canonistæ, quos citat Leander *quæst.* xvi. Sed hæc opinio communiter improbatur. Quia caussa divortii adulterium est, non adulteriorum multitudo. Unico adulterio fides frangitur. Repetita adulteria crimina multiplicant. At iura fidei fractionem spectant.

XII. Quæst. XI. *An coniux secretus adulter, possit petere divortium a coniuge adultero publico?* Resp. Sententia negans communis, & vera est. Quoniam divortium conceditur in pœnam rei, & in favorem innocentis. Qui secreto adulterat, revera reus est. Ergo petere divortium nequit. Disputant vero Auctores, peccet ne venialiter adulter occultus petens divortium ab adultero publico, an mortaliter? Pugnant in utramque partem. Verum probabilior sententia videtur hunc peccare mortaliter. Nam si caussa iusta petendi divortii deest, sicuti deesse communis sententia adfirmat, læditur ius alterius coniugis in re gravissima. Ergo culpa gravis est.

XIII. Quæst. XII. *An coniux innocens negare debitum possit coniugi adultero ante sententiam iudicis?* Resp. Adfirmat communis sententia, dummodo coniux inno-

cens

cens certus moraliter sit de perpetrato adulterio. Quoniam coniux reus per adulterium ius amisit petendi debitum. Ergo iuste illud negare innocens valet. Si tamen innocens coniux per iudicis præceptum, aut excommunicationem compellatur reddere, tum parere deberet; ut graviores Theologi docent.

XIV. Quæst. XIII. *An coniux innocens possit propria auctoritate ante iudicis sententiam a coniuge adultero discedere?* Resp. Adfirmat Leander *quæst.* xl. ubi citat Laymanum, Bonacinam, Villalobosium, & alios. Sed sententia negans communis, & vera est, quam docet S. Thomas in *IV. dist.* xxxv. *quæst. unic. art.* 3. eique subscribunt graviores Theologi. Si enim in arbitrio coniugum posita divortia essent, innumera consequerentur absurda. Præterea contractus publicus nonnisi auctoritate publica rescindi potest. Et quamvis in divortio non dissolvatur matrimonii vinculum, rescinditur tamen cohabitationis contractus.

XV. Quæst. XIV. *Obstringitur ne coniux divortium cum uxore adultera facere?* Resp. Tenetur, nisi resipiscat; ut ex Scriptura colligitur. *Prov.* xviii. dicitur: *Qui tenet adulteram, stultus est, & impius.* Item cap. *Si vir* de adulteriis hæc præscribuntur. *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps.* Rursus cap. *Si quis uxorem* xxxii. quæst. i. maritus qui cum uxore adultera cohabitaverit, tribus annis pœnitentiæ subiicitur. Si tamen resipiscat, & pœnitentiam egerit, poterit eam recipere. Adulterium perpetui divortii caussam præbet: neque innocens absolute uxorem adulteram recipere tenetur. Tamen debito honestatis & caritatis tenetur quandoque iuri suo cedere; ut si dimissa, peracta pœnitentia, in magno damnationis periculo versaretur non revocata. En S. Augustini *Lib. II. de adult. coning. cap.* vi. verba. *Quod autem tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur coniugi coniux, si fides adsit, non erit durum ... Hæc crimina in veteri Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ in novo testamento in sanguine Christi mundantur: & ideo tunc omni modo prohibitum est ab alio contaminatam viro recipere uxorem; quamvis David Saulis filiam, quam pater eiusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tamquam novi testamenti præfigurator sine cunctatione receperit. Nunc autem postquam Christus ait adulteræ:* Nec ego te condemnabo: vade, deinceps noli peccare: *quis non intelligat, debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec iam se debere adulteram dicere, cuius pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum?*

XVI. Convenit penes omnes, non esse eamdem in uxore obligationem viri dimittendi. Uxor enim in adulterium viri consentire non præsumitur, cum impedire illud nequeat. Neque enim mulier corripere, & coercere virum, sicut vir mulierem potest. Præterea non eadem incommoda imminent cohabitationi uxoris cum viro adultero, nempe incertitudo prolis, & falsi heredis successio. Et tandem

dem perquam raro maritus adulter ex feceſſione uxoris corrigitur. Si tamen ex divortio mariti adulteri probabilis correctionis ſpes haberetur, tunc uxor innocens diſcedere ab eo deberet. Deſiderium prolis ſuſcipiendæ interdum efficere poteſt ut divortium, mariti correctioni inſerviat.

XVII. Quæſt. XV. *Uter coniux gravius peccet?* Reſp. Duo ſunt in adulterio crimina, impudicitiæ, & iniuſtitiæ. Si impudicitia ſpectetur, gravius eſt in viro quam in muliere adulterium, inquit *Lib. II. de adulterinis coniugiis cap.* VIII. S. Auguſtinus. *Sed cum eis dicimus, non ſolum nihil volunt detrahere ſeveritati, ſed iraſcuntur inſuper veritati, & loquuntur, atque reſpondent: Sed nos viri ſumus. An vero ſexus noſtri dignitas hanc ſuſtinebit iniuriam, ut cum aliis feminis præter uxores noſtras, ſi quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quaſi non propterea magis debeant illicitas concupiſcentias viriliter frenare, quia viri ſunt; quaſi non propterea magis debeant mulieribus ſuis ad virtutis huius exemplum ſe præbere, quia viri ſunt; quaſi non propterea minus debeant a libidine ſuperari, quia viri ſunt; quaſi non propterea minus debeant laſcivienti carni ſervire, quia viri ſunt. Et tamen indignantur, ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris feminis pœnas; cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere feminas. Chriſtianis equidem loquor, qui fideliter audiunt:* Caput mulieris vir: *ubi ſe agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere. Ideo cavendum viro illac ire vivendo, qua timet ne uxor ſequatur imitando. Sed iſti quibus diſplicet ut inter virum & mulierem par pudicitiæ forma ſervetur . . . legant quid Imperator Antoninus, non utique Chriſtianus, de hac re conſtituerit* &c.

XVIII. Ad iniuſtitiam quod attinet, uxor adultera longe ſceleſtius crimen perpetrat: quia & proli, cuius incertum patrem efficit, & marito, cui incertum heredem ſubſtituit, iniuriam, & detrimentum maximum irrogat. Tandem in communi exiſtimatione vir ex mulieris adulterio ſumma reſpergitur infamia, & cornutus appellatur; femina vero ex viri adulterio vix famæ læſionem patitur. Quamobrem in adulterium uxoris ſeverius animadvertunt civiles leges.

DISSERTATIO II.

DE SPONSALIBUS.

CAPUT I.

Quid sint sponsalia, & quæ eorum conditiones.

I. QUæst. I. *Quomodo definiantur sponsalia?* Resp. Sponsalia interdum pro matrimonio rato usurpantur. Quare duo sponsalium genera a Scriptoribus accipiuntur: alia de præsenti, quibus ius in proprium corpus alteri alter permittit: alia de futuro, quibus nulla fit actualis donatio, sed mera promissio. Hæc promissio arrhis & munusculis confirmari solet: & hæc dona sponsalia quoque appellari consuescunt. Sponsalia a verbo *spondeo* suam repetunt originem.

II. Verum his missis, usus obtinuit ut sponsalium nomine, de quibus in præsentia sermo est, intelligatur promissio de futuro matrimonio. Sponsalia hæc sic definiuntur: *Futuri matrimonii promissio mutua, & libera, externis signis expressa, obligationem pariens.* Dicitur *mutua*, quia una pars non præsumitur se velle obstringere, nisi altera pars acceptet, & repromittat. *Libera*, ut intelligatur exclusa coactio, & gravis metus. *Signis externis expressa*. Hæc particula significat non sufficere actus internos, sed debere externis verbis, aut signis promissionem manifestari. *Obligationem pariens*. Duplicem pariunt obligationem sponsalia, naturalem, & canonicam. Iure quippe naturali stare quisque promissis legitimis & acceptatis tenetur sub peccato mortali, si materia gravis sit. Sponsalia autem sunt in materia gravissima; propterea peccat, & quidem graviter, qui sine caussa ab iisdem resilit; ut docet S. Thomas in *IV. dist.* XXVII. *art.* I. Canonica obligatio impedimentum publicæ honestatis inducit, quo sponsi inhabiles fiunt ad contrahendum cum alterutrius consanguineis, & affinibus in primo gradu.

III. Disputant recentiores, an contrahi sponsalia sub obligatione tantum veniali possint. Adfirmat Sanchez. Sed hæc opinio falsa est. Utique promittere sibi possunt sub pœna amittendi arrhas, & etiam sub nulla obligatione, vel sub obligatione veniali tantum; sed hæc non essent sponsalia, sed arbitrariæ promissiones: sponsalia enim contracta iuxta ritum Ecclesiæ, contrahendi futuri matrimonii inducunt gravem obligationem, & impedimentum publicæ honestatis.

IV. Quæst. II. *An promissio facta absenti ante eius acceptationem obliget?* Resp. Sententia negans vera est. Nulla quippe promissio gratuita absolute obligat ante acceptatio-

ptationem. Quare licite revocari ante acceptionem potest quæcumque promissio futuri matrimonii.

V. Quæst. III. *Sufficit ne ad valorem sponsalium acceptatio promissionis sine repromissione alterius partis?* Resp. Alii adfirmant, negant alii. Et sententia negans mihi probabilior est. Acceptatio enim alterius fidei datæ non est obligatio propriæ. Ad valorem itaque sponsalium requiritur mutua promissio. Quare qui promisit, resilire a promissione acceptata posset, quando facta non fuisset repromissio. Invalida quippe essent tunc sponsalia. Si invalida, ergo nullam pariunt obligationem. Utique a promissione acceptata recedi nequit, quando altera pars repromittit. At si pars non repromittit, nulla sponsalia sunt: quia ad istorum valorem necessaria repromissio est.

VI. Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* I. *punct.* 2. *num.* 15. Duas super hac difficultate referunt sententias. Prima contendit, stare non posse acceptationem sine repromissione saltem implicita. Altera negat in acceptatione includi repromissionem. Huic adhærent illi; sed utramque probabilem vocant, & in praxi tutam. Verum si una est vera, altera falsa est. Ergo utraque in praxi tuta esse nequit. Sola ergo verisimilior, quæ est secunda, amplectenda est. Falsum est quod ibidem *num.* 19. & 20. subdunt Salmanticenses, nempe promittentem manere obligatum vi promissionis acceptatæ. Utique in alia quacumque materia promissio acceptata obligat. At cum natura sponsalium essentialiter sita sit in promissione mutua, quoties deest mutuus consensus, sponsalia nulla sunt, ut diximus supra. Ergo nullum obligationis vinculum. Nec est quod reponas, manere obligationem vi promissionis simplicis factæ, & acceptatæ. Nam hæc est mera verborum illusio. Sermo ne nunc est de promissione generica & abstracta? Disputatur nunc de promissione ad sponsalium valorem necessaria. Hæc autem practica promissio absque repromissione consistere nullo modo valet.

VII. Quæst. IV. *Quæ intentio requiritur in contrahendis sponsalibus?* Resp. Ea intentio, & animi deliberatio requiritur quæ in quocumque contractu necessaria est. Requiritur ergo animus deliberatus celebrandi sponsalia iuxta Ecclesiæ ritum. Distinguunt Auctores intentionem promittendi, se obligandi, & adimplendi promissum. De hac promissionum diversitate & *Tom. III.* de voto, & *Tom. VII.* de promissione, satis superque dictum est. Convenit penes omnes, hos fictos promissores peccare, & quidem mortaliter; cum proximum decipiant in re gravissima. Rursus in foro exteriori hæ fictæ promissiones nihil suffragantur. Nihil ergo emolumenti præter malitiam fraudulenti promissores percipiunt.

VIII. Quæst. V. *Qui, facta promissione futuri matrimonii, virginem deceptam deflorat, tenetur ne eam ducere, an solum dotem dare?* Resp. Negant aliqui obligationem eam ducendi, satisque esse volunt eidem dotem præbere. Quoniam, in-

quiunt, non tenetur ratione promissionis fictæ, sed solum ratione damni illati, quod reparari dote valet.

IX. Altera sententia docet, hunc promissorem absolute obstringi ad eam desponsandam, nisi indicia probabilia adsint, quod virgo decipi voluerit. Ita S. Thomas in *IV. dist.* XXVIII. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 4. docet. *In tali casu sponsus, antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere uxorem, si sint æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, iam factus est impotens ad solvendum illud ad quod tenebatur: & ideo sufficit, si ei de nuptiis providerit: & ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt; si sponsus sit multo melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit: quia præsumi probabiliter potest quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.* Duo communiter Theologi advertunt. Unum, quod quando sponsi non sint disparis conditionis, fraudulentus promissor, & deflorator teneatur defloratam virginem ducere, nec satis sit eam dotare. Quoniam in contractu oneroso id quod promittitur, præstandum est; nec sufficit tantumdem alterius generis reddere. In contractu sponsalium virgo deflorata promisit & dedit proprii corporis usum. Ergo eumdem corporis usum dare fictus promissor obstringitur. Nec est quod reponatur, hoc solum habere locum, quando sincera promissio est. Quoniam ex iustitia uterque tenetur sincere contrahere. Id præstitit virgo deflorata. Ergo ad id tenetur qui ficte promisit. Alterum. Si promissor sit valde nobilis, plurimumque superioris conditionis, tum non astringitur eam ducere; sed sat est eidem de nuptiis providère, dote statui defloratæ congrua soluta. Quoniam præsumitur, & quidem iure, virginem voluisse decipi, quando cognovit valde notabilem conditionis disparitatem. Si hanc disparitatem seducta ignoravit, & fide bona credidit promissorem esse paris conditionis; tum absolute loquendo fictus promissor teneretur eam ducere. Si tamen rixæ, inimicitiæ inter promissoris parentes, & scandala oritura præviderentur; tum sat esset eam dotare. Sibi enim imputare virgines debent damnum quod patiuntur. Nec enim eas latet, quanto periculo se se exponant, dum ante contractum matrimonium deflorari patiuntur. Hæc communia sunt.

X. Si id quod ipse sentio, proferre mihi licet, dico, in praxi vix contingere ut virgines istæ vi & coacte deflorentur. Una *Lucretia* fuit, quæ veluti prodigium coniugalis castitatis, & fidelitatis celebratur. Posteriores Lucretiæ tam raræ sunt, quam insolita sunt prodigia. Virgines revera tales, solitudinis, pudoris, modestiæ præsidio munitæ, arces sunt inexpugnabiles, quas nec procacissimi, nec petulci adolescentes pertentare vel obsidere audent. Sat est ut puellæ a virorum, iuvenumque commercio abstineant; & dum necessitate cogente prodire in publicum urgentur, modestia, verecundia, & pudica gravitate clausis arcis ianuis, nempe sensibus, incedant. Vel unam ex millibus huiusce generis defloratam invenies. Verum fictitiæ

fictitiæ & chimæricæ Lucretiæ hodiernæ illæ ipsæ sunt quæ arcis fores aperiunt, oculorum ictus iaculantur, amasios venantur, & mirificis illiciis invitant, provocant, instigant. Cum vident miseros adolescentes, æstu libidinis despumantes, & impudico amore captos, tum omnia muliebria præstigia adhibent., elegantiorem venustatem stibiis, fucis, & lenociniis ementitam ostentant. Non industriæ, non versutiæ, non fraudi parcunt, ut magis magisque amatorculos suos excantent. Cum vero miseri adolescentes, tot technis, & artificiis seducti, ingredi arcem pertentant; tum vafræ Lucretiæ fraudulentam iactant repugnantiam, quæ non resistit, sed potentius invitat provocatque, ut in laqueum promissionis futuri matrimonii adolescentes incidant. Hæ sunt quæ familias perturbant, quæ dissidia, inimicitias, homicidia, & funestissima dissidia pariunt.

XI. Quænam huic malo opportuna medicina? Lex ferenda esset, quæ eiusmodi defloratas ad perpetuam. pœnitentiam in cinere & cilicio adigeret. Si prima Lucretia indignam se Solis luce reputavit, sibique iniquam mortem conscivit: eiusmodi fictæ Lucretiæ ineptæ ad matrimonium declarentur, nullæ istarum nuptiæ definiantur. Lege lata, omnes ementitæ Lucretiæ evanescerent e mundo. Raptus & deflorationes revera violentæ, quæ rarissimæ erunt, severissime puniantur. Quemadmodum autem viri raptores gravissime plectuntur; ita severe castigari iure merentur mulieres raptrices, quæ non vi corpori adiecta, sed illecebrarum, & illiciorum præstigiis homines infatuant, ac veluti versutæ, & vaferrimæ syrenes ad se pertrahunt amasios suos. Lex ista conformis esset matrimonii christiani sanctitati. Quid? Apti ne in lege evangelica ad magnum sacramentum celebrandum erunt qui stupris, fornicationibus, & fœdissimis spurcitiis canum & porcorum more corpora, & animas prius deturpant? Si aureis Ecclesiæ sæculis unum fornicationis peccatum plurium annorum intervallo austerissima pœnitentia castigabatur; quid huic disciplinæ conformius quam legem ferre quæ ad plangendam amissam virginitatem eiusmodi mulierculas adigat? Tanta est hodie feminarum impudentia, & procacitas, ut nisi aliqua severa lege coerceatur, omnia ad malorum extrema deventura sint.

XII. Quæst. VI. *Quibus verbis contrahenda sunt sponsalia?* Resp. Aliquo exteriori signo celebranda sunt sponsalia, verbis nempe, aut signis mutuum consensum prodentibus. Homo enim cor non intuetur, sicut Deus; cui si promissio solo actu interno fiat, valida est. Inquiritur ergo, quæ verba sufficiant ad sponsalia contrahenda. Non esse aliquam verborum, aut nutuum formulam præscriptam necessario servandam, convenit penes omnes. Ea ergo verba sufficiunt quæ internam voluntatem celebrandi revera sponsalia exprimunt. Porro hæc verba, *Propositum mihi inest, voluntatem habeo talem ducendi*, non sufficiunt: quia solum significant voluntatem aliquid faciendi, non obligationem contractus initi. Quare necessaria sunt ver-

verba quibus exprimatur contractus hic & nunc celebrandi obligatio, ut ſunt hæc: *Promitto, me obligo: in fide mea te ducam: proditor, infidus, infamis ſim, niſi tecum matrimonium celebravero*. E contrario hæc verba: *Non ducam aliam quam te, non aliam a te* &c. efficiunt ſolum ſenſum conditionatum; nempe, ſi aliquam duxero, tu eris illa. At non heinc ſequitur ut neceſſario ducere illam debeat; ſed abſtinere a matrimonio poteſt. Ex circumſtantiis tamen definienda hæc ſunt. Similiter de taciturnitate dicendum eſt. Taciturnitas abſolute non eſt ſufficiens dati conſenſus fundamentum. Regula, *Qui tacet, conſentire videtur*, valet tantum in favorem proprium, ſecus ad onus ſubeundum. Tunc enim valet alia regula: *Qui tacet, nec conſentire, nec diſſentire videtur*. Traditio autem proprii corporis in alterius poteſtatem non eſt in favorem, ſed in gravamen. Quando tamen pudorem & verecundiam in ceteris omnibus ſervent, præſumi poteſt quod tacentes modeſte exprimant conſenſum ad futurum ſacramentum celebrandum.

XIII. Quæſt. VII. *Poſſunt ne celebrari ſponſalia ſolis ſignis, verbis omiſſis?* Reſp. Abſolute verba adhiberi debent. Ceterum iuxta nationum diverſitatem ipſa ſigna verborum loco uſurpari queunt. Alicubi immiſſio anuli in digitum, aut appenſio torquium ad collum, aut traditio, & acceptatio arrharum, munerumque pro ſignis ſufficientibus ad ſponſalia celebranda habentur.

XIV. Quæſt. VIII. *Quando matrimonium contractum nullum eſt ob aliquem defectum ſubſtantialem, valet ne ſaltem ſub ratione ſponſalium?* Reſp. Puberes contrahunt matrimonium clandeſtine, quod poſt Concilium Tridentinum nullum eſt. Diſputant Auctores, validum ne ſit ſaltem in ratione ſponſalium. Sunt qui affirmant; ſed communis & vera ſententia negat. Quandoquidem dum contractus quicumque omnino nullus eſt, nullam parere obligationem valet. Concilium Tridentinum omnino irritavit matrimonium clandeſtinum. Ergo nullam parere obligationem poteſt. Nec eſt quod opponas, contractum valere, ſin ut ſit, ſaltem ut fieri poteſt. Quoniam tum id verum eſt, quando contractus laborat aliquo tantum defectu accidentali ex parte cauſſæ efficientis; ſecus, quando defectus eſt ſubſtantialis ipſam formam eſſentialem contractus auferens, & quando illi contractui ius non reſiſtit, contractum prohibendo, & irritando. Matrimonio autem clandeſtino deficit ſolemnitas, tamquam eiuſdem forma ſubſtantialis, a Tridentino præſcripta.

XV. Quæſt. IX. *Quæ libertas neceſſaria eſt ad ſponſalia contrahenda?* Reſp. Dictum eſt in ipſa ſponſalium definitione, libertatem requiri immunem a coactione, & a metu cadente in virum conſtantem. Heinc inſani, amentes, ebrii, infantes uſu rationis carentes contrahere ſponſalia nequeunt. Diſputant Auctores, num ſponſalia ex metu cadente in virum coſtantem celebrata, ſint natura ſua invalida ante, an vero poſt iudicis ſententiam. Opinio probabilior eſt, eſſe ipſo facto irrita:

rita:

rita: quia licet metus non tollat voluntarium; tamen quando ius irritum contractum absolute declarat, contractus ipso facto nullus est. Atqui in cap. *Ex litteris* de sponſ. impub. ſponſalia eiuſmodi nulla & irrita declarantur, ut contraria publicæ utilitati. Ergo nulla ſunt, etiamſi iuramento firmata eſſent: quia iuramentum firmare rem iure prohibitam, tamquam adverſam publicæ utilitati, boniſque moribus, nequit.

XVI. Quæſt. X. *Si impedimento ligati contrahant ſponſalia conditionata, ſi Papa diſpenſaverit, valida ne ſunt?* Reſp. Sponſalia alia abſoluta, alia conditionatæ. De conditionum quæ apponi ſponſalibus poſſunt, varietate ſupra locuti ſumus, ubi explicatum eſt, quæ ſint conditiones honeſtæ, quæ turpes, & pro non adiectis habendæ, dum de conditionato matrimonii conſenſu ſermo fuit. Super propoſita quæſtione convenit penes omnes, nulla eſſe ſponſalia, ſi Papa ſuper tali impedimento diſpenſare non ſoleat: quia tum conditio ut impoſſibilis reputatur. Similiter, ſi diſpenſare ſoleat, & in hoc caſu non ſit iuſta diſpenſandi ratio; invalida ſponſalia ſunt. Quando vero diſpenſare ſolet, & adeſt diſpenſandi cauſſa; tum valida eſſe ſponſalia, defendunt Sanchez, Caſtropalaus, Comitolus, Pontius, Sporer, Gobat, & alii. Contra, invalida talia ſponſalia eſſe defendunt Navarrus, Soto, Barboſa, Henriquez, Riccius, Averſa, De Luca, Diana. Et hanc ſecundam opinionem iudico probabiliorem, eamque communem Soto in *IV. diſt.* xxix. *quæſt.* II. *art.* I. *§. Ex quo* appellat, pluresque leges civiles allegat. Ratio potiſſima eſt. Ex facto iure improbato nulla oritur obligatio. Et ægra eſſet, inquit P. Soto, reſponſio, quod lege ſolum improbatur matrimonium inter cognatos, ſecus ſponſalia. Quoniam cum cognati ſint excluſi a matrimonio, tamquam materia indebita; & ſponſalia ſint vinculum, & obligatio matrimonii futuri: qua ratione cognatio eſt indebita matrimonii materia, eadem & ſponſalium inepta eſt, uſquedum auferatur impedimentum. Urget ſuam argumentationem P. Soto contra Adrianum. Si ſponſalia inter cognatos contrahantur, omiſſa expreſſione conditionis diſpenſationis petendæ, nulla prorſus eſſent, ut adverſarii fatentur. Ergo nulla quoque ſunt conditione appoſita. Conſequentia probatur. Quamvis in contractu abſoluto conditio hæc non explicetur, intelligitur tamen reipſa. Porro eadem eſt implicitæ, & explicitæ conditionis vis. Ergo ſi conditio implicita non efficit contractum validum, neque explicita. Præterea conditio diſpenſationis in moralibus impoſſibilis reputatur, quod nonniſi urgentiſſima cauſſa impertiri debeat, ut iura omnia clamant. Natura autem contractus ex iis quæ per ſe inſunt, non ex iis quæ per accidens contingere poſſunt, iudicari debet. Ergo eiuſmodi ſponſalium contractus nullus eſt. Accedit quod affinitas ſuperveniens ſponſalia irrita efficiat, quemadmodum habetur Cap. *Ven.* & cap. *Super eo*, de conſang. & affinit. ut ſi Sponſus cum ſorore ſponſæ rem haberet. Atqui facilius eſt rei ortum impedire quam exiſtentem reſcindere.

Ergo eadem affinitas, & multo magis consanguinitas praecedens irrita sponsalia efficit, quacumque conditione apposita.

XVII. Opponunt adversarii contra hanc ultimam rationem, aliquem supervenientem eventum vitiare sponsalia praeterita, qui si praecederet, non impediret futura; ut si post sponsalia sponsa fornicetur, aut lepram contraxerit. Sed optime respondet P. Soto, id evenire, propterea quod si talia praecessissent, sponsus libere praefatas maculas non repudiasset, quia non sunt iuris impedimenta. Cognationis vero impedimenta sunt a iure praescripta: idcirco, si irritant sponsalia praeterita, potiori iure impediunt futura.

XVIII. Heinc consequitur, utrumque sponsum, non modo ante, de quo nulla est prorsus ambiguitas, sed etiam post obtentam dispensationem, posse a contractu resilire. Et hoc verum est, non modo de alterius consensu, cum id neque in controversiam vocetur; sed etiam altero invito, & reclamante. Immo si iuramentum quoque accessisset, contractus iuratus nullus esset: quia iuramentum non ligat, cum cadat super rem vetitam. Idcirco dispensatione opus non est.

XIX. Opponunt iterum. Qui ergo eiusmodi sponsalia contrahunt, peccant. Peccant sane, respondet Soto, si sponsalia contrahere intendant, nisi ignorantia excuset. Si vero non intendant sponsalia celebrare, sed ex quadam honestate sibi fidem dare, ne expensae in cassum fiant; tunc nullum crimen erit. Et reipsa sic procedendum est, ut peccata vitentur contra legem quae talia sponsalia prohibet.

XX. Disputant, utrum, si post obtentam dispensationem, sponsi affectu coniugali carnaliter commisceantur, illud sit habendum verum matrimonium absque novo consensu. Videtur non esse matrimonium: quia carnalis copula illud non perficit, nisi praecesserint sponsalia. In hoc autem casu sponsalia nulla fuerunt. Nihilominus laudatus Soto defendit, hoc esse verum matrimonium: quia licet contractus sponsalium nullus fuerit; argumentum tamen est, istos habuisse animum matrimonium, licet vetitum, ineundi; atque in illud, licet vetitum, consenserunt. Ergo, sublato per dispensationem impedimento, si affectu maritali coeant, hic affectus habetur pro consensu. Tutius tamen est consensum renovare.

XXI. Quaest. XI. *Quinam sint habiles ad contrahenda sponsalia?* Resp. Qui apti non sunt ad contrahendum matrimonium, neque ad sponsalia habiles reputantur. Ideo qui impedimento aut dirimente, aut impediente irretiti sunt, sponsalia inire non valent. Heinc invalida sunt sponsalia Catholici cum haeretica, aut voto castitatis ligati, & omnium illorum qui usu rationis carent.

XXII. Quaest. XII. *An surdus & mutus a nativitate possit valide contrahere sponsalia?* Resp. Affirmat communior opinio, quando surdus & mutus tali praeditus intellectu sit, quo signis vim sponsalium edoceri, & intelligere valeat. Idque colligitur ex cap. *Cum apud* de sponsal. Praeterea surdus & mutus iuxta omnes con-

confiteri, & absolvi potest. Et tandem ita obtinet praxis, inquit Leander *quæst.* XIX. Qui tamen simul cæcus esset, sponsalia contrahere non posset, cum nullis signis instrui posset, ut istorum vim perciperet.

XXIII. Quæst. XIII. *Quæ ætas requiritur ad contrahenda tum sponsalia, tum matrimonium?* Resp. Septennium completum est tempus ad contrahenda sponsalia præstitutum: quia hac ætate communiter refulgere rationis lumen solet. Ad matrimonium vero quatuordecim in viris, & duodecim in feminis anni requiruntur. Diversitatis rationem in *Suppl. quæst.* XLIII. *art.* 2. S. Thomas assignat. Matrimonium est indissolubile: idcirco maturiorem postulat ætatem. Sponsalia autem dissolvi queunt: ideo sufficit rationis usus. Præterea matrimonium contrahentes debent esse ad generationem apti: quod nonnisi post pubertatis annos contingit.

XXIV. Non requiritur ut semper septennium sit omnino completum; sed usus rationis potest interdum prævenire hanc ætatem; ut S. Thomas *loc. cit. ad* 7. docet. *In sponsalibus etiam similiter, si appropinquent contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur, quia . . . quod parum deest, quasi nihil deesse videtur.* In foro tamen exteriori ante completum septennium non præsumitur rationis usus. Qui ante pubertatis annos completos contrahunt matrimonium, peccant mortaliter; ut colligitur ex *cap.* 11. *de desponsat. impub.* ubi hæc habentur. *Districtius inhibemus ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit, coniungantur; nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis coniunctio toleretur.* Neque consistit responsio Sanchez, & aliorum, qui dicunt, hoc intelligendum esse de copula carnali: quia textus docet, solum ex urgentissima ratione posse concedi talem coniunctionem: quæ coniunctio de carnali copula intelligi nequit. Matrimonium enim ante præfatam ætatem nullum esset. Ergo ex nulla, tametsi urgentissima caussa, concedi coniunctio carnalis potest.

XXV. Quæst. XIV. *Quam gravis sit obligatio sponsorum ad contrahendum matrimonium?* Resp. Dictum supra est, sub mortali sponsos obstringi fidem oppignoratam servare; ut communiter docent omnes. Reiecta quoque est opinio Sanchez, asserentis, sponsos sub veniali tantum posse sese obligare, & esse vera sponsalia, & inducere honestatis impedimentum. Nam sponsalia vera, tale impedimentum inducentia, obligant sub mortali: nec in arbitrio sponsorum est hanc diminuere obligationem. Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* 1. *punct.* 6. *num.* 83. inquiunt: „Sponsalia faciunt licita oscula, & amplexus inter sponsos." Ex quo redarguunt Sanchez, qui ex paritate voti, obligantis sub levi ex voventis intentione, infert sponsalia quoque leviter obligare posse, quando ita sponsi conveniant. *Nam dicimus* (inquiunt Salmanticenses) *in sponsalibus disparem rationem inveniri: hæc enim & faciunt licita oscula, & amplexus inter sponsos, & inducunt impedimentum publica*

tæ honestatis : qui effectus absque gravi obligatione de contrahendo matrimonio haberi non potest. Næ robusta ratio? Amplexus, & oscula inter sponsos peccata esse, infra demonstrabo.

XXVI. Quæst. XV. *Quando tempus præfinitum sponsalibus non est, celebrari ne sponsalia illico debent?* Resp. Quando tempus constitutum est intra mensem, aut annum &c. ante elapsum intervallum præfinitum neuter alterum cogere potest. Cum vero tempus indefinitum est, tum, statim ac commode poterunt, contrahere tenentur. Si distulerint, erunt in mora culpabili, nisi temporis parvitas excuset. Idque colligitur ex leg. *In omnibus obligationibus*, ff. de reg. iur. ubi hæc habentur. *In omnibus obligationibus in quibus dies non apponitur, præsenti diei debetur*. Rursus leg. *Eum qui*, §. *Quoties*. ff. de verb. oblig. dicitur: *Quod sine termino præfixo debetur, statim debetur*. Ratio est manifesta. Quia per sponsalia promittitur ius ad futurum matrimonium. Ergo dilatio istius iuris est iniusta privatio. Si tamen libere pars non instet, tunc congruo tempore differri poterit.

XXVII. Quæst. XVI. *Quando unus sponsorum iniuste differt implere sponsalia contracta; potest ne in foro contentioso compelli?* Resp. Quando una pars iniuste per notabile tempus differt, in foro interiori compelli ad implenda sponsalia a Confessario debet, ut omnes fatentur; nisi aliqua gravis & iusta caussa obsit. Ad forum exterius quod attinet, in utramque disputant Theologi partem. Quod absolute possit pars iniuste protrahens compelli a iudice ut sponsalia legitime contracta impleat, mihi certum est. Sed difficultas in praxi est, quando hoc expediat. Si iudex prævideat ex tali matrimonio, per iudicis compulsionem contracto, futura gravia incommoda, vel partem impulsam ficte contracturam, aut diffidia, rixas, inimicitias eventuras, abstinere a compellenda parte refragante debet. Sed eam adhortationibus, consiliisque inflectere, ut suæ satisfaciat conscientiæ, quando id fieri absque gravissimis indicatis incommodis potest. Si enim incommoda prudenter timeantur, suadere iudex debet ut pars altera, quæ vellet contrahere, desistat, & renuntiet eiusmodi sponsalibus. Matrimonium enim est animorum coniunctio, cuius proprietates sunt mutua concordia, benevolentia, pax, & tranquillitas. Quando hæc desunt, & imminent diffidia, iurgia, & rixæ; tum finis matrimonii non habetur; & matrimonia coacta numquam bene cedunt. Compellere tamen iudex potest, immo & debet, ut pars resistens damnum illatum parti volenti contrahere resarciat, augendo dotem, vel alio modo congruo. Regula definita & certa designari nequit. A prudentia & Confessarii, & iudicis totum hoc negotium pendet. Quando prævidentur diffidia, & matrimonium fore molestum, numquam suadeatur. Consulendum est semper quod minus malum est. Minus autem malum semper patietur pars innocens, si abstineat a matrimonio, quod non nisi iudicis impulsu altera pars rea contrahere vult. Disputant, quinam

sit

sit harum caussarum legitimus iudex, ecclesiasticus, an laicus. Absolute ecclesiasticus est. Ceterum locorum consuetudines iustae servandae sunt.

XXVIII. Quaest. XVII. *Apponi ne sponsalibus obligatio ad poenam licite potest?* Resp. Duplicem distinguere poenam Theologi solent. Alteram appellant positivam: ut si quis promittat se ducturum Bertam, hac adiecta poena, ut si resiliat a promissione, debeat solvere centum aureos. Alteram appellant negativam: ut si quis puellae centum se daturum spondeat, si secum nubere velit, secus non daturus; vel si testator legatum virgini relinquat, si tali nubat, alioquin legatum amittat.

XXIX. Priorem poenam omnes illicitam, & invalidam asserunt, cum iure canonico prohibita sit; ut ex cap. *Gemma* de sponsalib. patet. Prohibitio iusta est, utpote libertati matrimonii consulens. Et qui sciens has leges, talem imponere poenam studeret, peccaret mortaliter. Idemque dicendum, sive a sponsis, sive a sponsorum parentibus, affinibus, consanguineis, amicis &c. haec poenalis conditio adiiciatur. Nec refert quod poena sit levis, aut gravis: quia quaelibet poena laedit libertatem matrimonii; & ideo iure leges omnem poenam prohibent: & quamquam in aliquo casu non laederet, per accidens hoc contingeret; leges autem quae natura sua eveniunt, spectant.

XXX. Quaest. XVIII. *An licita & valida sit poena imposita parti iniuste resilienti a contractu sponsalium?* Resp. Leander, Coninch, Diana, Castropalaus, Layman, quibus subscribunt Salmanticenses *num.* 97. contendunt, validam, licitamque esse poenam impositam determinate parti iniuste resilienti. Contra Sanchez, Becanus, Aversa, Dicastillus, Trullenchus, Bonacina, & alii semper illicitam, atque invalidam esse propugnant hanc poenalem conditionem, sive apponatur absolute, sive determinate parti etiam iniuste resilienti: & hanc opinionem iudico probabiliorem, immo absolute veram. Quoniam leges & canonicae, & civiles absolute hanc poenae impositionem severe proscribunt. Quid ergo privati homines suis arbitrariis commentis restringere praefatas leges audent? Leges istae iustissimae sunt: quia matrimonii libertati, tranquillitati, & paci consulunt. Nec alicuius momenti est quod Salmanticenses cum aliis obtrudunt, nempe hoc non esse contra ius naturae: quia ex voluntate imponentis oritur; adeoque non laedit libertatem. Haec enim ratio futilis est: nam licet in aliis contractibus id verum sit in contractu tamen matrimoniali falsum est. Cum enim vinculum matrimoniale & sit perpetuum, & animos praecipue nectat, cuius felicitas a concordia, & benevolentia coniugatorum pendet, prudentissime legislatores omnem poenam vetarunt. Utique ex libertate imponentis, & acceptantis poena ista proficiscitur. Quid inde? Homines mutationi subiecti sunt. Plures oriri circumstantiae possunt quae molestum, invidiosum, & grave reddant matrimonium; nec semper iustitia, aut in-

iniustitia resilientis ostendi potest. Et quia pœna pecuniaria cuilibet gravis est, evenire posset ut matrimonium contraheretur ad declinandam pœnæ solutionem: & ex tali matrimonio plura sequi absurda possent. Quamobrem, spectato matrimonii fine, & considerata absoluta legum prohibitione, omnis adiectio pœnæ positivæ excludenda omnino est a sponsalium contractu. Si apposita fuerit, nec resiliens tenetur eam solvere, nec altera pars accipere iure potest; immo acceptam restituere tenetur: quidquid in oppositum doceant recentiores, citati pro adversa sententia.

CAPUT II.

De caussis dissolvendi sponsalia.

I. QUæst. I. *An mutuo consensu dissolvi sponsalia possint?* Resp. Adfirmant communiter Theologi omnes, quando utraque pars libere remittit alterius obligationem, & in dissolutionem initi contractus consentit. Nec obstat cap. *Ex parte* de sponsalibus: quia ibi non improbatur libera & mutua dissolutio tamquam mala; sed solum innuitur, constanter servandam esse fidem datam, & vitandam inconstantiam. Si una pars ab altera dolo, fraude, metu, importunis precibus remissionem extorqueret, non maneret ab obligatione immunis. Immo peccaret plus vel minus iuxta insidiarum diversitatem pars quæ fraude alliceret alteram partem ad contractus dissolutionem. Quando, tempore præfixo elapso, una pars alteram requirit ut promissa sponsalia impleat, si recuset, graviter peccat: & pars quæ petit, & patitur repulsam, libera manet, & cui voluerit nubere poterit. Recusare autem censetur, aut si aperte dicat, se nolle stare promissis; aut si nimis ultra præfinitum tempus differat absque iusta caussa. Dissolvi autem possunt libero mutuo consensu utriusque partis sponsalia, etiamsi iuramento firmata essent: quia iuramentum istud sequitur naturam contractus, & est in commodum utriusque partis. Quare, cessante contractu, cessat iuramentum.

II. Disputant Auctores, utrum si quis iurasset se ducturum feminam pauperem, nullam designando, teneatur aliquam ducere. Verum sicut imprudens esset eiusmodi iuramentum, ita otiosa est de eodem disputatio. Talem iuratorem ad nullam ducendam astringi, communiter aiunt.

III. Quæst. II. *Quomodo impuberum sponsalia dissolvi valeant?* Resp. Impuberes contracta sponsalia dissolvere nequeunt mutuo consensu, antequam ad annos pubertatis pervenerint, ne propter ætatis teneræ inconstantiam nimis frequenter contrahant, & rescindant sponsalia. Pubertate acquisita, continuo reclamare ambo, vel unus illorum potest: & sponsalia rescinduntur, licet altera pars renuat. Si adepta pubertate statim, vel, ut aiunt, post triduum non reclamaverint, neque-

queunt postea ad unius partis reclamationem dissolvi sponsalia; sed necessarius est utriusque partis mutuus consensus. Unus si prius altero pubertatem nanciscatur, non tenetur alterius pubertatem expectare, sed resilire continuo valet. Si pubes cum impubere sponsalia contrahat, nequit resilire a contractu; impubes autem pubertatem nactus resilire valet. Quando impubes contractis sponsalibus pubertatem assecuti sunt, & non reclamant, non est necessarius novus consensus; sed initus contractus perseverat, quia non retractatus. Reclamatio autem sufficit in foro interiori, etiamsi privata sit. Si sponsalia contracta fuerunt coram Episcopo, aut Parocho, tunc puberes facti reclamare in foro exteriori debent ad declinandam vexationem partis. Si impuberes ante pubertatem resiliant a sponsalibus, & adepta pubertate persistant in dissensu, intelliguntur soluti; quemadmodum persistentes in promissione, adepta pubertate, firmantur, nisi post triduum reclament. Disputant quoque, utrum sponsalia impuberum iuramento confirmata possint unius partis dissensu rescindi. Alii adfirmant, negant alii. Mihi probabilior sententia videtur adfirmans ob rationem supra indicatam, quod iuramentum sequitur naturam contractus. Sponsalia impuberum in puncto pubertatis, altera parte dissentiente, solvuntur: ergo iuramentum appositum non tollit quin rescindi queant.

IV. Quæst. III. *An post sponsalia iuramento firmata possit altera pars licite ingredi Religionem?* Resp. Si post matrimonium ratum licitus est Religionis ingressus, potiori iure licitus post sponsalia erit. Disputatur solum in casu quo sponsalibus adiectum fuerit iuramentum. Plures dicunt, prius contrahendum esse matrimonium, ut iuramentum impleatur, & postea Religionem ingrediendam. Sed probabilior mihi est sententia, licitum esse Religionis ingressum etiam post sponsalia iurata: quia iuramentum, ut dixi, naturam contractus sequitur. Contractus sponsalium non impedit Religionis ingressum: ergo neque additum iuramentum.

V. Quæst. IV. *Solvuntur ne sponsalia per solum Religionis ingressum, an expectanda professio est?* Resp. Prima sententia defendit, sola professione, non ingressu Religionis sponsalia dissolvi respectu utriusque partis. Altera adfirmat, solo ingressu, non expectata professione, rescindi contracta sponsalia. Gonet, Layman, Palaus, Basilius, Rebellus, Ledesma, Leander, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *cap.* 11. *punct.* 2. *num.* 21. defendunt, sponsalia ingressu Religionis rescindi respectu non ingredientis, sed remanentis in sæculo. Et hæc opinio videtur probabilior. Quoniam qui ingreditur Religionem, reipsa cedit iuri suo: ergo remanens in sæculo liber est ad contrahendum cum altero. Ingrediens vero Religionem non remanet inhabilis ad contrahendum matrimonium, donec emiserit professionem: ergo usque ad professionem obstrictus manet contractui: ita ut si altera pars expectare velit, & is a Religione exeat, implere sponsalia teneatur. Hæc opinio eo est probabilior, quo aditum fraudibus præcludit. Quisque enim post contracta spon-

ſponſalia ingredi Religionem poſſet, ut deinde egreſſus nuberet cui vellet, ſi ſolo ingreſſu ſponſalia reſcinderentur reſpectu ingredientis.

VI. Quæſt. V. *Solvuntur ne ſponſalia per Ordinum ſuſceptionem?* Reſp. Affirmat communis ſententia, ſponſalia dirimi per Ordinum, non minorum, ſed ſacrorum ſuſceptionem. Ordinibus enim ſacris ſeu maioribus annexum eſt ſolemne caſtitatis votum. Sanchez, & Caſtropalaus contendunt, eum peccare mortaliter qui, inconſulta parte altera, poſt inita ſponſalia Ordines ſacros ſuſcipit. Sed communior & probabilior ſententia negat: quia in ſponſalium contractu includitur conditio, *niſi ad meliorem ſtatum tranſiero*. Qui Ordines ſacros ſuſcipit, meliorem ſtatum ſuſcipit. Ergo liber manet ab obligatione inferiori contrahendi matrimonii. Nec eſt quod opponas, hanc conditionem non includi in ceteris promiſſionibus: ergo neque in promiſſione ſponſalium. Includitur enim ſolum conditio emittendæ profeſſionis monaſticæ: quia id declaratum a iure eſt. Reſpondetur, præfatam conditionem includi in eis promiſſionibus in quibus de ſtatu aſſumendo deliberatur. In ſponſalibus fit promiſſio aſſumendi ſtatum in quo creaturæ inſerviendum eſt. In hac autem ſtatus promiſſione ſemper intelligitur dicta conditio, *niſi elegero ſtatum meliorem inſerviendi Deo*. Neque rationi conſonum eſt ut ſtatus inſerviendi creaturæ impediat ſtatum Deo ſe dicandi: quod aut monaſtica profeſſione, aut ſuſceptione Ordinis ſacri peragitur.

VII. Similiter ſponſalia diſſolvuntur per votum aut ingrediendi Religionem, aut ſuſcipiendi Ordines ſacros. Tale enim votum inhabilem hominem reddit ad implenda ſponſalia. Votum enim ſive Religionis, ſive Ordinis ſacri, ſive ſimplex caſtitatis ſervandæ ante ſponſalia emiſſum, illicita, & irrita ſponſalia reddit.

VIII. Quæſt. VI. *Licitum ne eſt, contractis ſponſalibus, emittere ſimplex votum caſtitatis; eoque diſſolvuntur ſponſalia?* Reſp. Diſſolvi ſponſalia ex parte illius qui non vovet, convenit penes omnes: quia vovens cedit iuri ſuo, dum ineptum ſe conſtituit ad contrahendum. Quare qui non vovet, poteſt continuo alteri nubere. Diſputant autem Theologi, num ipſe vovens licite voveat, maneatque ab implendis ſponſalibus liber. Negantem ſententiam defendunt Leſſius, Laymanus, Caſtropalaus, Coninch, Sanchez *Lib. I. diſp.* XLVI. ubi refert 20. Auctores pro eadem. Quoniam, inquiunt, nequit Deo promitti quod debitum erat homini. Sed per contractum ſponſalium promiſſum proprium corpus homini erat. Offerri ergo Deo in præiudicium tertii nequit. Et hoc confirmatur ex cap. *Veniens, qui Clerici, vel voventes*: ubi pœnitentia imponitur feminæ quæ poſt contracta ſponſalia voverat caſtitatem.

IX. Altera ſententia licitum, validumque eiuſmodi votum propugnat, etiamſi iuramento ſponſalia confirmata eſſent. Hanc defendunt graviores Theologi Caietanus verb. *Periurium promiſſ.* Suarez *Lib. II. de voto cap.* IV. *num.* 13. Vaſquez *opuſc.*

pusc. de restit. cap. III. §. 2. *dub.* 6. *num.* 17. Azorius *Lib. XI. cap.* XXI. *quæst.* x. Gonet *de matr. art.* 5. Pontius *Lib. XII. cap.* XII. *num.* 4. Ledesma *de matrim. quæst.* XLIII. *art.* 3. *dub.* 3. Rodriquez *Tom. II. cap.* CCXLV. Bonacina *quæst.* 1. *punct.* 5. Henriquez *de matr. cap.* XIV. & alii. Hæc sententia mihi videtur probabilior ob communem doctrinam iam datam, quod nempe in promissionibus quæ statum constituunt, semper in promissione facta homini includitur conditio, *nisi meliorem statum elegero inserviendi Deo*. Et quamquam cœlibatus non constituat statum religiosum; nemo tamen negare valet, cœlibatum esse statum meliorem statu matrimoniali. Eligitur itaque status melior per castitatis votum, quo quis suum corpus Deo offert & consecrat. Si huic voto annexa sit Ecclesiæ solemnitas, dubio procul dirimit sponsalia. At quod præcipuum est in voto, illa oblatio est quæ Deo offertur. Præterea votum istud validum esse fatentur adversarii: nam, eo emisso, si contraheret, reddere, non petere posset. Si validum; ergo pugnat cum matrimonii contractu: cœlibatus enim, & usus coniugalis componi una nequeunt.

X. Contrariæ sententiæ fundamenta non urgent. Votum istud non est in præiudicium tertii: quia omnes creaturæ Deo subiectæ sunt, nihilque perdunt; cum ipsi promissioni insit semper conditio rescindendi contractus, quoties voluntas advenerit Deo immolandi corpus proprium. Auctoritas ex adducto cap. *Veniens* &c. nullo modo adversæ sententiæ favet: quia mulier illa in fraudem post dilationem matrimonii votum emiserat, ut sponsum eluderet, & nubere alteri posset. Idcirco Pontifex eam pœnitentia multavit. Ex quo colligitur, votum istud dirimere sponsalia, quando absque fraude, & ex sincero animo Deo inserviendi editum sit. Ceterum si quis votum ederet, ut eluderet partem alteram, & post votum dispensationem obtineret, ut nubere alteri posset; tum peccatum grave perpetraret, & priora sponsalia implere deberet, quæ per votum dolosum non dirimuntur. Alioquin via fraudibus, & dolis pateret. Quid, si quis sincere votum ederet Deo offerendi proprium corpus, & postea voluntatem mutaret? Tum ex honestate debet illi cui promiserat, nubere, tum ut murmura & scandala vitentur, tum ob periculum ne votum in fraudem editum sit. Ceterum pro praxi, quando hoc occurrit, pars quæ relinquitur, cum statim, emisso ab altero voto, libera evadat, alteri nubat, aut cœlibatum servet. Quia aut votum fuit in fraudem; & tum non debet cum eo coniungi quem aversum a se cognoscit: aut votum fuit sincerum; & tum non debet in coniugem ducere inconstantem, qui neque ipsi Deo promissam castitatem servat. In praxi ergo pars quæ libera manet, continuo cogitet de statu eligendo, & voventem prorsus dimittat.

XI. Quæst. VII. *An sponsalia dirimantur per subsequens matrimonium, vel posteriora sponsalia?* Resp. Matrimonium subsequens, si validum sit, sponsalia præcedentia dirimere, certum omnino est. Si invalidum, pars innocens relicta libera ma-

manet, & continuo alteri nubere potest: quia qui contrahit, cedit iuri suo: ligatus tamen ipse manet, & tenetur ex parte sua sponsalia implere, si pars innocens velit. Peccaret tamen mortaliter qui post celebrata sponsalia matrimonium sive validum, sive invalidum contraheret: & si damnum inde innocenti obtingeret, resarcire deberet.

XII. Disputant Auctores, utrum matrimonium subsequens validum ita dirimat priora sponsalia, ut, mortuo coniuge, liber promissor sit ab implendis contractis prioribus sponsalibus. Duæ sunt opiniones, quarum quælibet suos patronos habet. Basilius, Leander, Vega, Sylvius, Gonet, Palaus, Aversa, Salmanticenses *num.* 39. docent sponsalia hærere suspensa, &, soluto per mortem coniugis matrimonio, teneri promissorem implere priora contracta sponsalia. Quoniam, inquiunt, præfata sponsalia neque iure positivo, neque iure naturæ dissolvuntur. Non iure positivo, quia nullibi extat lex quæ declaret prædicta sponsalia rescindi: non iure naturæ, quia impedimentum subsequens suspendit, non extinguit priorem obligationem.

XIII. Altera sententia docet, matrimonium reipsa extinguere, nedum suspendere, priora sponsalia; ita ut, mortuo coniuge, non obstringatur promissor implere contracta sponsalia. Controversia hæc mihi ambigua est; propendeo tamen in hanc secundam: quia matrimonium contractum natura sua pugnat cum præcedentibus sponsalibus. Unum autem contrarium alterum destruit. Obligatio hæc suspensa mihi arbitraria apparet. Quod opponitur de voto Religionis, quod post contractum matrimonium suspensum hæret, &, mortuo coniuge, tenetur vovens Religionem ingredi, non videtur concludere; quia votum & matrimonium sunt diversi ordinis. Sponsalia autem & matrimonium sunt in eadem linea. Sponsalia via sunt ad matrimonium. Matrimonio adveniente, natura sua evanescunt sponsalia. Verum, ut dixi, pro neutra opinione talia mihi occurrunt argumenta, ut decidere absolute pro alterutra valeam. Casus alioqui in praxi vix occurrit. Quis est qui, dum videt alterum sponsum matrimonium perficere cum altero post fidem sibi datam, velit eumdem in coniugem accipere? Admissa vero hypothesi, qui contraxit, honeste ageret, si partem relictam acciperet; at quod vinculo priorum sponsalium obstrictus sit, mihi ambiguum manet; & potius liberum quam ligatum crederem.

XIV. Sponsalia præcedentia nullo modo per posteriora dissolvuntur; sed hæc invalida omnino sunt, etiamsi iuramento firmata: quia iuramentum non est iniquitatis vinculum: semper tamen pars innocens libera manet, ut licite alteri nubere possit. Quid, si secundis sponsalibus copula carnalis accederet? Si secunda femina sciebat priora sponsalia, hæc non dissolvuntur: quia tunc decipi sponte voluit. Si vero ignoraverit, & sub spe matrimonii decepta fuerit, & cum priori spon-

ſponſa copula non fuerit ſecuta (nam ſi ſecuta fuiſſet, proculdubio ſponſalia priora conſiſterent) diſputant in utramque partem Auctores. Plures defendunt conſiſtere priora ſponſalia: quia poſterior promiſſio nulla eſt, ſuppoſita priore: & damnum copula carnali illatum reſarciri aliunde valet. Alii contra defendunt irritari priora ſponſalia, & contrahendum cum poſteriore deflorata. Siquidem per poſteriora ſponſalia, accedente copula carnali cum ſpe futuri matrimonii, fit realis, & anticipata proprii corporis traditio. Nam iure antiquo promiſſio matrimonii ineundi cum copula, animo maritali peracta, ſat erat ad matrimonium: ergo iure novo ſat eſt ad dirimenda ſponſalia. Quid quod in aliis quoque contractibus traditio mercis irritat priorem promiſſionem? Similiter qui poſt votum ingrediendæ Religionis virginem cum ſpe futuri matrimonii violaret, omiſſo Religionis ingreſſu, teneretur cum virgine deflorata contrahere. Tandem puella quæ deflorationem decepta paſſa eſt ſub futuri matrimonii ſpe, ius maius acquirit quam prior ſponſa ex nuda promiſſione: ius autem fortius extinguit debilius in eodem genere. Hæc ſecunda opinio mihi veroſimilior apparet, ſi revera defloratio ex deceptione & violentia contigerit. Verum, ut ſupra dixi, perquam raro hoc evenit, & ſponſæ ipſæ ſponte deflorari ſæpe patiuntur, ut ducantur in matrimonium.

XV. Qui ſecunda ſponſalia celebrat, ſi priora iure ſcindantur, non tenetur poſteriora implere. Valida enim, ut ſupponitur, priora erant: ergo nulla poſteriora. Nulla ergo obligatio ex eiuſmodi ſecundis ſponſalibus orta fuit. Quod ab initio fuit nullum, tractu temporis non convaleſcit, ut ex *iur. reg. in VI.* habetur.

XVI. Quæſt. VIII. *An ſponſalia dirimantur aut per temporis dilationem, aut per unius ſponſi abſentiam, vel domicilii mutationem?* Reſp. Dictum ſupra eſt, ſponſalia contrahi poſſe vel tempore præfinito, vel indeterminato. Quando tempus eſt indeterminatum, nullo modo diſſolvi poſſunt per temporis dilationem; niſi valde nimia foret, & altera pars inſtaret. Diſputant, ut iam indicavi, an biennium, an triennium, an unus annus reputari debeat ſufficiens intervallum ad ſponſalia diſſolvenda. Sed regula certa huius diſſolutionis ſtatui nequit. Ex prudentum iudicio, & circumſtantiarum varietate negotium hoc pendet. Si tempus determinatum præfixum fuit ad ſollicitandam obligationem, illo tranſacto, non diſſolvi ſponſalia communiter aſſerunt. Si vero tempus apponatur ad finiendam obligationem, illo tranſacto, diſſolvi docent ex parte eius per quem non ſtat dilatio. Qui enim eſt in mora culpabili, ligatus manet; neque ex ſua iniquitate commodum reportare debet. Diſputant vero in utramque partem, num diſſolvantur ſponſalia, quando, tranſacto tempore præfixo ad finiendam obligationem, non contrahitur matrimonium abſque culpa, quia nempe unus ſponſorum iuſte impeditus

nequit. Alii negant, tunc diſſolvi ſponſalia: quia dilatio inculpabilis non ſufficit ad ſponſalium diſſolutionem. At probabilior opinio adfirmat: quia quando tempus aſſignatur ad determinandam, finiendamque obligationem, apponitur tamquam conditio intrinſeca ipſi contractui, qua deficiente, contractus evaneſcit. Nec refert quod conditio hæc ſit nec ne culpabilis: alioquin fruſtra apponeretur hæc conditio, ſi ea deficiente, contractus non diſſolveretur. Ideo enim ponitur, ne ſponſa, vel ſponſus tali vinculo ligati diutius perſiſtant abſque nuptiis. Quod ex cap. *Sicut* de ſponſ. opponi ſolet, tempus non currere, legitimo impedimento occurrente, intelligitur, illum qui ius acquiſivit, non amittere ſine culpa. At locum id non habet, quando libere contrahentes nolunt ultra præfinitum tempus ſe obligare.

XVII. Diſſolvi ſponſalia per diſceſſum ſponſi in regionem longinquam, etiam animo redeundi, communis opinio eſt; & colligitur ex cap. *De illis* v. de ſponſal. ubi hæc habentur. *Qui præſtito iuramento promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea dimittunt terram, ſe ad alias partes transferentes, liberum erit mulieribus ad alia ſe vota transferre*. Sermo hic eſt de ſponſalibus etiam iuramento firmatis. Nec obeſt quod civiles leges obligent ſponſam expectare biennium reditum ſponſi abſentis in eadem provincia, & triennium, ſi abiit in provinciam alienam: quoniam eiuſmodi leges iure canonico correctæ ſunt. Forum enim conſcientiæ ſpectandum eſſe in hac materia, certum eſt. Si tamen ſponſus, conſentiente ſponſa, diſcedat, expectandus eſt uſque ad tempus præfixum. Similiter ſi, conſentiente ſponſa, domicilium mutet, conſiſtunt ſponſalia, ſecus ſi, ea inſcia, mutatio fiat. Hæc omnia quæ dicta ſunt, ex circumſtantiarum varietate exceptionem pati valent. Quapropter arbitrium prudentis Parochi conſulendum ſemper eſt, antequam ſponſalia diſſolvantur.

XVIII. Quæſt. IX. *Quænam ſunt cauſſæ ſupervenientes, quæ ſufficiant ad ſponſalia dirimenda?* Reſp. Regula generalis quam communiter Auctores aſſignant, hæc eſt. Quoties nova gravis cauſſa, mutatio, circumſtantia emergit, quæ prævisa, & cognita ante contracta ſponſalia impedimento fuiſſet ne contractus fieret, ſufficit ad ſponſalia dirimenda reſpectu innocentis, qui in cauſſa non eſt. Hæc enim conditio, ſi res ſtent ut nunc ſunt, niſi contingat notabilis mutatio, inſita ſemper eſt ſponſalium contractui. Neque heinc ſequitur, omnia ſponſalia eſſe conditionata: nam ea ſolum conditionata dicuntur quibus ex mera voluntate contrahentium libere conditio omnino extrinſeca apponitur: conditio vero tacita, quæ intrinſecus ineſt contractui, non impedit quin contractus abſolutus ſit, & inducat publicæ honeſtatis impedimentum. Ea vero mutatio noviter emergens, ſufficiens ad dirimenda ſponſalia reputanda eſt quæ cognita prudentes quoslibet abſterreret a ſponſalibus contrahendis. Exempla peculiaria ſubiicio.

XIX.

XIX. Varias S. Thomas in *Suppl. quæst.* xliii. *art.* 3. *ad* 3. caussas assignat. *Si ante contractum matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum inter quos sunt contracta sponsalia, quæ ipsum debilitet nimis (ut epilepsia, vel paralysis) aut eum deformet (ut abscissio nasi, vel orbitas oculorum, aut aliquid huiusmodi) aut quæ sit contra bonum prolis (utpote lepra, quæ solet prolem inficere) possunt sponsalia dirimi, ne sibi invicem displiceant, & matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur: nec pro pœna punitur aliquis, sed ex pœna damnum reportat: quod non est inconveniens.*

XX. Defectus notabilis pulchritudinis, qua prædita sponsa erat tempore contractus, & post deformis facta, sufficiens est ad dissolvenda sponsalia: quia cum puella notabiliter deformi prudens sponsus non contraxisset. Hæresis crimen, flagitium infamiam pariens, graves inimicitiæ, rixæ inter sponsos, & cetera quæ sufficiunt ad separationem quoad torum, multo magis sufficiunt ad sponsalia dissolvenda. Similiter quodlibet impedimentum sive dirimens, sive impediens, quod matrimonio contrahendo adversatur, sat est ad sponsalia rescindenda, ut Soto in *IV. dist.* xxvii. *quæst.* i. *art.* 5. *cas.* 8. docet cum aliis: quamquam alii dissentiant quoad impedimentum impediens. Soto tamen ego adhæreo.

XXI. Quæst. X. *Paupertas superveniens est ne caussa sufficiens sponsalia dirimendi?* Resp. Post contracta sponsalia alter sponsus, vel sponsa, quæ tempore sponsalium divitiis affluebat, pauper evadit. Hæc paupertas superveniens est mutatio gravis, quæ præcognita obstitisset ne sponsalia contraherentur: ergo sufficiens est ad dissolvenda contracta. Præterea æquum non est ut unus sponsorum onera matrimonii, & prolis educandæ expensas sustineat. Si tamen tota dos sponsæ consisteret, licet alia bona in dotem non assignata periissent, hæc mutatio non videtur caussa sufficiens ad contractum rescindendum.

XXII. Quod si uterque sponsus pauper factus esset, tum sponsalia dissolverentur potiori iure: quia difficilius tunc onera matrimonii possent sustineri. Si enim superveniens paupertas unius sat est ad rescindendum contractum, multo magis sufficiet utriusque inopia. Ita docent Pontius, Rebellus, Leander, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 76. Hæc sententia absolute mihi non probatur. Et ratio illata minus solida videtur. Inopia unius, altero divite persistente, inducit notabilem disparitatem. At quando ambo fiunt pauperes, mutua est compensatio, & æqua utriusque conditio. An valida non sunt sponsalia inter pauperes? Verumtamen puto in praxi talia sponsalia dissolvi facile posse, immo & aliquando debere. Nam sponsus ex divite pauper factus, a matrimonio forte abstinere vult: quia nova paupertas nimis molesta est statui suo. Deinde homo dives pauper factus forsitan suis laboribus, & industria ea comparare non poterit quæ satis sint ad filios educandos, & onera matrimonii sustinenda: quo in casu iure

S ij iste

iste a sponsalibus recedere posset; & altera pars consentire deberet. Peccant enim qui matrimonium contrahunt, nisi probabiliter prævideant se posse acquirere ea quæ ad onera matrimonii sustinenda necessaria sunt. Quoniam naturæ iure alendis filiis parentes obstricti sunt. Ergo quo tempore contractum ineunt matrimonii, apti sint necessum est ad implendum hoc debitum alendi filios. Quare sententia indicata suis in circumstantiis vera est. Si autem paupertas tanta non sit, ut notabiliter statum mutet, nec ineptos sponsos reddat ad onera matrimonii præstanda; tunc consistunt sponsalia. Sed dum hæ occurrunt circumstantiæ, tum consilium capiendum est: vix enim regula generalis certa præscribi valet.

XXIII. Quæst. XI. *Si unus sponsorum notabiliter ditior fiat, altero persistente in statu quo contracta sponsalia sunt, dissolvitur ne contractus?* Resp. Adfirmat Leander *disp.* II. *quæst.* XLVII. Sed opinio negans, quam defendunt Sanchez, Castropalaus, Aversa, Coninch, & alii, probabilior est. Nulla enim tunc deceptio est in eo qui factus ditior est. Conditio enim sponsæ eadem manet. Nulla ergo mutatio in altera parte est, ratione cuius resilire possit: & divitiarum copia superveniens conducit, non obest matrimonio ineundo.

XXIV. Quæst. XII. *Fornicatio patrata post sponsalia, illa ne dissolvit?* Resp. Adfirmat communis sententia tam respectu sponsæ, quam sponsi: quia uterque fidem sponsalium lædit. Et licet turpius flagitium sponsa committat; hoc tamen non tollit quin fornicatio sponsi satis sit ad rescindendum contractum. Tactus, oscula, amplexus sponsæ sufficiunt ut sponsus resilire valeat: quia eiusmodi tactus, oscula &c. sponsam indignam reddunt ut in matrimonium ducatur: magno quippe dedecore hæc sponsæ flagitia sponsum iuxta communem existimationem afficiunt. Contra tactus, & oscula sponsi cum alia exercita non cedunt in ignominiam sponsæ. Si tamen sponsus frequenter talia patraret, sponsa resilire a contractu & ipsa posset: quia inde præsumere prudenter posset, se minus amari, aut sponsum minus sibi futurum fidelem atque moratum maritum.

XXV. Quæst. XIII. *Sponsa post sponsalia vi oppressa reiici ne iure potest?* Resp. Adfirmat communis sententia: quia magna mutatio accidit, & valde vilior sponsa evadit, tametsi absque culpa. Grave enim subiret sponsus dedecus, si sponsam sic corruptam duceret; suoque infortunio id vertere sponsa debet.

XXVI. Quæst. XIV. *An si uterque post contracta sponsalia fornicetur, hæc dissolvantur?* Resp. Negant Bonacina, Palaus, Perez, & alii: quia tunc datur mutua delicti compensatio. Verum sententia adfirmans probabilior est. Neque enim æqua compensatio dari potest, cum longe turpior sit fornicatio sponsæ, maioremque infamiam sponso inferat quam patiatur.

XXVII. Quæst. XV. *Quænam caussæ antecedentes dissolvere sponsalia valent?* Resp. Plures sunt caussæ antecedentes quæ dissolvere sponsalia possunt, si ignoren-

rentur a contrahentibus; secus, si notæ iisdem sint. Si homo ditissimus & nobilis, sciens puellæ paupertatem & ignobilitatem, eidem promittat, celebretque sponsalia, non cæca, & impotenti aliqua passione ductus, sed libero animo (quod perraro accidit) implere sponsalia tenetur; dummodo inde scandala, dissidia, & rixæ non oriantur, ut frequentissime contingit. Tunc enim dissolvenda sponsalia sunt; sibique imputare puellæ debent, si quod heinc detrimentum subeant: quia ipsæ se eiusmodi periculis sponte tradunt, cum non ignorent, aut ignorare non debeant, numquam fere eiusmodi disparia coniugia felicem habere exitum. Si vero parti contrahenti ignota sit paupertas, morbus, ignobilitas alterius partis, cum primum hæc innotescunt, sponsalia contracta rescinduntur: quia gravis mutatio apparet, quæ prius cognita retraxisset a contractu.

XXVIII. Quæst. XVI. *An fornicatio præcedens ignota, sive sponsi, sive sponsæ, dirimat sponsalia, si postea sciatur?* Resp. Fornicatio præcedens sponsi, si postea contractis sponsalibus sciatur a sponsa, absolute non dirimit sponsalia: quia nullam inde sponsa ignominiam subit. Dixi absolute: nam si sponsus huic vitio ita traditus esset, ut difficilis emendationis spes concipi posset, tunc sponsa iustam resiliendi caussam haberet. Fornicatio antecedens sponsæ ignorata a sponso sufficit ut sponsus recedere, dum primum eam dignoscit, a sponsalibus valeat. Quoniam talis sponsæ fornicatio gravi perfundit ignominia sponsum.

XXIX. Opponunt cap. *Quemadmodum* Lib. II. tit. XXIV. ubi hæc habentur. *Ita si quis iuraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in coniugem: quia in tali iuramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit.* Verum auctoritas hæc nihil officit: quia hic sermo est de fornicatione cognita a sponso, secus de occulta & incognita sponso. Similiter sponsalia celebrata cum vidua, quam sponsus virginem credebat, deprehensa viduitate, non tenetur eam ducere: quoniam in communi hominum existimatione vidua minoris valde sit quam virgo, respectu matrimonii contrahendi. Contingere tamen potest sponsum ita dispositum esse, ut eiusmodi circumstantias non curet: & tunc non darent caussam contractui; atque adeo sponsalia consisterent.

XXX. Quæst. XVII. *Caussa ignorata, quæ dedit caussam contractui, efficit ne sponsalia irrita, an irritanda?* Resp. Caussa accidentalis ignorata, quæ dedit contractui caussam, non irritat sponsalia; sed solum ius præbet parti innocenti ut resilire a contractu valeat. Ceterum sponsalia sunt absoluta, & inducunt publicæ honestatis impedimentum. Qui post caussam cognitam resiliendi, rata sponsalia habet, ea rescindere postea nequit, ut evidens est. Quare si, caussa cognita, copulam habeat cum sponsa, ipso facto sponsalia confirmat; secus, si copulam haberet post rescissa sponsalia,

XXXI. Sponsa ignobilis reputatur nobilis, pauper creditur dives, deformis pulchra, corrupta censetur virgo. Licite ne hos defectus occultare valet, ut contrahantur sponsalia, ut postea cogat sponsum ad matrimonium celebrandum? Affirmant Castropalaus, Sanchez, quibus accedunt Salmanticenses *num.* 97. quia, inquiunt, nemo tenetur defectus suos patefacere, & se infamare. Addunt tamen Salmanticenses ibi *num.* 98. intelligenda hæc esse, nisi femina virum deciperet, se virginem fingendo, & divitem, cum corrupta, & pauper sit. Potest tamen, inquiunt, *amphibologia utens eos interrogata negare, aut modis omnibus simulare: quia non tenetur se infamare, aut defectus suos proferre: tenetur tamen alium non decipere, & cum deceptione ad matrimonium inducere. Tum etiam nisi timeat quod, si postmodum a viro cognoscatur, malus exitus futurus sit matrimonii* &c. Potest interrogata, amphibologia utens, defectus tegere, & dissimulare; & simul cavere ne virum decipiat? Ecqui fieri hæc duo possunt? Quomodo decipere potest, nisi occultando defectus, quos si nosceret sponsus, abstineret a sponsalibus? Neque Castropalaus, & Sanchez concedunt, licitum esse rotundo mendacio virum decipere. Verum quod amphibologiis, seu mendacio fucato, aut aperto vir decipiatur; ad illum quod attinet, perinde est. Se infamare, & publicare virgo suos defectus non tenetur. Verum habet. Sed neque decipere sive amphibologiis, sive apertis mendaciis virum licite potest. Quid ergo? Aut abstineat a contractu ineundo; aut si contrahere velit, defectus patefaciat. Id in venditione equi, & vaccæ servatur: & servandum negant in contractu omnium gravissimo, cuius vinculum perpetuum est? Femina honesta & christiana aut candide fateri suam ignobilitatem, paupertatem, corruptionem debet, aut a matrimonio abstinere, suamque deperditam lugere virginitatem. Si defectus sint probrosi, & noxii, ut morbus gallicus, paralysis, lepra, & cetera eiusmodi, quæ vel familiam infamant, aut generationem impediunt, omnes fatentur manifestanda hæc esse. Addo, non esse contrahendum, etiamsi alter vellet, cum similibus defectibus: quia fatuus esset qui hæc cognoscens matrimonium iniret.

XXXII. Quæst. XVIII. *Qua auctoritate dissolvi sponsalia valent?* Resp. Respondet S. Thomas in *Suppl. quæst.* XLIII. *art.* 3. his verbis. *Cum quis ad Religionem confugit, & cum alter coniugium cum altero per verba de præsenti contrahit, ipso iure sponsalia dirimuntur; sed in aliis casibus dirimi debent secundum iudicium Ecclesiæ.* De iis casibus hic loquitur S. Doctor in quos Ecclesia iurisdictionem habet, nempe quando sponsalia sunt publica: tunc enim caussa quoque rescissionis publica sit oportet. Si tamen nullum ex rescissione scandalum oriatur; tunc, quando caussa certa est, possunt auctoritate propria sponsi resilire. Si caussa irritans sit occulta, sive antecedens, sive consequens, propria auctoritate quisque sponsorum recedere a contractu potest; ut communiter docent omnes. Quid, si caus-

caussa occulta vera esset, sed probationes deficerent, ut fornicatio occulta sponsæ, quæ si deferatur ad iudicem, & probationes deessent, sponsus compelleretur eam ducere? Tunc propria auctoritate resilire a contractu sponsum posse, docent Sanchez, Castropalaus, Aversa, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 102. & sententia videtur vera. Qui dubius est de caussa resiliendi, iudicem adire tenetur, si rescindere contractum velit. Si tamen probabilem certitudinem habeat, tunc, deposito dubio, potest pars innocens a contractu recedere: quia in contractu matrimoniali semper, quoad licet, favendum est libertati, absque tamen gravamine partis.

XXXIII. Quæst. XIX. *Quis sit iudex legitimus dissolvendi sponsalia?* Resp. Iam supra indicavi, esse ecclesiasticum, nempe ordinarium Episcopum, aut ab eo delegatum, qui iurisdictionem in foro contentioso habeat. Heinc Parochus, destitutus iurisdictione in foro contentioso, iudex harum caussarum esse nequit.

XXXIV. Quæst. XX. *Qui iustam, occultamque resiliendi caussam habet, quæ lædere alterius famam potest, licite ne illam detegere coram iudice valet?* Resp. Si sponsus certus sit de fornicatione sponsæ derelinquendæ ob tale flagitium; tum debet secreto illam monere, suadere, & hortari ut in sponsalium dissolutionem consentiat. Si hæc resistat, coram iudice detegere caussam rescissionis sponsus iure potest. Si sponsa infametur, sibi imputare debet, præsupposita semper perpetrati criminis certitudine.

XXXV. Quæst. XXI. *Quando iudicis sententia, aut propria auctoritate sponsalia iurata dirimuntur, petenda ne est iuramenti dispensatio?* Resp. Negant Sanchez, Pontius, Leander, Bonacina, Aversa, Dicastillo, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 106. quia iuramentum sequitur contractus naturam. Sicut autem in contractu subintelligitur conditio, nisi iusta caussa resiliendi occurrat; ita includitur in iuramento. Ergo, deficiente contractu, sua natura deficit iuramentum contractui adiectum.

XXXVI. Quæst. XXII. *Quæ caussæ certitudo requiratur, ut sponsalia dirimantur?* Resp. In foro exteriori, si utraque pars caussam extare confiteatur, hæc confessio sufficit. Si pars quæ matrimonium optat, consentiat caussam existere, suo testimonio matrimonium recusat. Si vero pars sola quæ dissolutionem petit, testetur caussam, altera parte negante, non sufficit. In foro conscientiæ sufficit unus testis fide dignus, & ab omni fallaciæ & fraudis suspicione immunis. Si is testetur, sponsam esse fornicatam, ignobilem, pauperem &c. sufficit ut sponsus a promissione recedat. Sufficit quoque, & multo magis fama publica. In tribunali exteriori, si caussa sit impedimentum dirimens, aut impediens, sufficit testis unus fide dignus, ut habetur cap. XXII. *Super eo* de testibus, & cap. *Præterea* de spons. quia, ut ibi dicitur, cum agatur de impediendo peccato, minor

S iiij pro-

probatio requiritur. Immo addunt Salmanticenses, Palaus, & alii, hoc testimonium sufficere, etiamsi sponsalia essent iurata; quando tamen testis est ocularis, & iuratus. Nec obest quod cit. cap. *Praeterea*, & cap. *Super eo* requirantur duo testes ad matrimonium solvendum: quia plus requiritur ad matrimonium contractum dirimendum quam ad solvenda sponsalia. Accedit quod sermo ibi fit de uno teste qui nolit suum nomen patefacere, neque iurare: quo in casu duo testes necessarii sunt, quando sponsalia sunt iureiurando confirmata; secus, si sint simplicia. Publica quoque fama de impedimento sive impediente, sive dirimente sufficit in foro contentioso ad iurata sponsalia rescindenda. Haec tamen fama iuridice constare iudici debet. Si caussa sit de fornicatione sponsae, de ignobilitate, de saevitia, aliove crimine, duo testes iurati requiruntur, qui ex certa scientia deponant; cum agatur de damno, & praeiudicio tertii. Quando tamen agitur de sola fornicatione sponsae, cum sit flagitium natura sua occultum, & difficilis probationis, unus iuratus testis fide dignus, & cuiusque suspicionis expers, forsitan, ut mihi videtur, sufficere poterit. Quando enim similis testis deponit fornicationem sponsae, haec inepta evadit, & valde exosa sponso, qui infamiam subiret, si talem duceret sponsam. Quae doctrina inservit etiam ut puellae severius custodiant suam pudicitiam, suavemque castitatis odorem emittant, probaeque vitae, modestiae, & pudoris exempla palam praebeant. Caussae dissolvendi sponsalia his duobus versibus continentur.

Dissensus, crimen, fuga, tempus, ordo, secundo
Morbus, & affinis, vox publica, cumque reclamat.

XXXVII. Quaest. XXIII. *Necessario ne praeire matrimonio sponsalia debent*? Resp. Quamquam matrimonium sine sponsalibus ratum firmumque sit; tamen laudabilis, & servanda est disciplina praemittendi sponsalia, nulla quidem expressa Ecclesiae lege praescripta, sed usu invecta. Inservit haec, tum ut sponsi praeparent se ad tantum sacramentum celebrandum; tum ut tempus occurrat implendi conditiones in contractu constitutas. Addit *Lib. VIII. confess. cap.* 111. S. Augustinus: *Institutum est ut iam pactae sponsae non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatam.*

CAPUT III.

De matrimonio, & sponsalibus invitis parentibus contractis.

I. CElebris est controversia isthaec, quam plures & ICti, & Theologi magna eruditionis copia versant. Franciscus Muscetula Archiepiscopus Rossanensis in-

integram hoc de argumento *dissertationem theologico-legalem* evulgavit, eamque celeberrimus Alexius Symmachus Mazochius eruditis enarrationibus illustravit, adiecta *mantissa*, *& diatribis duabus*, aliisque *additamentis*. Brevi calamo, prout institutum meum postulat, rem hanc ego expediam.

II. Lutherus scribit, matrimonium iniussu parentum celebratum, si nati filii sint, validum esse; ante vero filiorum procreationem illud irritari, aut confirmari a parentibus posse. Quem errorem proscripsit *sess.* XXIV. *cap.* I. *de refor.* Tridentinum, damnans eos *qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse*. Calvinus *Lib. IV. Inst. cap.* XIX. *§. ult.* iniquissimam hanc Catholicorum legem appellat, quod *coniugia inter adolescentulos parentum iniussu contracta, firma rataque maneant*. Ecclesia ea improbat ut illicita; sed valida esse docet.

III. Convenit penes Theologos, nullo iure naturali, vel divino positivo matrimonia filiorum irrita esse, parentibus insciis, vel invitis contracta. Iure quippe naturæ solus contrahentium consensus requiritur, si natura contractus spectetur. In universa vero Scriptura nullum testimonium occurrit, quo irrita filiorum matrimonia, iniussu parentum contracta, declarentur: idque evidentet patet ex laudato Tridentini testimonio.

IV. Quæst. I. *An mortaliter peccent filii, insciis invitisque parentibus, matrimonia contrahentes?* Resp. Affirmant communiter tum Theologi, tum Canonistæ, Theologorum verba transcribit laudatus Muscetula *dub.* I. Sufficiat illos indicare. Cardinalis Turrecremata, Ven. Cardinalis Bellarminus, Soto, Molina, Ledesma, Sanchez, Sayrus, Megala, Sylvius, Abelly, Estius, Zypæus, Merbesius, Philippi, Naldus, Fagundez, Gabriel a S. Vincentio, Mastrius, Martinonus, Leander, Marchant, Cocq.; Vidal, Platellius, Genettus, Natalis Alexander, Iuvenin, Cabassutius, Engel, Rebellus, Pontius, Politus, Bonacina, Coninch, Perez, Escobar, Filliucius, Delbene, Barbosa, Gonzalez, Robertus, Guittierez, aliique communiter.

V. Ratio evidens profluit sponte sua ex obedientia, honore, reverentia, gratitudine filiorum erga parentes suos. Si enim honorare, revereri parentes, iisque parere astringuntur; sane obedientiam, & reverentiam exhibere parentibus potissimum debent in negotio omnium gravissimo, unde totum pendet vitæ institutum, familiarum pax, conservatio civitatum, & regnorum optima institutio. Ex ipsa Scriptura eruitur, parentum præsertim curam esse filiis de uxore providere. *Gen.* XXIV. Abraham Isaac filio uxorem dedit, & Rebecca ex patris sui consilio in maritum illum accepit. Item *Exod.* XXIV. & *Deuter.* VII. parentibus insinuatur ut filiis suis uxores provideant. *Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo*. Similiter Isaac filio Iacob iussit ne duceret uxorem ex filiis Palæstinorum, ut

ut *Gen.* XXVIII. habetur. *Vocavit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, praecepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaam; sed vade, & proficiscere in Mesopotamium Syriae* &c.

VI. Heinc tamen inferre minime licet, parentes cogere filios suos posse ut hanc potius prae alia ducant. Peccarent quippe parentes, si metu cadente in virum constantem cogerent filios ad nubendum, vel nubendum huic vel illi. Possunt tamen parentes auctoritate patria imperare, adducere, inflectere filios, ut tali mulieri nubant, minis semper sublatis. Filii itaque sub gravi culpa consulere parentes de matrimonio contrahendo obstringuntur. Ceterum contingere potest ut filii ex legitima & iusta caussa possint invitis parentibus nubere: quia evenire potest ut parentes sint irrationabiliter inviti, & iniuste consensum denegent.

VII. Quaest. II. *An iure ecclesiastico irrita sint matrimonia, inсiis, aut invitis parentibus inita?* Resp. Percelebris est proposita controversia inter Theologos. Plures contendunt ad saeculum XII. usque iure canonico irrita, nedum illicita, fuisse matrimonia invitis parentibus a filiis contracta: alii contra longe plures negant, umquam extitisse ecclesiasticam legem, eiusmodi matrimonia irritantem.

VIII. Cardinalis Pallavicinus *Lib. XXII. hist. Conc. Trid. cap.* IV. narrat, hoc de argumento acriter disputatum fuisse, atque ad Gallorum postulationem formatum decretum fuisse *sess.* XXIV. *cap.* I. ut *Synodus irrita faceret ea matrimonia quae contraherentur a filiisfamilias ante annum decimum octavum completum, & a filiabus ante decimum sextum completum absque genitorum consensu.* Verum post varias ex utraque parte sententias formatum decretum est, prout nunc *cit. sess.* XXIV. *cap.* I. *de ref. matrim.* habetur.

IX. Super tali decreto varias instituunt Theologi disputationes de matrimoniis filiorumfamilias invitis parentibus contractis, num scilicet ante Tridentinum invalida, & post valida declarata fuerint. Et communior sententia est, nihil definitum esse de praeteritis; sed futura rata, & valida declarata. Matrimonia vero clandestina praeterita valida fuisse, futura nulla declarat.

X. Multi probabiliter defendunt, antiquos Ecclesiae canones irrita declarasse filiorumfamilias matrimonia defectu consensus parentum. Hoc evincunt *canone* XLII. qui habetur in epistola S. Basilii ad Amphilochium, ubi dicitur: *Quae sine iis qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino ii qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec coniugio domini annuerint: tunc enim accipit firmitatem coniugium.* Adeo luculentum est testimonium istud, ut qui oppositam defendunt opinionem, non aliud excogitare responsum potuerint, nisi negare praefatam epistolam esse genuinum fetum S. Basilii: quae responsio communiter a viris rei criticae peritis exploditur. Hanc quoque fuisse Ecclesiae tum Graecae, tum Latinae disciplinam, multis documentis evincunt. Nam ex Latinis

tinis Patribus Tertullianus *Lib. II. ad uxor. cap.* IX. inquit: *Nec in terris filii sine consensu patrum rite & iure nubunt*. S. Ambrosius *Lib. I. de Abraham cap. ult.* ait: *Consulitur puella non de sponsalibus: illa enim expectat iudicium parentum*. Plurima alia testimonia & Evaristi, & S. Leonis, & Nicolai I. & Alexandri II. & plurium Conciliorum promunt huius sententiæ patroni. Sed contrariæ sententiæ defensores respondent, hæc & similia testimonia interpretandâ esse de matrimoniis illicitis, secus invalidis.

XI. Disputant denique, num iure civili, & Principum edictis nulla sint eiusmodi matrimonia. Contendunt plures, iure antiquo Romano nullas declaratas fuisse præfatas nuptias ob defectum consensus parentum. In Gallia irrita quantum ad effectus civiles, secus quantum ad rationem sacramenti, matrimonia filiorumfamilias invitis parentibus celebrata, declarantur.

XII. Hæc obiter indicavi, cum ad institutum meum non pertineant. Ad propositum enim quæsitum respondeo, non modo nullam extare nunc legem ecclesiasticam irritantem dicta matrimonia, sed e contrario Concilium Tridentinum ea rata & valida definire; ut ex adducto textu evidens est: idque Theologi, & Canonistæ omnes docent. Neque in re aperta diutius immorandum est. Confessariorum est, altius filiisfamilias inculcare, Dei indignationem imminere illis qui invitis parentibus matrimonia contrahunt. Quomodo fausta hæc matrimonia futura erunt, quæ gravissimo sacrilegio celebrantur? Parentes sæpe sunt in caussa cur matrimonia, seipsis invitis, filii ineant, ob pessimam scilicet educationem. Sancte educent instruantque parentes filios suos optimis exemplis, morumque integritate: quia si filii bene morati fuerint, numquam tantum scelus patrabunt; immo nihil de tam gravi negotio deliberabunt. At, posita turpissima hodierna corruptela promiscuæ conversationis in viros, & mulieres, quid boni sperari potest?

CAPUT IV.

De matrimonio clandestino, eiusque prohibitione, & irritatione.

I. MAtrimonium clandestinum, seu secretum, & occultum, olim ex pluribus caussis tale vocabatur. 1. ex defectu testium. 2. ex defectu proclamationum. 3. propter defectum consensus parentum. 4. ob absentiam Parochi. 5. propter defectum benedictionis, aliarumque solemnitatum.

II. Quæst. I. *Quænam sunt caussæ cur post Tridentinum matrimonium reputari clandestinum debeat?* Resp. Post Tridentinum solus defectus præsentiæ Parochi, & testium reddit matrimonium proprie clandestinum, ut ex *sess.* XXIV. *cap.* 1. aperte colligitur. Sic enim ibi statuitur. *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote*

dote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, & annullat.

III. Quaest. II. *Matrimonium clandestinum ex defectu praesentiae Parochi, & testium fuit ne validum ante Tridentinum?* Resp. Verior sententia est ante Tridentinum numquam fuisse invalida matrimonia clandestina: quia, inquit in *Suppl. quaest.* xlv. *art.* 5. S. Thomas, *consensus expressus per verba de praesenti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit.*

IV. Quaest. III. *Quas ob caussas Tridentinum irrita declaravit clandestina matrimonia?* Resp. Graves sane, & in dies occurrentes caussae fuerunt illae ob quas Concilium eiusmodi matrimonia improbavit. Has caussas longe ante Tridentinum *loc. cit. ad* 3. assignavit S. Thomas. *Prohibentur autem clandestina matrimonia propter pericula quae inde evenire solent: quia frequenter in talibus est aliqua fraus ex altera parte; frequenter etiam ad alia coniugia transeunt, dum poenitent de illis quae subito facta sunt, & multa alia mala inde accidunt: & speciem turpitudinis, praeter hoc, habent.*

V. Has easdem caussas allegant Tridentini Patres *loc. cit.* inquientes: *Cum sancta Synodus gravia peccata perpendat quae ex clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Ecclesia, quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhaerendo, praecipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter &c.*

VI. Cum tribus bonis matrimonii, nempe fide, prole, & sacramento pugnare clandestina matrimonia, Theologi animadvertunt. Fidei servandae obsunt: quia qui clam & sine testibus contrahunt, facile a praestito consensu recedunt; & una pars impune alteram deserit, cum nullum exhiberi testimonium possit. Proles quoque incertitudinis periculo subiecta est ob eamdem rationem. Tandem sacramenti dignitas violatur, nexus, & vinculum. Dignitas laeditur, quod, contemptis Ecclesiae legibus, sacrilege matrimonium clandestinum celebratur. Vinculum, & nexus violatur, quod probari testibus nequeat. Facile enim uxor secreto ducta relinquitur, & cum altera contrahitur. Neque revinci criminis reus potest ob testium defectum: Ecclesia enim de occultis iudicare nequit. Quid quod eiusmodi matrimonia familiarum pacem, honorem, & famam perturbant, dissidia, & scandala invehunt?

VII. Opponi solet, Ecclesiam non posse essentias sacramentorum immutare. Essen-

sentia autem sacramenti matrimonii sita est in mutuo, liberoque contrahentium consensu, qui æque verus est, sive secreto, sive palam fiat. Respondent communiter Theologi, Ecclesiam, seu Tridentinum non immutasse materiam, sed solum prohibuisse ne materia, seu consensus apponatur absque conditionibus, in bonum publicum, & eiusdem sacramenti dignitatem præscriptis. Personæ autem quæ has conditiones non observant, inhabiles sunt ad contrahendum : idcirco contractus irritus est. Exempla plura aliorum contractuum suppetunt. Leges ipsæ civiles nullum declarant pupilli contractum absque tutorum consensu: nullam Ecclesia decernit professionem religiosam absque præmissa probatione.

VIII. Quæst. IV. *An matrimonium clandestinum habeat saltem vim sponsalium*. Resp. Sententia negans communis est: quia personæ quæ sic contrahunt, declarantur inhabiles, & contractus nullus est. Disputant vero, num qui clandestine contrahunt, pœnas incurrant a canonibus sacris constitutas. Siquidem etiam ante Tridentinum matrimonia clandestina erant illicita, tametsi valida! ideo pænæ constitutæ in transgressores fuerunt. Nunc, cum nulla sint talia matrimonia, non videtur reus novis pœnis subiiciendus. Varios hac de re modos dicendi P. Sanchez refert *Lib. III. disp.* 11. quos expendere non vacat.

IX. Quæst. V. *Utrum post Tridentinum ita necessaria sit præsentia Parochi, & testium, ut in nullo casu sine illa validum sit matrimonium, saltem in conscientia, si fide bona contrahatur?* Resp. Distinguendi sunt fideles ab infidelibus. Isti, cum subiecti Ecclesiæ non sint; nulla lege ecclesiastica obstringuntur. Quare infideles, sive habitent in locis subiectis Principibus catholicis, & Ecclesiæ quoad dominium temporale, sive alibi, possunt valide contrahere absque hac solemnitate a Concilio præscripta. Similiter ubi Concilium Tridentinum receptum non est, valida sunt matrimonia absque præfata solemnitate; cum lex non acceptata non irritet contractum. Peccant tamen mortaliter fideles contrahentes absque eiusmodi legis observantia. Ubi vero Concilium acceptatum est, nullus reperiri casus valet in quo matrimonium clandestinum sine Parochi, & testium præsentia validum sit.

X. Disputant Theologi, num, instante mortis periculo, validum esset matrimonium illius qui nuberet concubinæ, ut suæ conscientiæ, & mulieris famæ consuleret, & Parochus adesse non posset, neque testes essent præsentes. Adfirmant plures, validum tunc esse tale matrimonium clandestinum. Plures alii negant, reperiri aliquem casum in quo, ubi acceptatum Concilium est, matrimonium clandestinum validum sit. Quoniam licet necessitas excuset ab observantia legis præcipientis; nulla tamen necessitas efficere potest ut personæ inhabiles fiant habiles ad contrahendum. Concilium autem Tridentinum inhabiles reddit personas ad contrahendum absque Parocho, & testibus, nullumque contractum declarat. Ergo nulla necessitas efficere potest ut contractus iste validus sit.

XI.

XI. Quaest. VI. *Esset ne validum matrimonium bona fide contractum publice coram multis testibus, Parocho absente?* Resp. Quamquam matrimonium contraheretur coram centum testibus, si Parochus desit, nullum est. Neque bona fides, aut ignorantia invicibilis efficere potest ut contractus irritus validus evadat; quamvis excuset a culpa. Ut haec intelligantur, habenda prae oculis sunt verba Tridentini *cit. sess.* XXIV. *cap.* I. quae eiusmodi sunt. *Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit & annullat.* Nulla igitur ignorantia, nulla bona fides in locis ubi Tridentinum est promulgatum, & acceptatum, efficere potest ut contractus absque praesata solemnitate celebratus validus sit.

XII. Quaest. VII. *Quid de matrimoniis dicendum quae in Hollandia, Zelandia, Frisia, aliisque foederatis Belgii provinciis contrahuntur coram magistratu, absente Parocho?* Resp. Acerrime olim disputatum est inter Theologos super eiusmodi matrimoniorum valore. Plures irrita haec matrimonia pronuntiarunt, quod Tridentinum fuerit in dictis provinciis promulgatum an. 1565. opera Margharitae Parmensis, quae tum temporis imperabat loco Philippi II. Huiusce promulgationis documenta Scriptores plures afferunt, ut Piette, Huygens, Zypaeus, & alii plures. Inter huiusce sententiae defensores Estius, Ven. Cardinalis Bellarminus, insuper Congregatio Cardinalium in litteris datis anno 1605. ad Sasboldum Vicarium apostolicum per Hollandiam praesata matrimonia, coram haeretico magistratu celebrata, nulla esse declararunt. Permulti Theologi alii valida esse eiusmodi matrimonia, gravissimis rationum momentis ducti, defensitarunt.

XIII. Post diuturnam Theologorum de hac controversia disputationem Pontifex maximus BENEDICTUS XIV. sapientia non minus quam dignitate suprema clarissimus, finem controversiae imponere constituit. Ut vero in caussa sane aeque implicatissima, ac gravissima mature & circumspecte incederet, perdoctis, & praeclaris viris eam serio discutiendam commisit Guidobono Cavalchino S. Cong. Concil. a secretis, Ioachimo Besozzi Abbati & S. R. Inq. Consultori, qui nunc ambo sacra Purpura refulgent, P. Thomae Sergio S. R. Inq. Consultori, PP. Dominico Turani, & AEgidio Giuli Soc. Iesu Theologis praeclaris. Horum primus eiusmodi matrimonia catholici cum haeretica, & haeretici cum catholica, coram politico magistratu celebrata, valida & rata propugnavit, quando Episcopus, aut Parochus adesse nequiret: quam sententiam confirmavit decreto Sac. Cong. dato 27. Martii an. 1632. Similiter matrimonium haeretici cum haeretica ratum dixit; quod pro illis Tridentinum decretum latum minime fuerit, altero adducto decreto eiusdem Sac. Cong. dato die. 1. Decembris 1696. Valida quoque haec matrimonia asseruit

Emi-

Eminentissimus Besozzi in *ratione contractus*. Hanc eamdem sententiam propugnavit Thomas Sergius, quod Tridentinum nihil hac in caussa pro hæreticis definire voluerit; cum declaraverit suum decretum neminem obstringere, nisi post promulgationem in parochiis faciendam. Nullum tamen existimavit matrimonium inter coniugem catholicum, & hæreticum: quia coniux catholicus per Tridentinum inhabilis ad contrahendum declaratus est in absentia Parochi, & testium. Id tamen restrinxit, dummodo Parochus adesse absque gravi detrimento possit: P. AEgidius *Giuli*, dulci mihi amicitiæ fœdere iunctus, negavit Tridentinum decretum in Hollandia, quæ nunc existit, publicatum esse. Quoniam licet promulgatum fuerit tempore quo provinciæ illæ catholicis Regibus subiectæ erant, tamen sublatis parœciis, & catholico regimine diversum omnino regimen, diversi hominum cœtus coaluerunt, & veluti nova natio, ad ecclesiasticam disciplinam quod attinet, inducta. Hac via contraria S. Congregationis decreta in concordiam revocare studet. Quæ nulla præfata matrimonia pronuntiant, tempora illa spectant quibus Belgium Regi catholico parebat. Decreta quæ valida hæc matrimonia decernunt, tempora posteriora respiciunt.

XIV. His insignium Theologorum consultationibus præmissis, Pontifex sanctissimus BENEDICTUS XIV. *constitutionem* edidit die 4. Novembris 1741. cuius initium est, *Matrimonia*, in qua hæc statuit. Primo matrimonia ab hæreticis in Belgio celebrata, neglecta Tridentini decreti observatione, *pro validis habenda esse, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum*. Quare si uterque ad catholicam Ecclesiam redierit, *eodem quo antea coniugali vinculo ipsos omnino teneri*. Si vero unus tantum catholicus fiat, *neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire*. Ad matrimonia quod attinet contracta a catholicis cum hæreticis, sive catholica femina cum hæretico viro, sive hæreticus vir cum femina catholica nubat, monet Pontifex summus Episcopos, Vicarios apostolicos, Parochos, Missionarios, aliosque Ecclesiæ ministros, in illis provinciis degentes, ut omni studio *Catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis, in propriam animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant*. Subdit tamen, eiusmodi matrimonia iam contracta, & si contingat in posterum aliquod contrahi, valida esse, inquiens: *Matrimonium huiusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, & neutrum ex coniugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictæ formæ non servatæ novum matrimonium inire*. Hoc tandem pacto controversiam diu agitatam finivit Pontifex summus. A præfatis matrimoniis, cum fiant coram magistratu, absunt præcipua absurda quæ evitare Tridentinum voluit.

XV. Quæst. VII. *Peregrini debent ne contrahere matrimonium iuxta leges quæ vi-*

vigent in locis ubi perficiendum est? Resp. Si peregrini, in quorum locis promulgatum non est Tridentinum decretum, transeant per loca ubi promulgatum dictum decretum est, coram Parocho, & testibus contrahere tenentur: quia contractus celebrare tenentur iuxta leges locorum in quibus reperiuntur. Quid, si peregrini discedentes a locis in quibus obligat Tridentinum decretum, transeunt per loca ubi decretum istud non obligat? Possent ne absque Parocho, & testibus contrahere? Peccare istos mortaliter, communiter adfirmant Theologi; validum tamen matrimonium afferunt Dicastillus, Aversa, Coninch, Perez, Palaus, Ledesma, Bonacina, quos citant; & sequuntur Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* VIII. *punct.* 2. *num.* 19. Ego non auderem validum asserere eiusmodi matrimonium, quando fideles subiecti legibus Tridentini possent coram Parocho, & testibus contrahere.

XVI. Quæst. IX. *An validum sit matrimonium Catholicorum qui in fraudem adeunt loca ubi Tridentinum non est promulgatum, ut sine Parocho, & testibus contrahant?* Resp. P. Thomas Sanchez *Lib. III. disp.* XVIII. *num.* 29. „ Limitant alii „ qui hanc sententiam, nisi adirent ea loca in fraudem decreti Tridentini, ut ibi „ possent libere absque Parocho, & testibus matrimonio copulari: tunc enim aiunt esse invalidum .... Ceterum displicet mihi hæc limitatio, & credo, licet adirent eo fine ut possent libere absque Parocho, & testibus contrahere, esse „ ratum matrimonium. Primo. Nam qui utitur iure suo, non potest dici fraudem committere, ut ea ratione effectus impediatur."

XVII. Hæc opinio falsa, valde laxa, & aperte Concilio Tridentino adversa est. Concilium non modo prohibet matrimonia clandestina, sed præterea inhabiles fideles ad sic contrahendum declarat. Quid? poterunt Catholici ad loca hæreticorum, aut infidelium transire, ibique contrahere occulte absque Parocho, & testibus: deinde in patriam redeuntes, aliud matrimonium publice inire? Hoc enim & alia similia absurda talia consequuntur matrimonia, ut Tridentinum monet. In Sanchezii opinionem concedunt multi recentiores, & inclinant Salmanticenses *num.* 21. sub finem; sed non propterea a laxitate, ut ego quidem censeo, immunis est.

XVIII. Quæst. X. *An fideles, degentes captivi sub infidelium tyrannide, contrahere valide absque Parocho, & testibus possint?* Resp. Adfirmant Sanchez, Bonacina, Perez, Dicastillus, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 22. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *num.* 770. quia Concilium petit ut suum decretum sit publicatum in parochia ubi celebrandum est matrimonium. Hæc autem conditio deficit in præsenti. Si, quod mea minima præfert opinio, dicere in hac implicatissima materia licet, assererem observandam semper a Catholicis legem Tridentini, quoad fieri potest. Si in locis ubi degunt, præsentia Parochi haberi moraliter nequeat, adhibeantur testes. Quoniam unum ex præcipuis rationum

num momentis cur Tridentinum providentissime matrimonia clandestina vetavit est, ut impediantur posteriora adulterina coniugia, quæ facillime ex matrimoniis clandestinis sequuntur. Hæc autem vitantur, si testes adhibeantur, licet Parochus desit: contractus enim publicus rescindi amplius nequit; cum testes celebrationis adsint. Quæ ratio eximere potest a celebratione coram testibus? Cur lex de testibus vocandis servari non debet, licet Parochus absit? Nulla sane omittendæ legis, alioquin gravissimæ, & fini a Tridentino intento quam maxime consentaneæ, caussa solida assignari valet.

XIX. Quæst. XI. *An Catholici subiecti Principi hæretico possint post celebratum matrimonium iuxta Tridentinum se sistere ministro hæretico?* Resp. Pontifex maximus BENEDICTUS XIV. *de Synodo* &c. *Lib. VI. cap.* v. *num.* 4. hoc præbet responsum, latum a Cong. S. Officii die 29. Novemb. 1672. *Catholici qui matrimonio iuncti sunt coram Parocho, & testibus catholicis, in pluribus locis (ita invaluit consuetudo) solent coram ministro hæretico, seu protestante rursus coniungi ad vitanda gravia damna; neque potest consuetudo hæc a Clero corrigi. Peccant ne? Et quo peccato Catholici, sic denuo coniuncti, coram ministro hæretico? Et quomodo se gerere debet erga illas Ordinarius loci? Sacra Congregatio respondit: quatenus minister assistat matrimoniis Catholicorum, uti minister politicus, non peccare contrahentes: si vero assistat ut minister addictus sacris, non licere; & tunc contrahentes peccare mortaliter, & esse monendos.*

XX. Adiicit *num.* 5. Pontifex summus. „ Huic sacræ Congregationis sententiæ „ nostram Nos auctoritatem adiecimus in *nostra const.* lxxxix. §. 10. *nostri Bullarii Tom.* „ *I.* ubi fidelibus degentibus in regno Serviæ, finitimisque regionibus interdicimus „ ne matrimonio inter se catholico ritu celebrato, illud renovare præsumant co- „ ram *Caddi*; nostram tamen interdictionem hac temperamus limitatione, nisi sci- „ licet nuptiarum cæremonia explenda coram *Caddi* actus sit mere civilis, nul- „ lamque contineat Mahumetis invocationem, aliudve superstitionis genus in- „ cludat."

XXI. Quæst. XII. *Quis sit Parochus præscriptus a Tridentino?* Resp. Parochum vel Sacerdotem de Parochi licentia assistere matrimonio debere, Tridentinum præscribit. Parochus autem proprius esse debet saltem unius contrahentium. Si enim femina sit unius, vir alterius paræciæ, sufficit ut unus Parochus sive viri, sive mulieris matrimonio assistat. Usus obtinet pluribus in locis ut coram Parocho feminæ de licentia Parochi viri celebretur matrimonium. Requiruntur tamen litteræ testimoniales Parochi viri de proclamationibus consuetis. Proprius autem Parochus non originis, sed domicilii est: quia is facilius deprehendere, si quod est impedimentum inter contrahentes, potest.

XXII. Quæst. XIII. *Requiriturne animus perpetuo manendi in parochia, ut dica-*

tur proprius Parochus domicilii? Resp. Qui habet domicilium in civitate, alioque pergat ad breve tempus, puta ad villam, vel recreationis caussa, vel ut villicationi invigilet, animo postea redeundi, non potest matrimonium coram Parocho illius villæ celebrare; ut communior, & vera sententia docet: quidquid in oppositum alii doceant, opponentes aliorum sacramentorum administrationem. Verum ratio hæc futilis est, cum sacramentorum administratio ab Ecclesiæ iurisdictione pendeat. Ecclesia autem matrimonii celebrationem a solo proprio Parocho fieri præcipit.

XXIII. Si quis se transferat ad locum, villam, oppidum &c. animo ibidem manendi, non pro brevi tempore, sed ad maiorem anni partem, & postea redeundi ad proprium domicilium, communior sententia docet, posse hunc celebrare matrimonium coram Parocho talis loci in quo maiorem anni partem habitare deliberavit. Et celebrationem fieri posse docent, dum per breve tempus primo incepit ibidem habitare. Quoniam, inquiunt, per solam inhabitationem conducta domo, aut officina, acquiritur quasi domicilium. Porro habitatio constituens quasi domicilium sat est ad constituendum parochianum proprium. Si quis in duobus locis quasi æqualiter plus minusve habitet, tunc is duos habebit Parochos; & coram alterutro contrahere poterit. Sicuti enim duplex inhabitationis domicilium, sic duos Parochos habet: neque unus expectare alterius licentiam debet; cum par in parem potestatem non habeat. Consilium tamen mutuo habere poterunt, & sæpe expediet.

XXIV. Extra propriam parochiam, immo diœcesim, posse proprium Parochum assistere matrimonio suorum parochianorum, quin mortaliter peccet, docent communiter recentiores. Mihi tamen probabilius est, Parochum debere a Parocho loci licentiam petere. Exercere enim iurisdictionem, tametsi non contentiosam, debet, ut ego quidem sentio: & in omnium sententia officium publicum præstare debet: & tandem hoc tutius est.

XXV. Quæst. XIV. *Quis dicatur Parochus vagorum*? Resp. Illi appellantur vagi qui nullibi certum domicilium habent, sed vagantes huc atque illuc immigrant. Nomine vagorum communiter comprehenduntur illi qui, proprio domicilio relicto, navigant, iter agunt, ut alicubi se collocent. Similiter vagi sunt qui deserentes proprium domicilium alio pergunt, ut ibidem inhabitent. Isti, quamdiu sunt itinerantes, nullibi reipsa domicilium habent: non primum, quia relictum; non secundum, quia nondum acquisitum: idemque est de eo qui, relicta propria paræcia, aliam inquirit. Porro horum vagorum matrimonio quemlibet Parochum assistere posse docent communiter Theologi. Antequam tamen Parochi vagorum matrimoniis assistant, petere ab Episcopo licentiam, severamque præmittere diligentiam debent, ut colligant, num liberi, num impedimento aliquo obstricti sint &c.

&c. Si coniugum alter vagus fit, alter incola, convenientius est ut incolæ Parochus assistat. Si vagi ea in ætate in qua contrahere matrimonium poterant, in aliquem locum venerint, tum est necessaria maior diligentia. Observandum etiam, alios esse vagos ignotos, de quibus dictum est; alios notos, quia sunt eiusdem loci; vagique dicuntur, quia propriam parochiam non habent: tunc, præmissis denuntiationibus consuetis, quilibet Parochus assistere poterit. Quod dictum de vagis est, dicendum quoque de alienigenis ignotis, alibi fixum domicilium habentibus: quia eadem de his ac de vagis ratio urget, cum & isti alibi matrimonium contraxisse potuerint.

XXVI. Quæst. XV. *An Parochum matrimonio assistentem Sacerdotem esse oporteat?* Resp. Negant Sanchez, Castropalaus, Gonet, Trullenchus, & alii; quos citant, & sequuntur Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* VIII. *punct.* 4. *num* 40. Et omnes illi qui negant Parochum esse ministrum huius sacramenti, consequenter illum esse Sacerdotem non requirunt.

XXVII. Contraria sententia mihi est cum gravissimis Theologis supra laudatis probabilior, nempe Parochum esse matrimonialis sacramenti ministrum. Heinc necessario consequitur, Parochum debere esse Sacerdotem. Quid quod ex ipso Tridentino aperte infertur sententia nostra? Hæc sunt Tridentini verba: *Qui aliter quam præsente Parocho, vel ALIO Sacerdote* &c. Qui explere vices Parochi debet, *alius Sacerdos* sit oportet. Ergo Parochus Sacerdos esse debet. Quid enim iuxta obvium sensum hæc dictio significat? *Alius Sacerdos*. Sane non aliud, nisi hoc. Si Parochus Sacerdos non assistit, assistat alius qui sit Sacerdos. Variis interpretamentis eludere hunc textum conantur adversarii, quæ missa facio; cum adversæ sententiæ suam probabilitatem non denegem. Atqui neque adversarii nostræ sententiæ suam, & quidem gravem, probabilitatem negare ullo modo possunt. Porro cum in sacramentis conferendis ex opinionibus probabilibus tutior pars sit necessario eligenda, cum de sacramenti valore, præsertim respectu materiæ & formæ, agitur, ipsis fatentibus; consequitur, illorum opinionem, ad praxim quod attinet, omnino esse reiiciendam. De necessitate eligendæ tutioris sententiæ, ubi agitur de sacramentorum valore, nulla est disputatio. Nostram sententiam probabilem esse, in controversiam vocari a prudente Theologo nequit, & præsertim a Probabilistis Consequentia autem evidens, & necessaria est.

XXVIII. Mutuo adversarii disputant, peccet ne mortaliter Parochus non Sacerdos assistens matrimonio? Adfirmant alii, & alii negant. Salmanticenses *num.* 45. negantem opinionem defendunt: quia, inquiunt, matrimonium non exponitur periculo nullitatis. Eccur? Quia, subdunt, *in re pendente ex iure positivo, quando adest probabilis opinio, Ecclesia supplet defectum, si adsit; & facit valere matrimonium sic celebratum*. Hoc est purum putumque Probabilismi commentum, omni

 por-

prorsus fundamento destitutum, ut *Tom. IX.* ostensum est. Unde colligunt Ecclesiam supplere? Quodnam documentum promunt? Nullum prorsus, præter quorumdam Casuistarum opiniones. Nos vero luculentissima Ecclesiæ testimonia adduximus, quibus Ecclesia declarat se nolle supplere, cum iubeat ut tutior pars eligatur. Quando adest titulus coloratus, supplet Ecclesia: quia Ecclesia ipsa declaravit hoc in casu se velle supplere, ut *loc. cit.* dictum est. Parochus igitur non Sacerdos dare licentiam Sacerdoti debet ut matrimonio assistat.

XXIX. Quæst. XVI. *An Parochus excommunicatus non toleratus assistere matrimonio possit?* Resp. De Parocho excommunicato tolerato, & non vitando nulla est difficultas, hunc posse matrimonio assistere. Excommunicatum quoque Parochum vitandum posse assistere matrimonio, communiter adfirmant recentiores, dummodo non sit eiusmodi Parochus in iudicio parochiali beneficio privatus: quia, inquiunt, hoc ipso quod beneficio privatus non sit, vere Parochus est. Sed Concilium Parochi assistentiam tantum requirit. Peccare tamen Parochum excommunicatum non toleratum assistentem matrimonio fatentur. P. Dominicus Viva *quæst.* IV. *art.* 4. *num.* 9. non modo valide, sed etiam licite cum Sanchez, & aliis contendit, Parochum excommunicatum non toleratum assistere matrimonio posse. Sed hanc opinionem ut falsam & laxam reiicio. Addit tamen Viva, licite assistere Parochum excommunicatum non toleratum, si requiratur a sponsis: tum enim datur, inquit, sufficiens necessitas: si vero assisteret absque ulla necessitate; tum peccaret quidem, at non incurreret, subdit Viva, irregularitatem. Sed hæc arbitraria commenta sunt. Peccarent enim vel ipsi sponsi postulantes Parochum excommunicatum non toleratum, ut tanto sacramento assisteret. P. Viva cum aliis tamquam certam obtrudit opinionem asserentem, Parochum non esse ministrum huiusce sacramenti: & huic falso supposito nixi dictas opiniones inferunt, quas nos falsas reputamus. Gravissima & urgentissima necessitas forsitan a peccato excusare posset sponsos, & eiusmodi Parochum a peccato.

XXX. Salmanticenses *loc. cit. num.* 49. cum Bonacina, Coninchio, & aliis inferunt, Parochum cui Episcopus ob crimen, aut imperitiam prohiberet ne assisteret matrimonio, aliaque sacramenta administraret, valide nihilominus assistere matrimonio: eo quod Episcopus, licet prohibeat ne assistat ob crimen, aut imperitiam, tamen Parochi qualitatem non aufert. Ergo assistere matrimonio valide potest. Peccaret tamen mortaliter, quia iustum superioris præceptum infringeret. Hæc opinio mihi non probatur. Cum enim Episcopus prohibet Parocho ne sacramenta administret, & sigillatim ne matrimonio assistat, subtrahit eidem omnem iurisdictionem in sacramentorum administratione. In nostra autem sententia Parochus est minister huiusce sacramenti, & iurisdictionem exercet. Ergo, sublata hac ab Episcopo, celebrari matrimonium nequit.

XXXI.

XXXI. Quæst. XVII. *An Parochus excommunicatus vitandus, vel suspensus possit alteri Sacerdoti vel excommunicato, vel non excommunicato licentiam dare ut matrimonio assistat?* Resp. Affirmant Bonacina, Diana, Trullenchus, Sanchez, Castropalaus, Leander; quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 51. Sed negant Suarez, Layman, Soto, Coninch, Dicastillus. Et hæc secunda opinio est probabilior: quia concessio licentiæ assistendi sacramento matrimonii est actus iurisdictionis, quam impertiri excommunicatus vitandus nequit.

XXXII. Quæst. XVIII. *An Parochus cum titulo colorato, & errore communi valide assistat matrimonio?* Resp. Titulus coloratus, ut suo loco dictum est, tunc habetur, quando verum titulum quis obtinet a legitimo Superiore; sed vel ob occultum impedimentum inhabilis ad illum obtinendum est, vel occulte privatus est post assecutionem. Hic est titulus coloratus. Error vero communis est, quando communiter omnes probabiliter iudicant talem titulum esse collatum. Non sufficit huius aut illius ignorantia, neque error communis crassus & supinus; sed requiritur probabilis opinio, qua iudicetur hunc esse verum Parochum.

XXXIII. Communis Theologorum sententia docet, Parochum qui a legitimo Superiore obtinuit beneficium parochiale, invalide tamen ob occultum impedimentum, vel valide, sed postea alio titulo fuit privatus, non tamen publice spoliatus, si adsit error communis, quo verus Parochus reputetur, valide assistere matrimonio, & cetera sacramenta administrare: idque colligunt ex cap. *Infamis*, III. quæst. VII. Ius quippe canonicum ob vitanda plurima incommoda, & absurda declaravit, Ecclesiam supplere, quando hæc duo adsint, titulus coloratus, & error communis.

XXXIV. Sufficit ne error communis absque titulo colorato? P. Sanchez *Lib. III. disp.* XXI. *num.* 49. & 50. licet benignissimus, ne probabilem quidem vult opinionem adfirmantem. Sed P. Viva *quæst.* IV. *art.* 4. *num.* 12. fatetur quidem, P. Sanchez ut improbabilem reiicere opinionem adfirmativam; subdit tamen cum suo Diana, Molfesio, & Ioanne Sanchez proscripto, aliisque, præfatam opinionem esse probabilem; eamque suadere nititur: quia, inquit, *ex æquitate & benignitate iuris asserendum, utrobique suppleri defectum, qui a potestate humana suppleri potest.* Hæc interpretatio arbitraria, falsa, & laxa est.

XXXV. Quæst. XIX. *Quinam præter Parochum assistere matrimonio valent?* Resp. Præter Parochum, & Sacerdotem de licentia Parochi, assistere possunt Episcopi in suis diœcesibus, Archiepiscopi in diœcesibus suffraganeorum, quando actu visitant, Cardinalis in Ecclesia sui tituli, Legati pontificii in provincia legationis, Capitulum sede vacante, sive eius Vicarius, Abbates Ecclesiæ nulli Episcopo subiectæ, Vicarius generalis Episcopi, quocum unum tribunal efficit.

XXXVI. Quæst. XX. *An licentia extorta vi, metu gravi, fraude, satis sit ut Sa-*

Sacerdos valide assistat matrimonio? Resp. Adfirmant Salmanticenses *loc. cit. num.* 56. & citant Sanchez, Palaum, & Pontium: P. Viva *loc. cit. num.* 10. cum Bonacina distinguit. Si metus gravis, dolus, mendacia versentur circa caussam impulsivam, validum est matrimonium; si circa caussam finalem, aut si Parochus expresse, dum licentiam concedit, dicat, se illam non concedere, veritate deficiente, nullum matrimonium erit. Verum, his speculationibus missis, libertatem summopere in matrimonio Ecclesia postulat. Idcirco eiusmodi licentiæ gravi metu, fraude, aut vi extortæ nullæ sunt; atque adeo nullum efficiunt matrimonium. Hæc licentia libera sit oportet & expressa; nec absolute loquendo sufficit tacita. Parochus, videns Sacerdotem se disponentem ad assistendum matrimonio, & non prohibens, tacite consentit: & hoc sufficit, inquiunt Salmanticenses *num.* 56. Sed hoc absolute falsum est: quia istius taciturnitas ex iustis caussis proficisci valet, quin solidum præstiti consensus argumentum præbeat. De solemnitate ad valorem sacramenti necessaria agitur; & coniecturis hærendum erit? Antequam ergo Sacerdos matrimonio assistat, expressam habere licentiam debet a Parocho. Neque sufficit Parochum illam per litteras misisse, ut possit Sacerdos, antequam litteras accipiat, matrimonio assistere; sed litteras expectare, & certam concessionis notitiam habere tenetur, antequam matrimonium celebret.

XXXVII. Quæst. XXI. *Utrum ad valorem matrimonii requirantur duo testes præter Parochum*? Resp. Adfirmant omnes, nullum esse matrimonium contractum coram Parocho, & uno teste: quia Tridentinum duos præter Parochum testes adesse præscribit; qui simul, & in eodem loco præsentia physica, & morali adesse debent, & utriusque coniugis mutuum consensum percipere. Si unus testis huius coniugis, & alter testis alterius coniugis consensum audiret, nullum esset matrimonium. Similiter si Parochus hoc tempore, testes alio tempore diverso coniugum consensui assisterent, matrimonium esset irritum. Debent igitur simul & semel esse testes & contestes mutui amborum coniugum consensus.

XXXVIII. Quæst. XXII. *An isti testes omni exceptione maiores esse debeant*? Resp. Testes omni exceptione maiores illi dicuntur quibus nulla in iudicio opponi exceptio valet; puta, quod non sint pubertatem nacti, quod aliqua infamiæ nota maculati sint, suspecti, propinqui, excommunicati &c. Hæ sunt exceptiones quæ opponi in iudicio possunt. Illi quibus hæc opponi nequeunt, dicuntur omni exceptione maiores. Tales testes ad matrimonii valorem communiter Auctores non requirunt; sed sufficere communiter aiunt impuberes, infames, excommunicatos, feminas, propinquos, servos, parentes, infideles; neque necesse esse ut sint vocati, sed sat esse ut factum perceperint, viderintque. Ad dissolvendum vero matrimonium postulant testes omni exceptione maiores. Quoniam, inquiunt, si ad valorem matrimonii requirerentur testes omni exceptione maiores, via lata ape-

aperiretur ad matrimonia irritanda: & contra, si ad matrimonium dissolvendum sufficerent testes infames, similiter matrimonia dissidiis, litibus, & rescissionibus obnoxia forent. Eiusmodi tamen sive testes, sive Parochi adesse matrimonio debent præsentia non modo physica, sed etiam morali, idest usu rationis præditi, advertentes, & percipientes actionem. Quamobrem furiosi, amentes, ebrii, usu rationis destituti inepti sunt ad testimonium de matrimonio ferendum. Cæcos optime audientes, & surdos visu præditos testes esse posse aiunt. Hos ego, saltem surdos, non admitterem.

XXXIX. Quæst. XXIII. *Sat ne est ut Parochus, & testes transeunter, & non vocati, matrimonio intersint?* Resp. Adfirmant Sanchez, Ledesma, Aversa, Trullenchus; quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 65. quia, inquiunt, sive casu & transeunter, sive vocati & ex condicto intersint, dummodo advertant & percipiant factum, æque testari possunt peractum matrimonium esse; quod est Concilii intentum. Contra Pontius, Bonacina, Leander *tract.* IX. *dis.* VII. *quæst.* XXXVIII. oppositum defendunt. Quia ut Parochus dicatur assistere matrimonio, debet esse vocatus & rogatus. Et ita declarasse S. Congregationem Cardinalium testatur, inquit Leander, Farinacius *pag.* 268. & 273. ubi non unam, sed plures affert declarationes, quarum una hæc est. *Parochus ita præsens matrimonio debet esse, ut appareat a contrahentibus hac de caussa adhibitus fuisse.* Hanc sententiam veram existimo.

XL. Quæst. XXIV. *An si Parochus, & testes vi, dolo, metu vocati fuerint, ut assistant, validum esset matrimonium?* Resp. Adfirmant communiter recentiores, Ledesma, Trullenchus, Castropalaus, Pontius, Bonacina, Sanchez, & alii; quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 66. Leander *quæst.* XXXIX. citat Farinacium, afferentem *pag.* 268. declarationes Congregationis Cardinalium, in quibus asseritur matrimonium validum, etiamsi Parochus compulsus, & prohibitus a suo Ordinario assisteret. Si veræ & authenticæ sint eiusmodi declarationes, iis subscribo, & subiicio id quod supra dixi de Parocho assistente matrimonio contra Episcopi sui prohibitionem. At, præcisis his declarationibus, de quibus mihi non constat, invalidum matrimonium pronuntiarem cui Parochus coactus fraude, dolove inductus assisteret. Nam intentum Concilii non modo est ut habeatur attestatio matrimonii peracti, sed etiam ut matrimoniale sacramentum sit libere & sancte celebratum.

XLI. Quid, si Parochus coactus oculos claudat, obturetque aures, & protestetur se neque videre, neque intelligere quid agatur? Etiam tum valere matrimonium, adfirmant Leander, Pontius, Ledesma, Salmanticenses *num.* 67. & afferunt ex Farinacio declarationem Congregationis Cardinalium. Oppositum docent Sanchez, Bonacina, Trullenchus. Præcisis declarationibus citatis, quibus veris & au-

thenticis extantibus, semper subscribo, hanc secundam opinionem existimo veram, & priorem falsam.

XLII. Quæst. XXV. *Peccant ne mortaliter qui dolo, & metu gravi cogunt Parochum, vel testes, ut matrimonio assistant?* Resp. Peccare mortaliter illos qui coram Parocho, vi aut dolo detento, aut transeunter & casu assistente, matrimonium celebrarent, adfirmant vel ipsi recentiores citati communiter omnes. Quoniam sacramenta suscipi debent auctoritate & approbatione Ecclesiæ, quæ in præsenti deficeret. Præterea peccarent ratione irreverentiæ, & iniuriæ irrogatæ Ecclesiæ, sacramento, & ipsi Parocho. Addunt tamen, necessitatem urgentem excusare a culpa, quando nempe contrahendi gravis caussa urgeret, & Parochus nollet assistere, & Superior adiri non posset, ut compelleretur Parochus. Verum ex arbitrio hæc finguntur: nisi enim Parochus demens sit, nullaque caussa obsit, non est præsumendum ullo in casu illum nolle matrimonio legitime contrahendo assistere. Si refragatur, argumento est eum iustam habere resistendi caussam vel ob aliquod impedimentum occultum, quo irretitos novit contrahentes, vel ob aliam iustam caussam. Quare absque fundamento recentiores isti, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 68. tribuunt contrahentibus potestatem cogendi proprium Superiorem, seu Parochum, ut sibi inserviat, & pro arbitrio proprio sacramento matrimoniali assistat.

XLIII. Quæst. XXVI. *Quæ præstare Parochus debet in matrimonii celebratione?* Resp. Interrogare primum contrahentes debet, velint ne mutuo se se coniungere. Audito illorum mutuo consensu, coniungere illos debet pronuntiando verba præscripta a Concilio: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris* &c. aut similia iuxta propriæ Ecclesiæ disciplinam. Tandem matrimonium contractum litteris consignare debet in libro ad id destinato. Si interrogationem omitteret Parochus, quando ipsi contrahentes sponte mutuum exprimerent consensum, non peccaret mortaliter; cum non videatur res adeo gravis, cuius omissio constituat letalem culpam. Peccaret vero mortaliter, si negligeret describere in consueto libro celebratum matrimonium: quia frangeret præceptum Tridentini in re gravissima.

XLIV. Quæst. XXVII. *Peccat ne mortaliter Parochus omittens hæc verba*, Ego coniungo &c.? Resp. P. Thomas Sanchez hæc habet *Lib. III. disp.* XXXVIII. *num.* 7. „ Tertia conclusio. Culpa venialis est ea verba (*Ego coniungo vos* &c.) omittere . . . . Probatur: quia materia non est gravis; cum ea verba non sint forma „ sacramenti, *nec pertineant ad solemnitatem magni momenti*, nec includant my„ sterium magnæ significationis. Præterea quia quamvis Tridentinum utatur ver„ bis præceptivis; at sub illo præcepto non continetur tantum ut Parochus ea „ verba proferat, sed alia magni momenti, nempe ut præmittantur denuntia-

„ tio-

„ tiones, & ut matrimonium celebretur coram Parocho, & testibus, ut habeat „ librum &c. "

XLV. Hæc opinio falsa & laxa, ut mitissime loquar, est. Nuptiarum benedictio, & verba relata, seu alia similia, quibus Parochi coniungunt contrahentes, est unum ex potissimis sacræ traditionis monumentum, quo adversus heterodoxos Catholici evincunt matrimonium esse sacramentum. Hanc benedictionem nuptiarum semper allegarunt Patres post divinas Scripturas, ut sacramentum esse matrimonium evincerent. Quo ergo fundamento hanc verborum prolationem, hanc sacram nuptiarum benedictionem *rem levem* vocat P. Sanchez? An probabilis, & quidem valde, opinio non est, præfata verba, & sacram benedictionem ad sacramenti formam pertinere, ut supra ostensum est? An in sacramentis perficiendis tutior opinio seligenda non est? Falsa ergo & laxa, ne plus dicam, est recensita P. Sanchez opinio.

CAPUT V.

De denuntiationibus, seu proclamationibus, quæ antecedere matrimonium debent.

I. Sponsalium denuntiationes ex antiqua Ecclesiæ disciplina Theologi repetunt. Antiqui Christiani Sacerdotes, & Episcopos suos consulebant, antequam matrimonia inirent, ne hæreticis, Iudæis, aut infidelibus immiscerentur. Denuntiationum istarum meminisse Tertullianum aliqui contendunt *Lib. II. cap.* IX. ad uxorem, ubi inquit: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet?* Angelorum nomine Sacerdotes intellexisse Tertullianum volunt; & per verbum *renuntiant* futuri matrimonii proclamationes. At hæc sunt piæ interpretationes. Neque enim ex laudato testimonio hoc inferri legitime videtur. Utcumque res se se habeat, pervetustum esse morem hunc, convenit penes omnes.

II. Quæst. I. *An denuntiationes futuri matrimonii necessariæ sint necessitate sacramenti, aut præcepti?* Resp. Non esse necessarias necessitate sacramenti, convenit penes omnes; cum Tridentinum non declaret irrita matrimonia sine eiusmodi denuntiationibus celebrata; immo ex gravi caussa omitti posse concedit. Esse vero necessarias necessitate præcepti, certum est ex Concilio generali Lateranensi IV. *cap.* 11. ubi hæc habentur. *Specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda in Ecclesiis, per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfixo, ut infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum apponat.* In multis Hispa-

paniæ Ecclesiis hanc Lateranensis Concilii ordinationem receptam non fuisse, testatur P. Dominicus Soto in *IV. dist.* XXVIII. *quæst.* 1. *art.* 2. quia, inquit, per *banna*, seu proclamationes, *quibus impedimenta caveri curantur*, *obstacula potius obiicerentur ne fierent*. Verum disciplinam præscriptam a Concilio Lateranensi anno 1215. instauravit, confirmavitque Concilium Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* 1. his verbis. *Sacri Concilii Lateranensis sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur*. Eiusmodi proclamationes a proprio contrahentium Parocho, vel ab alio Sacerdote de eius licentia fieri debent. Si coniuges sint diversæ parochiæ, denuntiationes fieri in utraque parochia debent, ut facilius impedimenta manifestentur, si quæ fuerint. Si coniuges mutaverint parochiam, in illa parochia fieri proclamationes debent in qua diutius vixerunt; quamvis ad hoc quod attinet, prudentiæ Parochorum, & locorum consuetudini permittendum videtur, ut ipsi ibi fieri proclamationes curent ubi facilius deprehendi impedimenta possint.

III. Proclamationes istæ tribus diebus festivis inter Missarum solemnia fieri debent: quia tunc maior est populi frequentia; atque adeo impedimenta facilius deprehendi possunt. Communiter inter Missarum solemnia fieri debent, quia sic præscribit Concilium, & sic communiter fit. Ceterum res tanti non est, ut fieri non possint etiam extra Missam, post, vel ante concionem, aliamve functionem ecclesiasticam, dummodo frequentia populi adsit. Finis enim Concilii est, ut impedimenta deprehendantur. Disputant Theologi, num fieri hæ proclamationes possint tribus diebus festivis continuatis, an intercedere aliqui feriati dies debeant. Salmanticenses *num.* 75. contendunt fieri posse in triduo Paschatis, aut altero triduo festivo: quia Concilium dicit eiusmodi proclamationes fieri debere tribus diebus festis continuis. Verum sensus Concilii videtur esse, quod hæ denuntiationes fiant tribus diebus festivis continuis, puta tribus Dominicis; & si intercurreret in hebdomada aliquod festum, etiam illud computari posset. Congruum enim tempus intercedat oportet inter unum & alterum festum. Propria tamen Ritualia consulenda sunt. Si post denuntiationes multum temporis interflueret ante matrimonii celebrationem, tum repetendæ denuntiationes essent: quia aliquod impedimentum supervenire tum posset. Matrimonium celebrari non debet ultima die qua facta est tertia denuntiatio.

IV. Quæst. II. *Præceptum denuntiationum obligat ne sub mortali?* Resp. Sententia communis & vera affirmat: quia præceptum de re gravi est; cum eo spe-

ctet,

ctet, ut plura absurda impediat. Præceptum istud omnes comprehendit. Exempti tamen sunt Principes summi : quia eorum genus omnibus innotescit, nihilque clanculum in matrimoniis contrahendis agere valent. Disputant Theologi, num unam vel alteram denuntiationem omittere sit peccatum mortale. Salmanticenses *num.* 78. cum Sanchez, Trullench, Diana, & aliis docent, probabilius esse, non committere grave peccatum Parochum qui unam vel alteram proclamationem omitteret, quando moraliter certus esset nullum occurrere impedimentum. Sed hæc opinio arbitraria est, nullo solido fundamento nixa. Parendum est Ecclesiæ, eiusque præceptum exacte implendum. Si una vel altera omitti potest, cur non & tertia? Quisque moralem certitudinem de impedimentis non extantibus sibi persuadere pro arbitrio posset, & sic Ecclesiæ præceptum deludere. Mirifica est quorumdam Auctorum libertas in legibus pro genio flectendis.

V. Quæst. III. *Quis potest ab eiusmodi proclamationibus dispensare?* Resp. Præceptum proclamationum dispensationem admittere, fatentur omnes; cum id pateat ex ipso Tridentino. Hanc vero dispensationem soli Episcopo competere, idem Concilium decernit. Si coniuges sint diversæ diœcesis, satis esse ut alterius Episcopus dispenset, plures docent. Nomine Episcopi veniunt etiam Abbates, & Priores, iurisdictione quasi episcopali præditi. Vicarius quoque generalis Episcopi iuxta plures potest hanc dispensationem concedere, nisi ab Episcopo hæc facultas eidem expresse adempta sit : quia unicum est Episcopi, & Vicarii generalis tribunal. Alii negant, nisi expresse Episcopus facultatem eidem concedat. Verum hæc difficultas penes Episcopum, eiusque Vicarium sit.

VI. Quæst. IV. *Requiritur ne aliqua caussa pro licittiona dispensae concedenda?* Resp. Omnis dispensatio absque iusta causa illicita est, & legis dissipatio. Quare peccant tum petentes, tum concedentes dispensationes absque legitima causa. Si tamen proclamationes fieri non possent absque gravi infamia; si infirmus esset morti proximus, eiusque conscientiæ expediret eam cui fidem dedit, ducere; si probabilis suspicio occurreret, matrimonium malitiose impeditum iri, & ad Episcopum non pateret aditus, essetque periculum in mora; tum Parochus, adhibitis testibus, coniungere sponsos valet absque proclamationibus. Hæc sunt Tridentini *sess.* XXIV. *cap.* I. verba. *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur : deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant . . . . nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit ut prædictæ denuntiationes remittantur.* Hæc ultima verba indicant, quam cautos esse oporteat Parochos in eiusmodi proclamationum omissione; cum Concilium velit ut post celebratum matri-

mo-

monium, ante eiusdem consummationem, denuntiationes fiant, nisi Ordinario aliter visum fuerit.

VII. Disputari solet, quænam aliæ, præter assignatas, sint iustæ dispensationis caussæ. Verum id arbitrio, & prudentiæ Episcopi relinquendum est. Cavere tamen Episcopi debent ne nimis faciles in eiusmodi dispensationibus concedendis, sint. Providendum ne scandalo sint tales dispensationes: quæ profecto tunc essent quando nulla allegata caussa, & sola numerata pecunia concederentur: quando solis infimæ plebis coniugibus, qui expendere pecuniam nequeunt, denegarentur; & divitibus, atque nobilibus omnibus indiscriminatim paterent. Quare Parochi, data occasione, debent vim præcepti præmittendi has denuntiationes explicare, atque altius inculcare, præceptum istud non plebeios modo & pauperes, sed divites æque & nobiles obligare.

VIII. Quæst. V. *Qui novit aliquod impedimentum inter eos qui contrahere matrimonium debent, tenetur ne illud manifestare?* Resp. Si impedimentum sit publicum, vel si probari per testes possit; tunc omnes fatentur sub gravi culpa manifestandum esse, sive impedimentum sit dirimens, sive sit impediens. Si impedimentum sit occultum, probarique per testes nequeat, disputant in utramque partem Auctores. Negant aliqui. Sed sententia adfirmans, quam defendunt Sanchez, Leander, Trullench, Perez, Palaus, Dicastillus, Hurtado, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 97. probabilior, & communior est. Quilibet enim parere Superiori legitime præcipienti tenetur, ut 2. 2. *quæst.* lxx. *art.* 1. *ad* 2. S. Thomas docet. Sed Parochus præmittens denuntiationes legitime præcipit manifestanda impedimenta inter coniuges quorum futurum matrimonium denuntiat. Accedit quod revelanti impedimentum non incumbit probatio, sed Parocho: & tandem in hac materia unus testis sufficit ad fidem faciendam. Et hoc verum esse citati Auctores iure adfirmant, etiamsi illud impedimentum quis sciat sub naturali secreto extra confessionem. Quoniam secretum naturale, & iuramentum eidem adhærens non obligant, quando ex eorum observantia damnum grave imminet aut commune, aut particularis personæ. Matrimonium autem celebratum cum impedimento dirimente gravissima damna parit tum coniugibus, tum eorumdem filiis, atque consanguineis. Denique hic non agitur de alicuius punitione, sed de peccato vitando, & subducendo proximo a morte spirituali animæ. Iuramentum autem, sive secretum naturale non est iniquitatis vinculum.

IX. Qui audivit aliquod impedimentum a persona fide digna, & omni exceptione maiori, si hæc Parocho non manifestaverit, vel manifestare noluerit, tenetur, qui audivit, revelare Parocho quid, & a quo audierit. Si vero impedimenti recordetur, secus personæ, aut si persona non sit omni exceptione maior, tum debet auditor Parochum monere ut diligentiam in deprehendenda veritate adhibeat.

X. Quaest. VI. *An si ipsi contrahentes, vel unus eorum, conscii sint alicuius impedimenti occulti, teneantur illud manifestare, etiamsi infamia inde proficisceretur?* Resp. Sententia adfirmans communis est. Quandoquidem licet nemo etiam interrogatus teneatur crimen suum occultum detegere, nisi praecedat semiplena probatio, quando agitur de poena tali crimini imposita subeunda; tamen quando Parochus, seu Superior interrogat de impedimento matrimonii, Ordinis, aut electionis, quisque talia manifestare impedimenta obstringitur.

XI. Quaest. VII. *Quomodo se gerere Parochus debet, cui aliquod impedimentum revelatum est?* Resp. Debet omni meliori modo matrimonium impedire, illi non assistendo, & monendo coniuges ut desistant. Ipse tamen tribunal erigere nequit, & inquirere, num impedimentum sit rite nec ne probatum &c. Sed hoc iudicium ad Episcopum pertinet, ad quem deferri caussa debet. Quare si Parochus solus conscius sit alicuius impedimenti occulti, manifestare illud Episcopo debet ut testis. Si solus Ordinarius sciat occultum impedimentum, potest & debet matrimonium impedire, sive publice, sive secreto petatur: quia licet iudex in iudicio nequeat ex privata scientia agere, quando est in poenam & damnum rei; potest tamen privata scientia uti, quando est in partis favorem. Accedit quod Episcopus posset deferre impedimentum ad Superiorem.

XII. Quaest. VIII. *Quid requiritur ut Episcopus possit repellere a matrimonio contrahentes?* Resp. Pontius cum aliis contendit, necessariam esse aut partis confessionem, aut probationem per duos testes impedimenti quod opponitur. Verum communior, & probabilior sententia docet, sufficere unum testem omni exceptione maiorem, qui ex certa scientia cum iuramento deponat impedimentum. Quia, ut dictum est, licet duo testes in aliis materiis requirantur, in hac tamen caussa unus sufficit: quia de bono spirituali ipsius partis agitur.

XIII. Quaest. IX. *Peccant ne coniuges, si consummens matrimonium ante benedictionem nuptialem?* Resp. Negant Salmanticenses, Sanchez, Dicastillo, Viva *quaest.* xv. *art.* 5. *num.* 6. & plures alii recentiores: quia, inquiunt, haec benedictio solemnis, quae in Ecclesia datur, non est res adeo gravis, ut illius omissio reputari gravis debeat. Hoc autem probant auctoritate Tridentini *sess.* xiv. *cap.* 1. inquientis: *Hortatur sancta Synodus ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent.* Haec Tridentini verba inepte obtruduntur a P. Viva, Sanchez, & aliis. Quid? Haec verba, *in eadem domo non cohabitent*, significant non se recognoscant, non coeant? Quando Concilium vult exprimere coitum coniugalem, bis in hoc ipso decreto utitur verbo. *consummationis* Quid quod paullo post opposita verba subdit Concilium? *Coniuges hortatur ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur* &c. Concilium ergo supra hortatur *ne in eadem domo cohabitent*,

tem, ob periculum scilicet consummandi matrimonium ante benedictionem nuptiarum in Ecclesia faciendam. Huc adhortatio pertinet. Hæc benedictio levis momenti est, inquit P. Viva cum aliis. Quo fundamento id asserit? Quia Sanchez, & alii Auctores ita docent. At oppositum Patres docere, supra ostensum est. Aliqua nunc obiter addam. De hac benedictione Siricius in epistola ad Himerium *cap.* IV. hæc habet. *Illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Et Hormisda Papa in *II. Part. Decret. caus.* XXX. *quæst.* V. *cap.* II. hæc præscribit. *Nullus fidelis cuiuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat; sed benedictione accepta a Sacerdote, publice nubat in Domino*. Audi Concilium Carthaginense IV. relatum loc. cit. cap. V. *Sponsus, & sponsa, cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus, vel a paranymphis offerantur, qui, cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant*. Sic loquuntur Pontifices, Concilia, & Patres, quorum testimonia supra retuli.

XIV. Ut, data occasione, lectores moneam, quam distet a Patrum SS. doctrina plurium recentiorum modus opinandi in ipsa re sacramentaria, perpende quæ scribit P. Viva *quæst.* IV. *art.* 4. *num.* 6. „ Benedictio nuptiarum *non videtur esse res* „ *gravis, nec VALDE CONGRUENS PROGRESSUI MATRIMONII*. Etenim „ benedictio nuptialis non est sacramentum, sed quoddam sacramentale; nec tanti „ momenti, quanti sacramentalia quæ baptismo præmittuntur. Quamvis autem „ non vacet culpa veniali, illam simplicirer omittere sine ulla caussa contra u-„ sum & consuetudinem Ecclesiæ; nihilominus *probabile* est nullam esse culpam, „ ex iusta caussa, videlicet ratione temporis feriati, in Adventu, aut Quadragesi-„ ma consummare matrimonium ante benedictionem Ecclesiæ; cum videatur esse „ consilium, non præceptum illam præmittere."

XV. Quis hæc legere potest, & cum SS. Patrum, atque Conciliorum doctrina comparare, quin zelo christianæ disciplinæ succendatur? Sacra Pastorum benedictio non est *valde congruens progressui matrimonii*? Nihil ne piarum aurium offensionis in his verbis continetur? Matrimonium Christianorum sacramentum est: & benedictio Sacerdotum non est valde congruens?

XVI. Peccant igitur, & quidem mortaliter, qui ante hanc benedictionem matrimonium consummant; quidquid in oppositum afferant recentiores nonnulli contra universam Ecclesiæ antiquitatem. Tanti enim semper fecere Patres hanc benedictionem, ut sacrilegos dixerint illos qui hanc omittunt. Quid? quod Concilium Tridentinum inquit: *Statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse*. Si quis alius Sacerdos, subdit Concilium, *benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu* &c.

Et

Et P. Viva cum aliis iunioribus hanc benedictionem a solo Parocho, vel a solo Sacerdote, & de licentia Parochi pronuntiandam, parvi esse momenti asserere ausit? Quid quod vel penes ipsos Hebraeos nuptiae a Sacerdote benedicuntur? Immo Alexandrini apud Photium *cod.* 242. legitimas nuptias negabant, quibus Isidis Sacerdos non benedixisset. Lege plura hac de re apud Martene *Lib. I. antiq. Rituum cap.* IX. *art.* 2.

XVII. Quaest. X. *Quomodo se gerere debent contrahentes, si agnoscentes impedimentum, absque scandalo nequeant a matrimonio desistere?* Resp. Aliqui docent, contrahendum esse matrimonium sub conditione, si Papa dispensaverit; & quamvis, inquit P. Viva *loc. cit. num.* 5. exponant se coniuges periculo fornicationis; excusantur tamen ob caussam vitandi scandali. Quae opinio reiicienda omnino est. Scandalum hoc quod obtruditur, frequentissime commentitium est, & vix umquam occurrit, quin possit vero remedio tolli. Quamobrem suggerunt alii, quibus accedit ipse P. Viva, ut vir votum castitatis ad tempus edat, donec dispensatio super impedimento obtenta fuerit. Quando Parochus, vel Confessarius prudens erit, perraro, & vix umquam occurret scandalum tale, quod non queat prudenter auferri, ut alibi ostendi.



DIS-

DISSERTATIO III.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS, ET IMPEDIENTIBUS, ATQUE DE DISPENSATIONE AB IISDEM.

CAPUT I.

De potestate Ecclesiæ, & Principum sæcularium in constituendis impedimentis quæ matrimonium irritent.

I. Duplex impedimentorum genus. Alia sunt quæ illicitum, alia quæ irritum matrimonium efficiunt. Priora impedientia, posteriora dirimentia vocantur. De omnibus sigillatim infra sermo erit. In præsentia de potestate statuendi eiusmodi impedimenta.

II. Quæst. I. *An Ecclesia potestatem habeat statuendi impedimenta quæ matrimonium dirimant?* Resp. Negant Lutherus, Calvinus, Marcus Antonius de Dominis Apostata, & communiter Novatores: quorum errorem Tridentinum *sess.* XXIV. *can.* IV. confixit. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* Rursus can. XII. *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.*

III. Launoius, audacis & impotentis ingenii homo, in suo *de regia in matrimonium potestate* tractatu eludere non dubitavit Tridentinos canones, effutiens, per *Ecclesiam* intelligi debere Reges & Principes, quorum nomine impedimenta Ecclesia inducit. Errores Launoii plures doctrina, & eruditione præstantes Theologi refutarunt, præsertim Ioannes Gerbais, Duhamel, Turnely, Le-Droint, & alii.

IV. Ad propositam igitur quæstionem respondent Catholici omnes, adfirmantes, Ecclesiam iure præditam esse & potestate statuendi impedimenta matrimonium dirimentia. Et principio, semel admisso, quod matrimonium sit sacramentum, necessario consequitur, illius administrationem, caussas quæ eidem obstant, & impedimenta dignoscere, & iudicare ad Ecclesiam pertinere. Quid quod hac hypothesi admissa, neque ipsi Novatores consequentiam negare audent, immo illam vel ipse Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* XIX. *§.* 37. fatetur? *Ubi enim id semel*, inquit, *obtinuere* (scilicet matrimonium esse sacramentum) *coniugalium causarum cognitionem ad se traxerunt: quippe res spiritualis erat profanis iudicibus non attrectanda.* Quare

re Launoius, cum Catholicis matrimonium ſacramentum adfirmans, præ hæreticis ipſis inſanit, dum Eccleſiæ poteſtatem adimit in matrimonii cauſſis dignoſcendis, & impedimentis conſtituendis.

V. Plurima argumenta Theologi tum ex Evangelio, tum ex conſtanti traditione hauſta, in medium adducunt, quibus hanc Eccleſiæ poteſtatem evincunt. Nam Chriſtus *Matth.* XIX. ligaminis impedimentum conſtituit, cum polygamiam ſimultaneam, & libellum repudii abrogaverit. S. Paulus *I. Cor.* VII. impedimentum dirimens edocuit, ſitum in cultus diſparitate, quo ab infideli coniuge contradicente recedere permittit, inquiens: *Si infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi.* Deinde producunt antiquam, & non interruptam Eccleſiæ conſuetudinem & praxim, qua diverſis temporibus Concilia impedimenta ſtatuerunt. Nam *can.* XV. & XVII. Concilii Eliberitani, & *can.* II. Concilii Neocæſarienſis, & *can.* VI. *epiſt.* S. Baſilii ad Amphilochium impedimenta ſtatuta leguntur. Reponit Launoius, Eccleſiam hoc egiſſe ex indulgentia & conceſſione Imperatorum, vel ex uſurpatione poteſtatis. Verum audax, & temerarium commentum ſeipſo dehiſcit. Quid? Imperatores ethnici Patribus Eliberitanis indulſere ut leges pro matrimonii diſciplina conderent? Eccleſia Principum uſurpavit poteſtatem, ſi cum ſuo divino ſponſo Chriſto iubet ut quæ ſunt Cæſaris, Cæſari reddantur, & quæ ſunt Dei, Deo? Quandonam Principes obiecere Eccleſiæ hanc poteſtatis uſurpationem? Plurima documenta quæ in huius veritatis confirmationem adducere Theologi ſolent, brevitatis cauſſa prætereo, cum ſint omnibus obvia.

VI. Eccleſia, inquit S. Thomas in *Suppl. quæſt.* L. *art.* I. & *IV. contr. Gent. cap.* LXXVIII. poteſtatem habet regendi populum chriſtianum in iis omnibus quæ illius bono ſpirituali, paci, & tranquillitati conducunt. Sed in hunc finem plurimum ſæpe confert quod impedimenta, & leges præſcribantur pro legitimis matrimoniis conferendis. Matrimonium enim non modo ſacramentum, ſed etiam contractus humanus & civilis eſt, qui pro temporum, & perſonarum diverſitate poſtulat ut tali & alio modo fiat; ut patet in matrimonio clandeſtino, quod Eccleſia primum prohibuit, deinde, creſcente hominum malitia, penitus irritavit.

VII. Quæſt. II. *An Principes ſæculares poteſtate ſibi propria potiantur ſtatuendi impedimenta dirimentia matrimonium ut contractum civilem?* Reſp. Duplex eſt circa propoſitam quæſtionem Theologorum ſententia. Prima contendit, nullam ineſſe Principibus laicis poteſtatem ſtatuendi impedimenta quæ dirimant matrimonium, ex quo ad ſacramenti dignitatem a Chriſto evectum eſt. Hanc ſententiam defendunt Baſilius Pontius, Caſtropalaus, Dominicus Soto, Paludanus, Vaſquez, & alii.

VIII. Contrariam ſententiam adfirmantem defendit S. Thomas *Lib. IV. contr. Gent. cap.* LXXVIII., & in *IV. diſt.* XXXIV. *art.* I. *ad* 4. & in *Suppl. quæſt.* L. *art.* I. *ad* 4. cui

subscribunt communiter Theologi. Evincit autem S. Thomas hac ratione sententiam suam. *Personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quod sunt contra legem qua matrimonium statuitur. Matrimonium autem, in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ; in quantum est sacramentum, statuitur iure divino; in quantum est in officium communitatis, statuitur lege civili.* Hæc habet in *Supplemento*. Contra Gentes vero *loc. cit.* hæc subdit. *Matrimonium, quatenus ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem: & sic dicitur esse naturæ officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subiacet ordinationi legis civilis. In quantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico.*

IX. In sensu huius sententiæ exponendo diffident, ac in varias partes Theologi dividuntur. Nam alii docent, Principes posse suis edictis irritare matrimonium, ut contractum civilem, & quantum ad effectus civiles, & politicos exheredationis, successionis &c. secus prout res spiritualis, & sacramentnm. Alii contendunt, irritato matrimonio, ut contractu civili, per accidens & indirecte consequi, nullum esse ut sacramentum. Alii cum Sanchez *Lib. VII. disp.* 111. defendunt, posse quidem Principes suis legibus impedimenta dirimentia indicere, sed istius potestatis usum sibi Ecclesiam reservasse. His variis dicendi modis implicant magis quam illustrent controversiam istam.

X. In exponenda & enucleanda hac controversia omnibus, ut mihi videtur, palmam præripuit gravissimus Theologus P. Petrus Soto, qui Tridentino interfuit. Lubet eiusdem verba, tametsi aliquantulum prolixa, ex *lect.* IV. *de matrim.* transcribere. „ B. Thomas intrepide asserit, iura ipsa civilia, & Imperatorum leges il-„ legitimos aliquos reddere ad contrahendum, ita videlicet ut nullum sit matrimo-„ nium: neque negant hoc alii, quamquam non ita aperte asserant. Et certe hoc „ est solidissime fundatum in illo verbo Evangelii: *Quod Deus coniunxit, homo non* „ *separet*. Deus enim per caussas naturales, & ordinatas humanos contractus per-„ ficit, hoc est auctoritate legum, sicut naturales res per causas naturales. Non „ itaque Deus coniungit quod contra iustas leges humanas coniungitur. Hoc dici-„ mus, quoniam Iuristis multis visum est, non esse potestatis sæcularium legum „ matrimonium nullum reddere, sed tantum ecclesiasticarum. Iuristæ nulla aucto-„ ritate iuris divini, aut canonici hoc probant, nec etiam ratione ulla efficaci: nec „ advertunt, nihil hoc derogare auctoritati ecclesiasticæ, sed potius conducere Ec-„ clesiæ paci. Si enim ius ipsum divinum permittit prohiberi ab Ecclesia quod ip-„ sum non prohibet: quare Ecclesia non permittet sæculari potestati prohibere cir-„ ca matrimonium quod ipsa non prohibet? Fatemur igitur civiles leges non posse „ licitum matrimonium facere quod ecclesiasticæ illicitum reddunt; sicut nec ec-„ clesiasticæ leges approbare quod divinum ius reprobat: hoc enim esset inferio-„ rem

„ rem superiori contradicere. Verum quod ecclesiasticæ leges non prohibent, cur „ sæculares prohibere non poterunt; sicut quod non prohibet ius divinum, prohi„ bent ecclesiasticæ? Nec debent Prælati Ecclesiæ gravate suscipere, si quod tem„ porali paci viderint necessarium, sæculares Principes statuant. Nec est cur illis „ se opponant: sed permittant potius matrimonium legibus humanis ordinandum, „ cum officium humanum sit; & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum „ religionis pertinet. Quamquam leges civiles in his omnibus ex pietate certe, & „ voluntate Principum facile cesserint Ecclesiæ, ut iam nullum censeatur matri„ monium illegitimum quod Ecclesia tale non iudicat; non tamen propterea vel „ legi, vel consuetudini Reipublicæ hoc auferendum est, ut illegitimos aliquos red„ dere, si velint, possint; sed potius, si opus foret, confirmandum esset ab Eccle„ sia. Civilia iura illegitimum iudicant matrimonium inter tutorem, & curato„ rem, vel filium eius, & pupillam . . . Sed derogatum videtur his legibus per „ contrariam consuetudinem, quæ tamen non videtur minima ratione, & neces„ sitate hoc statuisse. Si itaque denuo hoc videretur statuendum, non est cur hæc „ auctoritas auferatur a sæcularibus Principibus, qui de matrimonio, non quidem „ ut est sacramentum, sed ut officium est necessarium Reipublicæ, statuunt, quod „ tamen sacramentum prærequirit. "

XI. Nihil enucleatius & luculentius in hac caussa dici posse videtur. Heinc enim solutum manet argumentum quod in hac materia facessere aliquod negotium posset.

XII. Opponunt siquidem, non posse admitti in Principibus eiusmodi potestatem circa contractum civilem, quin simul concedatur circa sacramentum: quia contractus civilis est essentialis materia sacramenti; qua sublata, tollitur ipsum sacramentum. Soluta ex iis quæ dicta sunt, remanet oppositio isthæc. Nam, admissa hypothesi, qua civilis potestas statuat impedimentum dirimens matrimonium, aut consentiet Ecclesia, aut dissentiet. Si primum, matrimonium irritum erit auctoritate, non civili, sed ecclesiastica, quæ suo consensu legem civilem adoptat. Si secundum, Ecclesia pro materia matrimonii non talem contractum civilem, sed contractum naturalem assumit pro materia sacramenti: sicuti in hypothesi quod Princeps politicus ederet legem iniustam, irritantem civilem contractum coniugalem; Ecclesia improbaret eiusmodi contractum iniquum, ut materiam essentialem sacramenti, & assumeret contractum iuri naturali consentaneum.

XIII. Missis igitur speculationibus, pro practica directione animadvertendum est, duas has potestates, ecclesiasticam, & politicam, ita esse a deo ordinatas, ut mutuo se foveant, firmentque. Sunt enim & ecclesiastici, & politici Principes christiani. Porro IV. *Ephes.* inquit Paulus: *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram u-*

 nius-

niuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate. Ecclesia obedientiam, & reverentiam præstandam legibus civilibus iubet. Apostoli leges Imperatorum ethnicorum, non pugnantes cum Evangelio, admisere. Similiter Principes christiani, scientes matrimonium in lege evangelica esse sacramentum, atque adeo sancte tractandum, curant ut in iis quæ nuptias spectant, sacri canones observentur. Sic Carolus Magnus in suis capitularibus circa nuptias a sacris canonibus præsidium repetit. Sic Oratores Galli in Concilio Tridentino a Patribus nomine Caroli IX. postularunt ut Patres Tridentini statuerent, irritari matrimonia clandestina, & ea quæ filiisfamilias, insciis invitisque parentibus, contraherent. Sic Oratores Veneti postularunt moderationem canonis circa indissolubilitatem matrimonii adulterii caussa, ne offenderentur Græci. Innumera alia exempla produci solent, quibus utriusque potestatis, ecclesiasticæ, & civilis, concordia confirmatur. Heinc, omnibus Principibus catholicis consentientibus, caussæ matrimoniales ad forum ecclesiasticum attinent. Quæ vero extrinsecæ omnino sunt matrimonio, ut caussæ dotis, hereditatis &c. foro sæculari relictæ sunt.

XIV. Quæst. III. *Penes quos resideat potestas ecclesiastica statuendi impedimenta dirimentia matrimonium?* Resp. Duplex hac de quæstione, si ius spectetur, sententia. Prima asserit, hanc potestatem residere penes summum Pontificem, & Concilia generalia respectu universæ Ecclesiæ; & penes Episcopos respectu propriæ diœcesis. Hanc defendunt Soto *Lib. X. de iust. quæst.* 11. *art.* 3. *ad* 2. & in *IV. dist.* XXVII. *quæst.* 1. *art.* 4. Aragon 2. 2. *quæst.* LXXXVIII. *art.* 12. & alii: quia, inquiunt, Episcopi plene sunt in sua diœcesi Pastores, licet subiecti summo Pontifici; & a Deo potestatem acceperunt regendi oves suas: ergo quod potest Pontifex summus in universa Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi. Poterit ergo, inquiunt, Episcopus impedimenta dirimentia statuere, quando id bono ovium suarum regimini consentaneum iudicaverit. Altera sententia negat, eamque plures Auctores defendunt: quorum aliqui docent, Episcopos non a Deo, sed a Romano Pontifice iurisdictionem accipere: alii contendunt, Episcopos a Deo immediate iurisdictionem accipere, non tamen circa res arduas & difficiles. Ut ut res se se habeat de his duabus sententiis, hoc certum est, hanc potestatem reipsa a solis Romanis Pontificibus, & Conciliis œcumenicis exerceri, eiusque usu nunc carere Episcopos.

XV. Quæst. IV. *Impedimentis dirimentibus ab Ecclesia præscriptis subiacent ne infideles?* Resp. Infideles qui Principibus infidelibus subditi sunt, nullo modo subiacent impedimentis ecclesiasticis. Qui degunt in provinciis Romano Pontifici temporaliter subiectis, sicut parere debent aliis legibus illius principatus circa quoscumque contractus, ita matrimonia contrahere tenentur iuxta leges ibidem præscriptas, & impedimenta dirimentia servare. Infideles demum qui vivunt in locis non Ro-

Romano Pontifici, sed Principibus christianis temporaliter subditis, cum non sint nec quoad spiritualia, nec quoad temporalia subiecti Romano Pontifici, non obstringuntur legibus ecclesiasticis.

CAPUT II.

De impedimentis dirimentibus sigillatim sumptis.

IMpedimenta dirimentia quindecim post Concilium Tridentinum numerari solent, his versibus contenta.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

§. I.

De impedimento erroris.

I. QUaest. I. *An error personae dirimat iure naturae matrimonium?* Resp. Error duplex. Alter personae, quo una pro altera accipitur, puta Lia pro Rachele. Qualitatis alter, qui circa accidentia versatur; ut si credas puellam nobilem, divitem, virginem, venustam, unicam heredem, primogenitam; quae tamen his dotibus destituta sit. Primus error iure naturae matrimonium irritat: quia error adimit consensum, quo sublato, nullus contractus validus est. Quamobrem matrimonium Iacob cum Lia nullum fuit: quia non in Liam, sed in Rachelem consensit. *Consensus* (inquit S. Thomas in Suppl. quaest. I. art. I.) *est causa matrimonii, ut dictum est; & ideo quod evacuat consensum, evacuat matrimonium*. Matrimonium Iacob cum Lia evasit validum per consensu m subsequentem.

II. In hoc a ceteris sacramentis, & contractibus matrimonium discrepat, quod in illis personae qualitas extrinseca omnino sit. Quid enim refert quod baptizandus sit hic aut ille; quod venditor, quod emptor sit Petrus, aut Sempronius? In matrimonio vero fit corporum traditio mutua: idcirco personae qualitas ad contractus substantiam attinet. Sicut enim in contractu emptionis, & venditionis iustitia spectat aequalitatem rei ad pretium, & rei venalis ad usum, & commodum, quibus extranea prorsus est personae qualitas; ita e contrario contractus coniugii directe respicit personas in unam coeuntes societatem. Ergo error personae iure naturali matrimonium dirimit.

III. Quæst. II. *An solus error antecedens matrimonium dirimat?* Resp. Error antecedens est qui dat caussam contractui, ut dum quis intendit ducere Liam, paratus non contrahere cum Rachele, quæ illi loco Liæ præsentatur, & quacum contrahit; sed si illam agnosceret, non contraheret. Error concomitans, seu incidens est qui non dat caussam contractui, sed illum comitatur; ut, si quis duceret Liam, putans se ducere Rachelem, ita tamen dispositus, ut ipsam Liam duceret, si eam agnosceret. Probabilior sententia adfirmat, hunc etiam errorem concomitantem matrimonium irritare. Quandoquidem & error iste actualem consensum aufert. Licet enim consentiret ducere Liam, si eam agnosceret; reipsa tamen non consentit, cum eam non cognoscat. Porro ad matrimonium non sufficit habitualis consensus, aut interpretativus; sed actualis requiritur. Heinc error concomitans, quamquam non efficiat actum positive involuntarium, efficit tamen involuntarium negative, quatenus impedit actualem consensum, ut Angelicus 2. 2. *quæst.* VI. *art.* 8. docet.

IV. Quæst. III. *An error sive antecedens, sive concomitans circa qualitates accidentarias personæ matrimonium dirimat?* Resp. Probabilior sententia est negativa absolute loquendo. De errore concomitanti vix est inter Auctores dissidium. Si quis ducat Bertam, quam putabat nobilem, divitem, incorruptam, validum est matrimonium; licet eam inveniat ex errore concomitanti pauperem, ignobilem, corruptam: quia consensus voluntarius in personam plenus est; neque error concomitans aliquo modo talem vitiavit consensum. De errore antecedenti difficultas est. Communior sententia defendit, errorem antecedentem circa divitias, nobilitatem, virginitatem non irritare matrimonium: quia error est circa accidentalia, non circa essentiam & substantiam matrimonii: consentit enim in hanc personam, licet non consensisset, si eam pauperem, plebeiam &c. agnovisset. Aliud est *nolui*, ut Auctores communiter advertunt, aliud *noluissem*. Illud, non hoc consensum tollit. Alioquin vix ullus contractus esset validus; cum passim plura lateant, quæ si comperta fuissent, contractus non fuisset peractus. Si tamen error ita esset antecedens, ut daret caussam contractui, tum dubio procul matrimonium dirimeret: quia tunc error iste refunderetur in ipsam personam; quando contrahens extrinsecus declarat, ita se velle contrahere cum divite, nobili, virgine &c. ut si istæ conditiones desint, nolit matrimonium: quia tunc suspensus hæreret consensus his conditionibus illigatus. Nisi tamen contrahens exprimat se huic conditioni divitiarum, nobilitatis, virginitatis &c. velle consensum suum illigare, sed absolute contrahat, licet cum errore antecedenti circa præfatas qualitates, matrimonium validum erit. Accipe casum, qui rem explicat. Vagus se nobilem fingit, divitemque nobili puellæ, utpote formosus, & optimo ingenio præditus. Suæ nobilitatis, & divitiarum testimonia falsa perhibet. Celebrantur nuptiæ, & continuo apparent omnia falsa. Validum

dum est matrimonium, quia contractus absolute celebratus fuit. Et licet error fuerit antecedens contractui, ac caussam dederit; quia tamen error fuit circa qualitates accidentales, non circa substantiam matrimonii, contractus validus est. Puella enim absolute, & nulla adiecta conditione, in talem virum consensit. Ad valorem autem matrimonii sufficit consensus voluntarius in ea quæ sunt de substantia contractus. Porro solæ personæ quæ mutuo consensu voluntario copulantur, ad substantiam contractus attinent. Solum ergo tunc matrimonium nullum esset, quando qualitates sub expressa conditione adiicerentur contractui; quia tunc consensus ab eiusmodi conditionibus penderet. Et quisque dominus suæ voluntatis est, eamque restringere, & extendere pro arbitrio potest.

V. S. Thomas in *Suppl. quæst.* 51. *art.* 2. *ad* 5. explicat, quando qualitatis error personam ipsam afficiat. *Error nobilitatis, inquantum huiusmodi, non evacuat matrimonium eadem ratione qua nec error qualitatis; sed si error nobilitatis, vel dignitatis redundat in errorem personæ, tunc impedit matrimonium. Unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium; si autem directe intendit consentire in filium Regis, quicumque ille sit, tunc si alius præsentetur ei quam filius Regis, est error personæ, & impedietur matrimonium.*

VI. Opponunt. Si quis donet titulo paupertatis, vel consanguinitatis, donatio nulla est, deficiente paupertate, vel consanguinitate: & donatarii restitutioni obnoxii sunt. Ergo idem dicendum de matrimonio. Resp. Negatur consequentia. Discriminis ratio evidens est. Paupertas, vel consanguinitas sunt caussa finalis, & principaliter impellens donatorem, ipsamque donationis substantiam afficiunt. Caussa finalis matrimonii est propagatio humani generis, non nobilitatis, aut divitiarum.

§. II.

De impedimento conditionis.

I. QUæst. I. *Quid nomine conditionis intelligatur?* Resp. Conditio servitutis statum prodit. Servi sunt proprie tales, quorum possessor habet absolutum dominium eosdem vendendi, locandi, occupandi &c. & isti dicuntur etiam *mancipia*. Alii vocantur servi adscriptitii, qui locant operas suas domino vel ad colendum agrum, vel ad aliud opus præstandum. De eiusmodi servis, cum absolute liberi sint, nullus in præsentia sermo nobis est.

II. Quæst. II. *An error servitutis matrimonium dirimat iure naturali, nedum ecclesiastico, & civili?* Resp. Duas habet proposita quæstio partes. Prima est, an servitutis error matrimonium irritet? Et adfirmant omnes: quandoquidem liber,

contrahens cum servo coniuge, fit deterioris conditionis. Heinc si persona quæ est libera, ducat aliam quam putat esse servam, quæ tamen libera est; aut si quæ serva est, ducat aliam quam credit esse servam, quæ tamen libera est, consistit matrimonium: quia in his casibus conditio contrahentis non fit deterior; ut sapienter S. Thomas in *Suppl. quæst.* lii. *art.* 1. *ad* 5. advertit. *Unde libertas ignorata non impedit matrimonium*. Similiter si persona quæ serva est, ducat aliam quam credit esse liberam, quæ tamen serva est, valet matrimonium: quia talis error non efficit conditionem deteriorem. *Quia* (inquit ibidem S. Thomas ad 1.) *in matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere maiorem obligationem ex parte alterius quam ipse possit facere. Et propter hoc etiam si servus contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium*. Si persona libera ducat servam, quam talem agnoscit, matrimonium ratum est: quia tum contrahens renuntiat iuri suo. Consequitur ergo, errorem conditionis, quo persona libera contrahit cum serva, putans esse liberam, matrimonium dirimere: quoniam deterior tunc fit contrahentis conditio.

III. Ad secundam partem quod attinet, Sanchez, Palaus, Candidus, Perez, Trullench, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* XVI. *punct.* 1. *num.* 25. defendunt, solo iure civili, & ecclesiastico conditionis errorem matrimonium dirimere. Mihi probabilior sententia est, impedimentum ex errore servitutis ignoratæ ab ipso iure naturali proficisci, a iure vero positivo determinari; ut S. Thomas in *Suppl. quæst.* lii. *art.* 1. *ad* 3. docet his verbis. *Ius naturale dictat, quod pœna sit pro culpa infligenda, & quod nullus sine culpa puniri debeat: sed determinare pœnam secundum conditionem personæ, & culpæ, est iuris positivi. Et ideo servitus, quæ est quædam pœna determinata, est de iure positivo, & a naturali proficiscitur, sicut determinatum ab indeterminato: & eodem iure positivo determinante est factum quod servitus ignorata matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur. Est enim quædam pœna uxoris quod habeat virum servum, & e converso*. Servus enim subiectum habet corpus suum domini potestati: ergo tradere illud alteri nequit; quemadmodum persona libera suum corpus subiicit alterius coniugis dominio. Hæc itaque servitutis conditio personam ipsam afficit, & inæqualitatem inducit in ipsam debiti redditionem. Neque heinc sequitur, etiam cognita servitute, fore nullum matrimonium liberi cum serva. Ineptissima enim est consequentia hæc. Quoniam, sublato errore, aufertur impedimentum, & consensus liber omnino evadit.

IV. Quæst. III. *Qui ignorans ducit servam, si, cognita servitute, eam carnaliter cognoscat, validum ne matrimonium est?* Resp. Validum haberi hoc matrimonium, Alexander III. *de coniugio servorum cap.* 1. consultus decernit. *Mandamus, quatenus*,

nus, si constiterit quod idem vir præfatam mulierem, postquam illam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit, ipsum, monitione præmissa, compellatis ut eam sicut uxorem maritali affectione pertractet. Dum quippe carnali copula eam cognoscit, renuntiat iuri suo. Renovari tamen consensus debet coram Parocho & testibus.

V. Quæst. IV. *Si servitutis error sit crassus, dirimit ne matrimonium?* Resp. Affirmant Salmanticenses *loc. cit. num.* 28. ubi citant Sanchez, Coninch, & alios. Alii negant: quia hæc matrimonia prohibentur propter deceptionem, & damnum seu iniuriam contrahentis. Quando autem error liberi contrahentis est crassus & supinus, atque adeo vincibilis, deceptio tota est voluntaria, ipseque iniuriam pati vult; cum ignorantia crassa æquivaleat scientiæ, aut levi timori. Numquid eiusmodi contrahens opponere posset, se esse deceptum, aut detrimentum coacte subiisse?

VI. Quando liber cum ancilla per errorem contraxit, & iniuriam passus est, libere propria auctoritate recedere valet, nisi sequatur scandalum; ut sequeretur, si matrimonium esset publicum: ideo tunc separatio Ecclesiæ iudicio fieri debet. Non solum liber, sed etiam servus coniux recedere potest: quia, cum matrimonium sit nullum, utraque pars libera manet. Quid, si pars libera, cognita servitute, redintegrare matrimonium velit? Si persona serva, inquiunt plures, bona fide contraxit, neque decepit liberam partem; non tenetur matrimonium renovare: si vero fraudulenter decepit liberum coniugem, tunc non ratione contractus, qui nullus fuit, sed ratione iniuriæ illatæ tenetur consentire libero coniugi contrahere volenti. Servitus, matrimonio rato superveniens, illud non dirimit. Quod enim semel valuit, semper valet in hac materia.

VII. Tres sunt casus in quibus iura disponunt, servum per matrimonium libertatem nancisci. 1. est, cum dominus dotem constituit ancillæ. 2. quando dominus ancillam in coniugem recipit, aut domina servum. 3. est, quando dominus tradit servum, aut ancillam libero, ignoranti talem servitutem; aut si ipse non tradat, consentit tamen, nec detegit ignoranti veritatem. Disputant in utramque partem Theologi, valeat ne matrimonium in his tribus casibus, præsertim in ultimo. Opinio adfirmans videtur probabilior: quia servitus ista nullius momenti est; cum, matrimonio contracto, continuo evanescat, & pars libera reipsa non fiat deterioris conditionis. Matrimonium cum *liberta*, quæ prius fuit ancilla, & postea assecuta est libertatem plenam, validum est. Si vero ancilla nondum evasit *liberta*, sed promissionem habet a domino obtinendæ post breve tempus libertatis; tunc, si tempore servitutis contrahat, matrimonium nullum est. Idem dicendum, si libertatem assequatur ad tempus, puta ad biennium, postea redigenda in servitutem: quia tunc revera manet servitus, licet per breve tempus abrupta.

VIII.

VIII. Quæst. V. *An proles in servitute patrem, aut matrem sequatur*? Resp. Iuris dispositio determinavit: *Partus sequitur ventrem*. Iuxta quam dispositionem, si quis ex patre libero, & matre serva nascatur, servus est: contra, qui a patre servo, & matre libera gignitur, liber est.

IX. Quæst. VI. *Qui pœnæ servus est, contrahere ne matrimonium potest?* Resp. Servus pœnæ dicitur qui damnatus a iudice est ad pœnam subeundam, puta ad triremes, ad perpetuum exilium, ad mortem, quam fuga declinavit. Servi isti omnia iura civitatis, familiæ, originis, & libertatis amiserunt, & civiliter mortui sunt. Istorum matrimonia nulla sunt quantum ad effectus civiles, nempe prolis legitimationem, dotem, hereditatem &c. Quantum vero ad vinculum coniugale, & sacramentale nulla lege ecclesiastica eiusmodi matrimonia irritantur. Si tamen uxor luculentis documentis probare posset, se ignorasse mariti conditionem, posset quoque illa conventiones matrimoniales, dotem, dotalitium, iura communitatis &c. percipere.

X. Quæst. VII. *Servorum matrimonia sunt ne valida*? Resp. Contendunt plures, ante sæculum XII. servorum coniugia aliquando fuisse irrita: idque colligunt ex epistola S. Basilii ad Amphilochium *can.* 40. Ut ut res se habeat, certum est Ecclesiam post sæculum XII. lege communi declarasse servorum coniugia, absque dominorum consensu inita, rata, & valida esse, ut in *IV. Decret.* tit. IX. cap. *Dignum est*, habetur. *Iuxta verbum Apostoli, sicut in Christo Iesu neque liber, neque servus est a sacramentis Ecclesiæ removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; & si contradicentibus dominis, & invitis contracta fuerint, nulla sunt ratione propter hoc dissolvenda*. Domini absolute nequeunt resistere, & licentiam negare servis postulantibus ad matrimonia ineunda: quia, inquit 2. 2. *quæst.* CIV. *art.* 5. S. Thomas, *omnes natura sunt pares in iis quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem*. Unde infert: *Non tenentur servi dominis obedire de matrimonio contrahendo, vel servanda virginitate*.

§. III.

De impedimento voti, & Ordinis sacri.

I. VOtum universe definitur: *Deliberata promissio boni melioris Deo facta*. Ratione materiæ multiplex est votum iuxta diversitatem bonorum de quibus fit votum. Ratione formæ duplex est votum, simplex, & solemne. De voto simplici, neque de voto quod a Iesuitis post duos probationis annos emittitur, quodque ex privilegio speciali Gregorii XIII. matrimonium dirimit, nullus est hic sermo, sed de voto solemni tantum. Nam votum simplex castitatis, vel Religionis, illicitum, non irritum matrimonium efficit.

II.

II. Votum solemne, in Religione approbata emissum, iuxta Ecclesiæ leges matrimonium contrahendum, seu contractum post tale votum, nullum efficere, certum est. Disputant Theologi, unde repetendum sit discrimen inter votum simplex, & solemne. Verum hac de controversia latius a nobis disputatum est & *Tom. III.* & in *epistola ad Polycarmum*. Quare actum agerem, si iterum de eadem verba facerem.

III. Similiter Ordinem sacrum impedimentum esse dirimens matrimonium, seu irritum efficiens post Ordinis susceptionem contractum, certum est; ut iam supra de sacramento Ordinis dixi. Disputant Theologi, an Ordo sacer irritet matrimonium ratione sui, an ratione voti solemnis castitatis annexi; sed hæc disputatio nullius momenti est. Sanchez contendit, eum qui invitus Ordinem suscepisset, posse valide contrahere. Principio iste talis, qui *aut eventu necessitatus, aut metu periculorum*, ut inquit Concilium Toletanum VIII. excommunicationi subiectus esset, & irregularitatem contraheret. Insuper matrimonium istud iuxta probabiliorem sententiam irritum esset, ut docent S. Antoninus *III. Part. tit.* 11. *cap.* VIII. Paludanus in *IV. dist.* XXXVIII. *quæst.* 11. S. Raymundus *tit. de matrim.* Hostiensis, & alii plures.

§. IV.

De impedimento cognationis.

I. Cognatio triplex, naturalis, spiritualis, legalis. Naturalis seu carnalis appellatur *consanguinitas*, quasi sanguinis unitas: quia consanguinei ab eodem stipite descendunt, & in illo quasi coniunguntur. Cognatio spiritualis est affinitas quæ ex baptismo, vel confirmatione oritur; & dicitur etiam *compaternitas*. Cognatio legalis ex adoptione legali, & legitima proficiscitur; & appellatur etiam *adoptio*. De his tribus cognationibus sermo erit.

II. Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit consanguinitas?* Resp. S. Thomas in *Suppl. quæst.* LIV. *art.* 1. hoc pacto consanguinitatem definit. *Est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum.* Definitio ex se perspicua est. Tribuitur consanguinitas iuxta eumdem Angelicum ibidem *art.* 2. in lineas, & gradus. Linea est, inquit, ordinata collectio personarum ab eodem stipite descendentium. Duplex est. Una *recta*, estque collectio eorum quorum unus ab altero descendit; ut filius a patre, nepos a filio, & deinceps usque in infinitum. Et hæc, licet una sit, dupliciter tamen spectatur. Alia quippe est *ascendentium*, qua fit ascensus a genitis ad genitores; ut a filio ad patrem, a patre ad avum. Alia *descendentium*, qua a patre ad filium, a filio ad nepotem, pronepotem &c. fit descensus. Secunda linea est *transversalis*, quæ describitur: *Collectio co-*

eorum qui ab eodem stipite descendunt, quin unus ab altero ortum ducat; puta fratres, consobrini &c. Hæc quoque sub duplici aspectu consideratur. Altera est *æqualis*, ut duo fratres, qui eodem gradu ab unico stipite descendunt. Altera est *inæqualis*, ut patruus, & nepos, qui inæqualiter ab eodem principio distant. *Gradus* est distantia maior aut minor unius personæ ab alia secundum lineam consanguinitatis. *Stipes* tandem dicitur illa persona a qua aliæ consanguineæ originem trahunt, ut filiorum pater, nepotum avus est stipes.

III. Quæst. II. *Quot sunt regulæ quæ a Theologis, & Canonistis assignantur pro graduum consanguinitatis computatione?* Resp. Tres sunt. I. In recta linea ascendentium, & descendentium tot sunt gradus, quot personæ, stipite dempto. Heinc pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, quinque personæ sunt, & quatuor gradus: & filius cum patre est in primo, nepos in secundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto gradu: quoniam tot sunt gradus, quot generationes. Generatio autem inter duos terminos concluditur, nempe generantem, & genitum. II. Regula. In linea collaterali æquali personæ tot gradibus invicem distant, quot a communi stipite: sic duo fratres distant in primo gradu inter se, quia uno gradu distant a stipite, in quo coniunguntur. Duorum fratrum filii sunt consanguinei in secundo gradu, quia in eodem a stipite distant. III. Regula. In linea collaterali inæquali tot gradibus inter se distant, quot gradibus distat a stipite qui est remotior. Quare patruus, & filius ex fratre distant inæqualiter ab avo, in quo coniunguntur: ille enim in primo, cum sit eiusdem filius, hic vero distat in secundo gradu: ergo inter se distant in secundo gradu: quia persona remotior duobus gradibus distat a stipite.

IV. Quæst. III. *An diverso modo in iure civili, ac in canonico gradus computentur?* Resp. In supputatione graduum lineæ rectæ nullum discrimen est. In utroque enim tot sunt gradus, quot personæ, sublato stipite. Heinc filius in primo, nepos in secundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto gradu distant. In linea vero transversa, seu collaterali ius civile a canonico iure discrepat. Nam illud per personas gradus numerat, totque gradus constituit, quot sunt personæ, dempto stipite. Sic duo fratres uno quidem gradu distant a patre communi; at duobus gradibus distant inter se, quia sunt duæ personæ: & duorum fratrum filii distant in quarto gradu, quia quilibet a stipite distat in secundo gradu, & quatuor constituunt personas, dempto stipite. Ius vero canonicum, non per personas, sed per distantiam a stipite, gradus numerat. Ratio supputationis canonicæ est, quia personæ in ordine transverso invicem non coniunguntur, nisi ratione stipitis, a quo descendunt. Ergo nequeunt inter se magis vel minus distare quam distent a stipite. Heinc duo fratres in primo tantum gradu distant, quia ambo in primo gradu cum stipite coniunguntur. Si inæqualiter a stipite distant, ut patruus,

truus, & filius fratris, eo gradu distant inter se, quo gradu distat a stipite qui est remotior, ut dictum est. Diversæ supputationis caussam in iure civili, ac canonico præbet Alexander II. *epist.* XXXVIII. inquiens: *In legibus ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas, vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur, usque ad quotam generationem a consanguineorum nuptiis sit abstinendum. Ibi præscribitur ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur; hic vero, ut rite & canonice inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus distincte non numerantur gradus, nisi ad sextam, in canonibus autem usque ad septimam distinguuntur generationem. Hac igitur de causa, quia hereditates nequeunt deferri nisi de una ad alteram personam; idcirco curavit sæcularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas.* Advertendum tamen, quod licet olim tempore Alexandri II. impedimentum consanguinitatis extenderetur usque ad gradum septimum, nunc tamen ex decreto Innocentii III. anno 1200. concluditur intra quartum gradum inclusive. Rationem huius restrictionis Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* 11. assignat his verbis. *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in gradibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.* Rationes cur matrimonia inter ascendentes & descendentes lineæ rectæ prohibita sint & nulla, S. Thomas in *Supplem. quæst.* LIV. *art.* 2. assignat.

V. Quæst. IV. *Quo iure, & in quo gradu sint prohibita, & nulla matrimonia inter ascendentes, & descendentes lineæ rectæ?* Resp. Communis sententia est in primo gradu lineæ rectæ nulla esse matrimonia iure naturæ; ut S. Thomas in *Suppl. quæst.* LIV. *art.* 3. docet. Et S. Ambrosius *epist.* LXVI. ad Patern. inquit: *Ne pater filiam suam accipiat uxorem interdictum est iure naturæ; interdictum est lege quæ est in cordibus singulorum; interdictum est inviolabili lege pietatis, titulo necessitudinis.*

VI. An vero in quolibet gradu sint matrimonia illicita, & nulla inter consanguineos lineæ rectæ, disputant in utramque partem Theologi. Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum *cap.* XXXIX. ait: *Inter personas quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem, & filiam, vel avum, & neptem, & usque in infinitum.* Ven. Bellarminus prudenter *cap.* XXIV. *de matrim.* advertit, hanc particulam *usque in infinitum* non valde hac de re sollicitos nos efficere debere, cum vix contingere possit ut cupiant aliqui matrimonium inire in gradu quinto, aut ulteriore in linea recta. Aut enim non inveniuntur homines vivi; aut sunt ita inæquales quoad ætatem, ut absurdissimum

mum fit eos inter fe matrimonium velle contrahere. Quamobrem vanam & prorfus inutilem reputo controverfiam illam, num fi Adamus nunc refurgeret, poffet alicui feminæ nubere, feu an iure naturæ inter afcendentes, & defcendentes nullum fit matrimonium ufque in infinitum. Sat quippe eft, nullum effe ufque ad quartum gradum inclufive, ob rationem datam a Ven. Bellarmino. Similiter num iure naturæ, an divino irrita fint eiufmodi matrimonia in fecundo, tertio, & quarto gradu, nihil difcutere intereft.

VII. Quæft. V. *An in linea tranfverfa iure naturæ nulla fint matrimonia in primo gradu, ut inter fratres & forores?* Refp. Adfirmant Soto, Toletus, Lugo, Bonacina, Gonet, & alii plures. Sententia negans, quam defendunt Caietanus, Pontius, Candidus, & alii, quos citant, & fequuntur Salmanticenfes *num.* 20. mihi eft probabilior: & colligitur ex ipfa Scriptura. Nam *II. Reg.* XIII. Thamar Amoni fratri fuo, eam opprimere volenti, refpondit: *Noli, frater, opprimere me, noli facere ftultitiam hanc; quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Sed, quod magis urget, initio mundi fratres reipfa forores ducebant. Nec eft quod refpondeant, id ex difpenfatione divina factum effe. Nam refponfio hæc dedecet fapientiffimi Legislatoris providentiam. Quid? Talem ne Deus legem condidit, quæ vix promulgata fine difpenfatione fervari non potuit? Eum ne ordinem in humani generis propagatione Deus conftituit qui aut neceffario lædendus, aut ab eo difpenfandi homines erant? Latuit ne Deum propagandæ focietatis humanæ via quæ difpenfatione non egeret? Tandem quæ ratio probat naturæ iuri hæc matrimonia repugnare? Frater enim & foror non funt una caro, ficut pater & filius: nec inter eos æqualitas repugnat, cum unus ab altero non pendeat.

VIII. Opponunt Innocentium III. cap. *Gaudemus*, docentem feparandos non effe infideles qui in fecundo, & tertio gradu matrimonia contraxerunt. Ergo inferendum videtur, feparandos effe, fi in primo gradu contraxiffent. Præterea Ecclefia numquam in tali gradu difpenfavit. Refp. Ut ab ultimo incipiam, Ecclefia numquam difpenfavit, nec difpenfabit: quia indecentia, & illicita funt eiufmodi matrimonia. Nec occurrere iufta difpenfandi nunc ratio poteft. Heinc eft quod vix aliqua culta, ne dicam barbara, natio reperitur, quæ eiufmodi matrimonia non prohibeat. Quamobrem prudenter Innocentius III. iftius primi gradus non meminit, tum quod vel inter ipfos infideles ratione iuris pofitivi poffunt matrimonia eiufmodi effe nulla, tum quod de eorumdem valore inter Theologos difputabatur; idcirco in fecundo & tertio gradu contracta decernit non effe dirimenda, quia de his nulla eft controverfia.

IX. Quæft. VI. *Quid fit impedimentum cognationis fpiritualis, & ad quas perfonas extendatur?* Refp. Cognatio fpiritualis, ut indicavi fupra, eft *propinquitas perfonarum iure ecclefiaftico introducta*. Hæc in duobus tantum facramentis baptif-
mi,

mi, & confirmationis contrahitur: rationesque congruentes tradit Angelicus in *Suppl. quæst.* lvi. *art.* 2. *ad* 1. In sacramento pœnitentiæ quædam filiatio spiritualis contrahitur, quæ cognationem spiritualem proprie talem non constituit. Personæ quæ cognationem spiritualem contrahunt, numerantur a Tridentino *sess.* xxiv. *cap.* 11. *de refor.* his verbis. *Statuit ut unus tantum, sive vir, sive mulier, iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur.* Et sub capitis finem addit: *Ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.* Ad hanc tamen cognationem spiritualem contrahendam requiritur ut verum & solemne baptisma conferatur. Heinc Auctores plures advertunt, ex baptismo domi collato, cuius postea solemnitates in Ecclesia supplentur, non contrahi cognationem spiritualem, dirimentem inter patrinos & baptizatum. Contrahitur vero a baptizante cum baptizato. Si puer semel baptizatus rebaptizetur, non contrahitur cognatio spiritualis; contrahitur vero in baptismo sub conditione administrato. Si infidelis baptizaret puerum, vel illum de sacro fonte levaret, non contraheret cognationem spiritualem: quare si ad fidem converteretur, posset cum ipso baptizato, eiusque patre, & matre contrahere. Præterea susceptores de baptismo debent esse designati a parentibus pueri, aut ab illis quorum interest; ut Tridentinum *sess.* xxiv. *cap.* 11. statuit. Laicus qui in extrema necessitate baptizat puerum, cognationem spiritualem cum eodem contrahit.

X. Quæst. VII. *Quid sit, & quas conditiones requirat cognatio legalis, ut inducat impedimentum dirimens?* Resp. Cognatio effectus est adoptionis. *Adoptio est* (inquit S. Thomas in Suppl. quæst. lvii. art. 1.) *extraneæ personæ in filium, aut nepotem legitima assumptio.* Ut sit legitima, sex requiruntur conditiones. 1. ut adoptans sit masculus, quia feminæ adoptare nequeunt, cum filios sub sua potestate continere non possint. Addit tamen Angelicus *loc. cit. art.* 3. *ad* 3. quod *etiam mulier ex concessione Principis adoptare potest. Unde etiam in ipsam transit cognatio legalis.* 2. ut adoptans sit vigintiquinque annis maior. 3. ut possit naturaliter filios gignere: quare naturaliter impotentes, frigidi, & iuxta plures spadones fieri adoptantes nequeunt. 4. Adoptans decem & octo annos excedere adoptatum debet, ut ratione ætatis eius filius dici adoptatus possit. 5. Adoptans, & adoptatus debent esse præsentes, quia inter absentes, aut per procuratorem non potest adoptatio fieri. 6. Accedat oportet Principis, seu Magistratus auctoritas.

XI. Duplicem distinguit S. Thomas *loc. cit. art.* 1. *ad* 1. adoptionem. Prima est perfecta, quæ dicitur *arrogatio*, & fit rescripto Principis, cum persona extranea

quæ

quæ sui iuris est, transit in potestatem & familiam adoptantis, quemadmodum ceteri filii legitimi. Ideo autem *arrogatio* nuncupatur, quia adoptans rogatur a Principe, an velit in filium, vel nepotem talem personam assumere: & ipse quoque adoptatus rogatur, an velit assumi, & in adoptantis potestatem transire. Alia est *imperfecta*, & vocatur *simplex adoptio*. Hæc non requirit ut adoptatus sit sui iuris, nec Principis supremi rescriptum; sed sat est cuiuscumque Magistratus auctoritas. Arrogatus necessario succedit arroganti tam ex testamento, quam ab intestato. Simplex adoptatus succedit tantum ab intestato.

XII. Hæc cognatio legalis tam perfecta, quam imperfecta, alia est in linea recta ascendentium, & descendentium inter adoptatum & adoptantem. Alia est in linea transversa inter adoptatum & filios carnales legitimos adoptantis. Tertia est affinitatis legalis ad similitudinem affinitatis carnalis, quæ versatur inter adoptantem & uxorem adoptati, & inter ipsum adoptatum & uxorem adoptantis.

XIII. Quælibet ex his adoptionibus matrimonium dirimit positivo iure: quia licet adoptiones istæ in re civili invectæ sint; tamen iure canonico approbatæ sunt, & secundum hanc rationem impedimenti dirimentis vim habent. De adoptione tamen imperfecta disputant in utramque partem Theologi, num inducat impedimentum dirimens. Adfirmant plures; verum plures alii negant. Et hanc negantem opinionem defendere videtur in *Suppl. quæst.* LVII. *art.* 1. *ad* 1. Angelicus, ubi de adoptione imperfecta inquit: *Magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem quam adoptio perfecta.* Rursus *art.* 2. addit: *Filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis: ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi: & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata.* Per solam autem adoptionem perfectam, quæ dicitur *arrogatio*, adoptatus transit in familiam, & potestatem adoptantis. Ergo hæc sola inducit impedimentum dirimens. Iura enim afferunt, ex adoptione absolute accepta oriri cognationem legalem. Adoptio autem imperfecta non est absolute adoptio, sed via ad illam, inquit S. Thomas. Tandem multiplicanda non sunt impedimenta sine evidenti ratione.

XIV. De tempore quo eiusmodi impedimentum durat, disputant Theologi. S. Thomas *cit. quæst.* LVII. *num.* 3. docet, in prima, & ultima specie, videlicet inter adoptantem & adoptatum, inter uxorem adoptantis & adoptatum, inter uxorem adoptati & adoptantem perpetuo durare, quod reverentia, vi cuius invectum est impedimentum istud, semper durare debet, atque adeo ipsum impedimentum. In specie secunda lineæ collateralis, nempe inter adoptatum & filios carnales, & legitimos adoptantis, durat impedimentum, quoadusque subiecti extant potestati adoptantis. Quare, sublata patria potestate aut morte adoptantis, aut emancipatione filii adoptati, vel naturalis, desinit impedimentum istud; cum sit introductum

ctum evitandi periculi incontinentiæ caussa ob familiaritatem inter adoptatum & filios adoptantis. Hoc autem evanescit, cum cessat patria potestas, aut cum filii emancipantur.

XV. In controversiam quoque vertunt, ad quos hæc legalis cognatio extendatur. Aliqui contendunt, extendi in linea recta usque ad quartum gradum. Sed probabilior opinio est, non extendi ultra primum gradum.

§. V.

De impedimento criminis.

I. Crimen istud situm est aut in adulterio cum promissione futuri matrimonii post mortem alterius coniugis, aut in homicidio coniugis cum adulterio, aut in homicidio, utriusque complicis consensu perpetrato sine adulterio, aut in adulterio cum matrimonio de præsenti contracto cum complice. Itaque crimen istud quadruplex est. 1. solum homicidium. 2. homicidium cum adulterio. 3. adulterium cum promissione futuri matrimonii. 4. adulterium cum matrimonio.

II. Quæst. I. *Quomodo homicidium cum adulterio pariat impedimentum dirimens?* Resp. Quando, commisso adulterio, unus coniugum, puta maritus, suam uxorem, aut uxor suum maritum occidit ex intentione contrahendi matrimonii cum adultera, aut adultero, licet non interveniat utriusque conspiratio, oritur impedimentum dirimens. Non sufficit ergo solum homicidium, sed requiritur etiam adulterium patratum ante occisionem. Mandasti sicario ut occidat Liam uxorem tuam; & post illius mortem peccasti cum Rachele uxore alterius: tunc non consurget impedimentum dirimens: oriretur vero tale impedimentum, si post machinationem, seu mandatum occidendi Liam, ante eiusdem mortem adulterium perpetrasses cum Rachele. Requiritur etiam ut occisio fiat ex intentione perveniendi ad matrimonium. Hinc ad hoc ut impedimentum ex homicidio cum adulterio oriatur, sequentes conditiones postulant Auctores. 1. Quod mors reipsa secuta fuerit: nec sufficit machinata, & intentata. Quare si mandans mandatum revocet, & mandatario innotescat ante occisionem, non oritur impedimentum. Oportet autem ut mors sequatur ex vi actionis, nempe percussionis, veneni, violentiæ, per se, vel per alium factæ. 2. Matrimonium antecedens coniugis occisionem debet esse verum & validum. 3. Adulterium debet esse consummatum cum emissione seminis intra vas feminæ. 4. Adulterium occisionem antecedat oportet. 5. Uterque, adulter, & adultera, debet esse conscius matrimonii utriusque. Quare si uxor rem habeat cum coniugato, quem putat esse liberum, non oritur impedimentum, etiamsi iste postea occidat suam uxorem.

III. Aliqui negant necessariam intentionem perveniendi ad matrimonium, sed sufficere homicidium cum adulterio. Sed alii communiter talem animum requirunt ex parte non utriusque, sed unius, contrahendi matrimonii cum complice delicti. Heinc si quis occideret adulteræ virum, ut liberius eadem uteretur, vel ob inimicitias cum eodem; aut suam perimeret ob tædium, aliamve caussam; tunc non induceretur impedimentum dirimens.

IV. Quæst. II. *Quomodo homicidium absque adulterio inducat impedimentum dirimens?* Resp. Requiritur ut ambo vir, & mulier conspirent in machinationem mortis uxoris, aut mariti cum intentione, ut, morte secuta, matrimonium ineant. Non sufficit machinatio, non percussio, non porrectio veneni, nisi mors reipsa sequatur. Necessaria est utriusque conspiratio, seu consilium, vel cooperatio. Si unus tantum coniux sine scitu, consilio, conspiratione alterius occidat coniugem, non oritur impedimentum dirimens. Tandem necessaria est intentio contrahendi cum illa, aut cum illo complice. Et hæc intentio matrimonii futuri debet innotescere complici. Quoniam nisi hæc intentio utrique parti manifesta sit, non potest esse conspiratio in occisionem ex intentione futuri matrimonii ineundi invicem. Non est tamen necessaria promissio, sed sufficit sola contrahendi voluntas. Hæc mutua conspiratio in mortem alterius coniugis, effectu secuto, sive vir occidat uxorem, sive uxor virum, sive propriis manibus, sive alterius ope, sufficit sine adulterio, ut dictum est. Si autem adulterium accedat, crimen erit mixtum ex homicidio, & adulterio cum mutua conspiratione, atque adeo difficilioris dispensationis.

V. Quid de hoc casu? Sempronius odit uxorem suam adulteram, eiusque adulterum, illorumque occisionem machinatur. Isti hoc rescientes occidunt Sempronium, nulla matrimonii futuri intentione habita. Post mortem Sempronii nuptias celebrant invicem. Validum ne matrimonium istud? Adfirmant communiter Auctores: quia occisio illa non fuit effectus intentionis futuri matrimonii. Quid, si ex intentione non primaria, sed secundaria matrimonii futuri peracta occisio esset? Tunc nullum esset matrimonium: sufficit enim adfuisse intentionem. Neque iura distinguunt intentionem primariam a secundaria.

VI. Quæst. III. *Quomodo adulterium cum promissione futuri matrimonii sine homicidio pariat impedimentum dirimens?* Resp. Sola promissio, vel acceptatio promissionis ineundi matrimonii post mortem coniugis, peccatum grave, non impedimentum parit; sicut & adulterium sine promissione, aut occisione impedimentum dirimens non inducit. Requiritur igitur adulterium iunctum cum promissione futuri matrimonii. Has tamen conditiones Auctores assignant. I. Ut adulterium sit consummatum cum coniuge, vero & legitimo matrimonio ligato. Debent ambo, adulter, & adultera, esse conscii matrimonii. Quia si simul coeant ignorantes ma-

matrimonium, non committunt formaliter adulterium. Quamobrem si adulterium materiale antecedat matrimonii notitiam, deinde sequatur promissio absque novo adulterio, non oritur impedimentum dirimens. Si contra promissio præcedat scientiam matrimonii, &, ea posita, sequatur adulterium, oritur impedimentum dirimens. II. Tam promissio, quam adulterium mortem coniugis antecedere debent. Heinc si Sempronius adulteretur cum Berta, & postea, mortuo marito, illi promittat matrimonium, eamque ducat, validum matrimonium est. Si præfatus Sempronius promittat eidem Bertæ futurum matrimonium, & hanc promissionem revera revocet, tum post revocationem promissionis admittat adulterium, tunc non oriri impedimentum afferunt, eo quod promissio, & adulterium non sint moraliter coniuncta. Si tamen promissio, & adulterium, aut adulterium, & promissio sequantur, vivente coniuge, licet postea revocentur, impedimentum dirimens inducitur: quia per promissionem, & adulterium impedimentum ortum fuit; nec est amplius in potestate voluntatis talis impedimenti ablatio. III. Promissio signis externis manifestata sit oportet, & acceptata. Si vir mulieri promittat, & hæc non acceptet promissionem, aut taceat, nullumque signum positivum acceptationis perhibeat, non oritur impedimentum dirimens. Si promissio sit ficta, exterius serio facta apparens, & serio acceptetur ab altera parte, induci impedimentum dirimens, docent Sanchez, Leander, & Palaus; negant vero Layman, Diana, Dicastillus, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 62. quia sicuti iura verum adulterium, ita veram, & non fictam promissionem postulant, ut impedimentum tale inducatur. Quænam sit ex his duabus opinionibus probabilior, revera ignoro. Ex ficta promissione, exterius serio apparente, & sincero animo acceptata ab altera parte, eadem sequi absurda videntur ac ex promissione vera. Quare decisionem doctiorum iudicio submitto.

VII. Quæst. IV. *Adulterium cum matrimonio de præsenti contracto inducit ne impedimentum dirimens?* Resp. Adfirmat communis sententia. Hoc enim est quartum crimen, unde oriri hoc impedimentum aiunt; si tamen verum validumque matrimonium præcedat, eiusque matrimonii conscii sint ambo, & adulterium consummatum patraverint, atque de præsenti matrimonium contraxerint, seu verius contrahere attentaverint. Neque enim, stante priore matrimonio, aliud contrahere reipsa valent; sed sat est quod ipsi eo quo valent modo contrahant de præsenti matrimonium, adulteriumque committant, ut impedimentum dirimens inducatur.

VIII. Hoc impedimentum, cum sit iure ecclesiastico constitutum, non obstringit infideles, qui, si post recensita crimina converterentur ad fidem, possent mutuo coniugium inire. Si tamen unus esset fidelis, tunc inhabiles forent ad matrimonium ineundum, sive essent rei homicidii cum mutua conspiratione, sive

adulterii cum promissione, sive adulterii cum homicidio, sive adulterii cum matrimonio de præsenti.

§. VI.

De impedimento disparis cultus.

I. QUæst. I. *Quid significat cultus dispar?* Proprie significat diversam religionem; qualis est inter infidelem, & fidelem, seu baptizatum, & non baptizatum. De hoc impedimento pauca dixi supra *diss.* I. *cap.* IV. *quæst.* VI. *&* VII. nempe Ecclesiam prioribus sæculis tolerasse matrimonia Christianorum cum infidelibus; illius tamen mentem semper fuisse ut Christiani a coniugio infidelium abstinerent. Nam eiusmodi matrimonia absolute sunt illicita, etiam sublata quacumque prohibitione, regulariter, & communiter loquendo: nam occurrere casus possunt in quibus sint licita; ut primis sæculis contigit. Sed, præcisis aliquibus casibus, communiter deformitatem eiusmodi coniugia produnt. Heinc est quod Deus *Deuter.* VII. prohibuit Iudæis ne infideles uxores ducerent: *quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis.* Rursus hoc idem *I. Reg. cap.* II. repetit. *Certissime avertent corda vestra, ut sequamini deos alienos.* Nimia enim familiaritas quæ intercedit inter coniuges, subversionis periculum communiter secum adfert; & damnum proli educandæ infert. Similiter iure naturali & divino prohibita sunt Catholicorum cum hæreticis connubia. In aliquibus tamen regnis, & provinciis, in quibus Catholici cum hæreticis commixti sunt, tolerantur; ut alias dictum est.

II. Quæst. II. *An iure naturali & divino sint irrita matrimonia baptizati cum non baptizato?* Resp. Negat communis sententia, probatque tum multis exemplis sacræ Scripturæ & veteris, & novi testamenti, tum ratione. Nam si matrimonium inter Christianum & infidelem esset naturæ iure irritum, continuo ac infidelis fieret Christianus, matrimonium nullum fieret: quod tamen falsum est. Prohibuit utique Deus Iudæis ne cum infidelibus commiscerentur; immo *Esdræ cap.* IX. *&* X. iubetur, Iudæos separari a coniugibus idololatris. Iussa est separatio ob peculiare periculum subversionis, & Iudæorum pronitatem ad idololatriam. Heinc tamen non sequitur, matrimonia fidelium cum infidelibus esse absolute irrita & nulla.

III. BENEDICTUS XIV. Pontifex maximus feliciter regnans *Lib. VI. de Synodo cap.* IV. *num.* 3. postquam declaravit, matrimonium ab Hebræis in infidelitate contractum, & consummatum dissolvi per conversionem alterutrius ad fidem christianam, renuente altero cohabitare sine contumelia Creatoris, addit integrum non esse coniugi converso transire ad alia vota, nisi prius infidelis interpellatus aut recusaverit absolute cum eo cohabitare, aut declaraverit se nolle cohabitare absque iniuria Creatoris. Deinde inquirit, quid agendum, quando accidit coniugem infidelem.

delem in longinquas abiisse regiones, aut ita latitare, ut interpellari non queat. Narrat aliquos defendere, omissa interpellatione, licitum esse coniugi converso transire ad secundas nuptias; alios vero docere, necessariam esse in hoc rerum statu summi Pontificis dispensationem. „ Atque (inquit) huic posteriori sententiae in quadam causa Florentina, discussa 17. Ianuarii 1722. adhaesit sacra Congregatio Concilii; cuius iudicio nos omnia subiecimus rationum momenta quae a diffidentibus inter se Doctoribus in utramque partem afferuntur; ut legere est *Tom. II. Thesaur. resol. pag.* 117. *& seqq.* "

IV. Alteram quaestionem proponit *ibidem num.* 4. Pontifex summus, quam integram hic transcribere iuvat. „ Sed alia hinc oritur controversia de temporis momento quo rescindatur foedus connubii de quo est sermo. Plerique Doctores sentiunt, interpellato coniuge infideli, eoque aut expresse abnuente legitime cohabitare cum fideli, aut intra terminum, sibi in interpellatione praefixum, nihil respondente, dissolutum statim censeri vinculum coniugii, quo erant ambo constricti. Alii arbitrantur, tunc primum dirimi, cum coniux conversus alteras nuptias contrahit. Ab istius autem controversiae decisione alterius pendet enodatio difficultatis, de qua non semel contigit in ecclesiasticis foris disputari. Fingite, Titium Hebraeum christianam fidem amplecti: postquam fuit baptismate ablutus, uxorem suam Naeviam, quam in Iudaismo pertinacem reliquit, interpellet, an velit secum cohabitare sine Creatoris contumelia: Naevia aut expresse renuat, aut intra praefinitum sibi temporis intervallum nihil respondeat: aliud deinde matrimonium cum hebraeo viro contrahat Naevia, Titius autem christianus coelibem statum eligat. Fingite rursus, post aliquot annos Naeviam cum suo secundo viro ad christianam fidem converti, colente adhuc Titio coelibem statum. Gravis statim excitatur quaestio, an Naevia redire debeat ad Titium suum primum virum, an potius permanere cum secundo. Huius autem quaestionis decisio ab alia pendet quam antea proponebamus: etenim si matrimonium Titii cum Naevia rescissum fuit, statim ac Naevia interpellata renuit cum Titio legitime cohabitare, uti opinantur Doctores primae sententiae, valide profecto potuit eadem Naevia alteri se copulare viro, cum quo propterea perseverare debet, etiam cum ambo Christianorum sacris initiati sunt. At si matrimonium in infidelitate contractum, tunc solum dissolvitur quando coniux conversus aliud coniugium init, uti existimant Doctores secundae sententiae, cum Titius, in casu, aliam non duxerit uxorem, illegitimum certe fuit novum matrimonium a Naevia, nondum a priore vinculo soluta, contractum; atque idcirco, cum christianam fidem amplectitur, tenetur ad primum virum redire. Verum cum res contigerit Florentiae anno 1726. & de ea disceptaretur in sacra Congregatione Concilii, Nos pro nostro, quod tunc gerebamus, Secretarii munere dissertationem elucu-

„ bravimus, qua luculenter ostendimus, ex enuntiatis sententiis posteriorem esse „ tam inter antiquos, quam inter recentiores Theologos & Canonistas fere com„ muniter receptam: ex quo conclusimus, virum hebræum, de quo res erat, qui„ que cum secunda uxore, quam, iuxta præmonstratum casum, duxerat, baptis„ mum petebat, post illud susceptum teneri redire ad primam iampridem christia„ nam factam, & adhuc perseverantem innuptam. Et sacra Congregatio ne latum „ quidem unguem a nostra sententia recessit, eoque libentius eam est amplexata, „ quod, Nobis pariter suggerentibus, compererit, ita consentientibus Theologis, in „ consilium adhibitis, fuisse ab eadem definitum anno 1679. & 1680. in simili ca„ su, qui Florentiæ quoque evenerat: quæ omnia legenda sunt in *Thesaur. re„ sol. Tom. III. pag. 346. & 352. & seqq.*

„ 5. Alter eiusdem caussæ articulus, sacræ Congregationis discussioni tunc quo„ que propositus, indecisus remansit: quærebatur itidem, an saltem ius esset sum„ mo Pontifici, primum matrimonium in infidelitate contractum, & consumma„ tum suprema sua auctoritate relaxandi, veniamque concedendi coniugi tardius „ ad fidem converso, ut in prædictis rerum circumstantiis posset cum secunda „ uxore permanere. Opportuna etiam de hac, longe utique graviori, quæstione, „ fuit a nobis exarata dissertatio, quæ extat *Tom. IV. cit. Thesaur. resol. pag. 30. „ & seqq.* in qua plures allegavimus Doctores, hanc potestatem Pontifici asseren„ tes, simulque contendentes, eam reipsa exercuisse S. Pium V. & Gregorium XIII. „ sicut in citata dissertatione fuse habetur. Sed sacra Congregatio satius duxit a feren„ da sententia se abstinere: quoniam etiam data Pontifici potestate rescindendi prius „ vinculum coniugii in infidelitate contracti, nihilominus, quod Nos sacræ Con„ gregationi insinuare non prætermisimus, merito dubitabatur, num eæ adessent gra„ vissimæ caussæ quæ necessariæ sunt ut per apostolicam dispensationem dirimatur."

V. Quæst. III. *An matrimonium baptizati cum non baptizato sit iure ecclesiastico irritum?* Resp. Adfirmant omnes: idque evincunt ex usu & consuetudine immemorabili Ecclesiæ, a summis Pontificibus approbata. Et hoc nititur ipso naturali divinoque iure, ut indicatum est supra. Vetat quippe matrimonium istud, subversionis periculum. Accedit quod baptizatus tenetur inire matrimonium ut sacramentum. Coniux autem non baptizatus nullius sine baptismo sacramenti capax est. Quare si fidelis catechumenam nondum baptizatam duceret, matrimonium irritum esset: quia cum baptismus sit ianua sacramentorum, non potest, antequam illum suscipiat, matrimonii sacramentum celebrare.

VI. Quæst. IV. *An summus Pontifex dispensare valeat, ut fidelis nubat infideli?* Resp. Si instet subversionis periculum, nullo modo dispensare valet; cum hoc intrinsecus malum sit. Hoc periculo sublato, & iusta gravique caussa occurrente, tunc Theologi plures docent, illum dispensare posse. Peccaret enim, inquiunt, si absque

absque iusta caussa dispensationem impertiret. Hæc namque matrimonia sunt ipso divino iure absolute prohibita; ut ex allatis divinæ Scripturæ testimoniis constat, Apostolo *I. Cor.* VII. inquiente: *Cui vult, nubat, tantum in Domino*. Quare, nisi adsit caussa, ob quam Pontifices summi interpretari valeant, divinum ius non prohibere hoc in casu eiusmodi matrimonia, nequeunt dispensationem impartiri. Siquidem quæ iure divino vetita sunt, dispensationi pontificiæ non subiacent. At aliquo in casu ius divinum hæc matrimonia non vetat.

VII. Quæst. V. *Matrimonia Catholicorum cum hæreticis sunt ne lege divina, aut ecclesiastica prohibita?* Resp. Sanchez, Azorius, Pontius, & alii humana tantum lege prohibita asserunt, contra quam præscribi posse contendunt: unde inferunt illorum aliqui, haud opus esse dispensatione iis in locis in quibus Catholici cum hæreticis immixti sunt, quod ibi eiusmodi matrimonia sint quodammodo necessaria.

VIII. Alii Theologi, & quidem graviores, adfirmant, dicta matrimonia iure divino prohiberi: idque evincunt plurimis sacræ Scripturæ, & Conciliorum testimoniis. Deinde argumentantur. Si matrimonia fidelium cum infidelibus vetita iure divino sunt; potiori iure prohibentur matrimonia Catholicorum cum hæreticis. Quoniam hæretici sunt excommunicati: ergo non sunt in arctissimum coniugalis societatis fœdus admittendi. Hæresis enim pessimum est infidelitatis genus, inquit Estius in *IV. dist.* XXXIX. §. 4. eoque minus cum iis permitti coniugia debent, quo & periculosior est cum illis conversatio, & difficilior eorum conversio. Allegant auctoritatem Concilii Burdigalensis II. an. 1624. ubi hæc habentur. *Periclitatur admodum fides contrahentium, si cum sit unus coniugum hæresi infectus, & pertinaciter in ea perseverans, alter non sine peccato, & irreverentia sanctæ matris Ecclesiæ cogatur iugum trahere ærumnosum ... Et experientia fit compertum, etiam ex Catholicis non paucos talibus matrimoniis a fide orthodoxa defecisse*. Et tametsi nullum periculum coniugi esset, magnum tamen proli nasciturae detrimentum imminet. Hæc enim ab utroque parente educari debet. Porro quæ vis, quæ fraus a marito hæretico timeri non debet? Quid pseudoministri non agent, ut hæresis veneno pueros inficiant, atque in suos pertrahant errores? Quid quod parentum exempla incredibili vi filios impellunt ad eadem imitanda? Urgent Ecclesiæ Græcæ disciplinam, quæ a pluribus sæculis eiusmodi matrimonia irrita declaravit; ut ex Concilio Trullano *can.* LXXII. constat. *Non licere unum orthodoxum cum viro hæretico coniungi, neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari; sed si quid eiusmodi a quopiam factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolvi. Neque enim ea quæ non sunt miscenda, misceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte coniungi oportet*.

IX. Respondet Sanchez, Trullanos canones nullius esse auctoritatis. Eccur? Basilius Pontius reponit, priscis illis canonibus derogasse oppositam consuetudinem.

Alii melius interpretantur, Trullanum canonem accipiendum esse de separatione fidelis coniugis a coniuge hæretico, qui cum illo cohabitare renuit. Subditur enim ibidem: *Si fideli homini placeat cum infideli cohabitare, aut e contra, ne a se invicem separentur: ex divini enim Pauli sententia sanctificatus est infidelis vir in muliere, & sanctificata est mulier infidelis in viro.*

X. Insistunt prioris sententiæ patroni. Quamquam licitum sit, gravi urgente necessitate, pecuniam sub fenore accipere ab usurario, & sacramenta petere a Pastore sacrilego; nulla tamen urgente necessitate licitum est aut fenora exercere, vel sacramenta indigne suscipientibus, & publicis peccatoribus administrare, aut eadem conficere in statu peccati mortalis. Matrimonium autem sacramentum est, & cum hæreticis celebratum indigne perficitur, recipiturque: administratur publicis peccatoribus, atque a Christi corpore excommunicationis gladio præcisis. Quid quod in multorum sententia ipsi contrahentes sunt ministri, illudque sibi invicem administrant? Hæreticus ergo notorius, & excommunicatus conficit sacramentum, & ministrat catholico, & catholicus hæretico. Quid autem magis cum lege naturali, & divina pugnat? Ad dispensationem concessam a Clemente VIII. quam opponit contraria sententia, respondent cum Spondano ad annum 1600. dispensationem sæpius petitam constanter Pontificem summum denegasse ob seductionis & perversionis periculum: & tandem, *importunitate fere magis*, inquit Spondanus, *quam libera Clementis voluntate, impetrata fuit illa dispensatio.*

XI. Quam sint argumenta quæ hactenus perstrinxi, efficacia, & urgentia, iudicare quisque valet. Tanti ea fecit Iuvenin in *Comment. diss.* x. *quæst.* VII. *cap.* VI. ut docuerit, præfata matrimonia repugnare iuri naturali, & numquam permitti debere. Quæ opinio licet communiter explodatur, tamquam falsa; ex præfatis tamen rationibus colliget prudens lector, quam grave periculum sit, Catholicos coniugium inire cum hæreticis, & quam sint eiusmodi matrimonia illicita; cum ipsi Pontifices summi, non nisi in caussis gravissimis, & urgentissimis, & ad graviora vitanda incommoda, eadem permittant.

§. VII.

De impedimento violentiæ, seu coactionis, & ligaminis.

I. HOc impedimentum oritur ex vi, aut metu quo quis cogitur ad matrimonium contrahendum. Plurimi sunt canones qui hoc impedimentum dirimens constituunt, & referuntur in *IV. Decr. tit.* 1. Distinguenda est vis qua quis a principio extrinsecus compellente movetur omnino resistens, atque invitus, a metu quo quis aliquid eligit, quod, sublato illo timore, non eligeret. Violentiæ expe-

exposita omnem excludit deliberationem. Metus autem tum matrimonium dirimit, quando sit talis qui cadat in virum constantem; ut supra *cap.* VI. *quæst.* IX. explicatum est. Vide *ibidem* dicta, ne actum agam.

II. Impedimentum ligaminis illud est quod coniugati contrahunt ex matrimonio, dum aliam uxorem, vivente priore, ducunt. De hoc quoque impedimento supra disputatum est, ubi, quo iure polygamia vetita sit, demonstravi. Quæ hic dicenda forent, ibi videri possunt.

§. VIII.

De impedimento publicæ honestatis.

I. PUblica honestas est propinquitas quædam oriens ex matrimonio rato, nondum consummato, & ex sponsalibus celebratis per verba de futuro. Hoc impedimentum oriri ex sponsalibus, omnes fatentur. De matrimonio rato aliqui olim dubitarunt. Verum si sponsalia, quæ via sunt ad matrimonium, hoc inducunt impedimentum; illud longe magis parit matrimonium ratum, quod minus a matrimonio consummato distat.

II. Quæst. I. *Inter quos impedimentum publicæ honestatis contrahatur, & ad quem gradum?* Resp. Iure antiquo hoc impedimentum contrahebatur inter consanguineos coniugis, seu sponsæ usque ad quartum gradum; ut constat ex cap. *Non debet* de consang. & affin. Concilium Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* III. illud coarctavit his verbis. *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Hoc igitur impedimentum nunc solum contrahitur inter sponsum & matrem, sororem, ac filiam sponsæ, vel inter sponsam & patrem, fratrem, ac filium sponsi; dum tamen valida fuerint sponsalia prius contracta. Si hæc aliquo ex capite invalida fuere, nullum oritur impedimentum. Decretum tamen Tridentinum restrinxit impedimentum ex sponsalibus, secus ex matrimonio rato ortum; ut Theologi, & Canonistæ docent. Et ita declaravit S. Pius V. in Brevi edito an. 1568. cuius initium est. *Ad Romanum*, inquiens: *Idcirco motu proprio, auctoritate apostolica, tenore præsentium declaramus, & definimus, decretum Concilii huiusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio, ut sic præfertur, contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus.*

III. Impedimentum igitur ex matrimonio rato ortum usque ad quartum gradum ex-

extenditur, quia iure antiquo sic statutum erat : idque verum habet, etiamsi matrimonium ratum invalidum fuerit; dummodo non fuerit nullum ex defectu consensus, aut in præiudicium priorum sponsorum : quia ius antiquum ita decrevit : quod ius hac in parte restrictum non est, ut communiter Auctores docent. Ex sponsalibus quocumque ex capite invalidis nullum oritur impedimentum : quia ita statuit Tridentinum *loc. cit.* An matrimonium ratum, invalidum defectu consensus interni, inducat hoc impedimentum, disputant in utramque partem Auctores. Sanchez, Leander, Henriquez, Pontius defendunt, matrimonium nullum ex solo defectu interni consensus, inducere impedimentum istud, sicut & sponsalia ex quocumque impedimento occulto nulla : quia, inquiunt, Ecclesia hoc impedimentum constituit ad indecentiam declinandam, quæ oritur ex hoc quod sponsus contrahat cum consanguinea suæ uxoris. Porro quando sponsalia, & matrimonium ratum sunt publice valida, & solum irrita ex occulto defectu consensus interni, iam habetur indecentia, ad quam vitandam impedimentum inductum est. Contra sentiunt Bonacina, Dicastillus, Castropalaus, Ledesma, Hurtadus, & alii, quos citant & sequuntur Salmanticenses *cap.* XII. *punct.* 7. *num.* 85. Si argumentatio, inquiunt, facta consisteret, ex sponsalibus veris, sed occultis nullum oriretur impedimentum : quia tunc non appareret talis indecentia. Hoc autem prioris sententiæ patroni non concedunt : negare ergo debent & primum. Pro hac secunda opinione Barbosa, Farinacius, & Rebellus referunt decisionem Sac. Congregationis. Et certe hæc secunda opinio conformior videtur Tridentino. Heinc præfati Auctores inferunt, impedimentum publicæ honestatis non oriri ex sponsalibus, aut ex matrimonio rato, contractis per metum, & per errorem personæ : quia tunc nulla sunt ob defectum necessarii consensus. Circa matrimonium ratum consistit ius antiquum, nempe quod pariat impedimentum, etiamsi invalidum fuerit, dummodo non ex defectu consensus interni.

IV. Quæst. II. *An ex matrimonio clandestino nullo oriatur impedimentum publicæ honestatis*? Resp. Negant Dicastillus, Coninchus, & alii. Sed hæc opinio falsa est, & contraria declarationi S. Pii V. supra relatæ. Accedit quod in cap. *de Sponsf. in VI.* solum excipitur matrimonium directe irritum ob defectum interni consensus. Matrimonia clandestina irrita sunt non ex defectu interni consensus, sed ob omissionem solemnitatum, quæ efficiunt consensum dumtaxat illegitimum : hoc autem evenit in omni matrimonio quocumque ex capite nullo. Asserendum ergo, ex matrimonio clandestino impedimentum publicæ honestatis oriri, sicut ex quolibet alio matrimonio invalido, excepto illo quod tale est ob defectum interni consensus.

V. Quæst. III. *An hoc impedimentum publicæ honestatis sit perpetuum*? Resp. Hoc impedimentum ortum ex matrimonio semper durat. Si contraxisti cum Berta, quæ

quæ moriatur aute matrimonii consummationem, numquam ducere poteris, dispensatione sublata, illius matrem, sororem, & filiam, aut alias consanguineas usque ad quartum gradum. Si hoc impedimentum sponsalia inducant, & ob mortem sponsæ dissolvantur, numquam cum eiusdem matre, sorore, vel filia contrahere licebit; ut habetur cap. *Spons.* de sponf. & cap. *Fraternitatis* xxxv. quæst. x. Quid, si sponsalia mutuo consensu dissolvantur? Persistit ne tunc impedimentum? Negant plures, Castropalaus, Gonet, Diana, Leander, & alii: quia, inquiunt, hæc sponsalia post dissolutionem non reputantur valida absolute a Concilio; sed dumtaxat secundum quid, & ad tempus. Ergo ex eisdem impedimentum publicæ honestatis non oritur. Hæc argumentatio futilis est, & opinio falsa. Licet enim post dissolutionem, ex mutuo consensu peractam, nulla sint sponsalia, ante dissolutionem tamen valida omnino erant. Ex sponsalibus autem validis, iuxta Tridentinum, impedimentum publicæ honestatis oritur. Hoc autem impedimentum, semel consequens valida sponsalia, natura sua perpetuum est. In potestate sponsorum est sponsalia contracta dissolvere, secus impedimentum inde consequens auferre. Sponsalia propria illorum voluntate contracta sunt: ideo dirimere eadem valent. Impedimentum sponsalia consequens absque illorum voluntate constitutum ab Ecclesia est: ergo hæc sola auferre impedimentum istud valet.

VI. Quæst. IV. *Ex secundis sponsalibus, aut nuptiis oritur ne impedimentum publicæ honestatis?* Resp. Contraxisti cum Berta sponsalia: postea sponsalia celebrasti cum Nævia sorore Bertæ. Valide ne contrahere matrimonium cum Berta potes? Proculdubio potes, quia secunda sponsalia nulla fuerunt ob impedimentum publicæ honestatis, ortum ex prioribus sponsalibus. Si contraxisti cum Nævia, matrimonium nullum est. Et ex matrimonio nullo, quod cedit in detrimentum præcedentium sponsorum, impedimentum non oritur. Si vero cum Nævia matrimonium consummasti, neque cum hac, neque cum Berta contrahere potes. Non cum Berta, quia ratione copulæ carnalis contraxisti impedimentum affinitatis: non cum Nævia, quia ex prioribus sponsalibus celebratis cum Berta ligatus es impedimento publicæ honestatis. Tandem ex sponsalibus contractis cum personis incertis, puta cum una ex filiabus Pauli, nullum oritur impedimentum: quia irrita sunt ex defectu necessarii consensus: sicut nec oritur ex sponsalibus conditionatis, ante eventum conditionis.

§. IX.

§. IX.

De impedimento affinitatis.

I. QUæst. I. *Quid sit affinitas*? Resp. Est *propinquitas personarum ex copula carnali proficiscens*. Ea copula necessaria est quæ sufficit ad matrimonii consummationem. Affinitas hæc ex copula tum licita, tum fornicaria oritur, duratque in perpetuum. Consanguinei viri non fiunt per carnalem copulam affines consanguineis feminæ, nec e contrario: quia affinitas non parit affinitatem. Solus ergo ille qui copulam carnalem habuit, fit affinis cum consanguineis feminæ, & femina cum consanguineis viri.

II. Quæst. II. *In quo gradu affinitas dirimat matrimonium subsequens*? Resp. Affinitatem esse impedimentum dirimens matrimonium, extra controversiam est inter Catholicos. Iure antiquo impedimentum istud extendebatur usque ad septimum gradum. Concilium Tridentinum illud ex copula licita ad quartum, ex copula fornicaria ad secundum usque inclusive restrinxit.

III. Quæst. III. *Quo iure, naturali, an positivo, affinitas dirimat matrimonium?* Resp. Certum est ex copula fornicaria nullum naturæ iure impedimentum oriri, sive in linea recta, sive in transversa. Communis quoque & certa sententia est adversus Calvinistas, affinitatem ortam ex licita copula non parere iure naturæ impedimentum dirimens matrimonium. Nam in lege naturæ Iacob duas sorores, Liam, & Rachelem duxit *Gen.* XXIX. In lege scripta *Deut.* XVIII. præcipitur, nedum permittitur, ut si frater absque liberis decedat, eiusdem superstes frater accipiat uxorem defuncti, & suscitet eius semen. In novo testamento nihil occurrit quod hoc prohibeat. Nam *Matth.* XIV. & *Marc.* VI. Ioannes Baptista redarguit Herodem, quod uxorem fratris sui Philippi in coniugem accepisset, vivente adhuc Philippo. Accedit quod, etiamsi Philippus fuisset mortuus, adhuc reprehensibilis Herodes fuisset: quia Philippus filiam, Herodiadem nempe saltatricem, reliquerat. Lex autem *Levit.* XVIII. prohibebat fratrem ducere uxorem fratris, quando hic sobolem reliquerat. Tandem summi Pontifices reipsa interdum dispensarunt in primo gradu lineæ transversæ: ut Alexander VI. cum Emmanuele Rege Lusitaniæ, qui duas successive sorores duxit, Regis Hispaniarum filias, Iulius II. cum Henrico VIII. Anglorum Rege, qui Catharinæ viduæ fratris Arturi nupsit, quamvis postea privata auctoritate dispensationem invalidam caussatus, illam repudiaverit, unde schisma manavit Anglicanum.

IV. Quæst. IV. *An in primo gradu lineæ rectæ affinitas pariat iure naturæ impedimentum dirimens*? Resp. Negant Pontius, Sanchez, Ledesma, Gonet, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *cap.* XII. *num.* 100. idque probant ex

III.

III. Reg. cap. 11. ubi Adonias petiit Abisag uxorem patris sui. Rursus Concilium Arelatense prohibet matrimonium inter privignum & novercam relictam ex patre contrahendum; contractum vero ante prohibitionem sustinendum esse decernit. Contra Soto in *IV. dist.* xli. *quæst. unic. art.* iii. Bellarminus *Lib. I. de matrim. cap.* xxviii. Valentia *Tom. IV. disp.* x. *quæst.* v. *punct.* 3. Vasquez *Tom. II. quæst.* lxxiv. *art.* 8. *disp.* cxii. *num.* 7. & alii adfirmant, iure naturæ vetitum esse matrimonium in primo gradu lineæ rectæ affinitatis, ut inter privignum & novercam, inter socerum & nurum. Evincunt pluribus Scripturarum testimoniis & ratione: quia tanta reverentia debetur uxori patris, quanta ipsi patri. Hæc secunda opinio videtur probabilior; sed res tanti non est, ut severius discutiatur.

§. X.

De impedimento impotentiæ.

I. P. Thomas Sanchez in suis tribus voluminibus de re uxoria tam fuso calamo hanc coeundi impotentiam versat, ut non minus quam xxviii. disputationibus illam explanare operæ pretium iudicaverit. Non omnibus datum est quæstiones quas Auctor iste distincte enucleat, & perspicue dispicit, salvo pudore, & honestate tractare. Præcipua capita ea qua potero cautione attingam, ne vel calamus ipse materiam adeo lutulentam versando maculetur.

II. Quæst. I. *Quid sit, & quotuplex impotentiæ impedimentum?* Resp. Est *ineptitudo ad exercendam copulam coniugalem cum penetratione vasis muliebris, & effusione seminis intra illud apta ad prolis generationem.* Hæc impotentia alia supervenit, alia antecedit matrimonium: alia est perpetua, ad tempus alia: alia naturalis, & intrinseca: alia accidentalis, & extrinseca: naturalis alia ex defectu ætatis; alia ex defectu caloris in viro; alia ex nimia coarctatione partium in femina. Rursus naturalis, alia absoluta respectu omnium; alia respectiva, idest in viris respectu harum, non aliarum feminarum, & in feminis respectu horum, non aliorum hominum. Accidentalis alia est a natura, ut in senibus; alia ab homine, ut in eunuchis; alia a dæmone, ut in maleficiatis.

III. Quæst. II. *Quo iure, & quomodo impotentia absoluta, & perpetua dirimat matrimonium?* Resp. Impotentia absoluta viri respectu omnium feminarum, & feminæ respectu omnium virorum perpetua dicitur, quæ nullo remedio, nullaque arte licita auferri potest. Hæc autem impotentia sola matrimonium dirimit. Et quamvis hæc impotentia aut per aliquod peccatum, aut per miraculum, aut per remedium, mortis periculum inducens, auferri posset; nihilominus nullum esset matrimonium, ut ex cap. *Fraternitatis* constat. Superveniente tamen facultate coeundi, poterunt vel pristinum redintegrare, vel aliud inire coniugium.

gium . Qui conscii, aut dubii sunt propriæ impotentiæ, peccant mortaliter contrahentes.

IV. Impotentia quoque reputatur illa, qua vel propter nimium calorem, aut arctationem feminæ immitti semen aut in totum, aut in partem intra vas naturale non potest, quando nullo remedio tolli hoc impedimentum queat : quoniam necessaria est facultas ad copulam aptam generationi prolis . Hæc autem impotentia naturalis & perpetua tam naturali , quam ecclesiastico iure matrimonium dirimit, ut omnes fatentur.

V. Quæst. III. *An, quando ambo coniuges sunt conscii impotentiæ , validum contrahere matrimonium possint?* Resp. Impotentia aut potest esse mutua, aut in uno solo coniuge, nota tamen utrique . Disputant Auctores, an tunc possit pars potens, aut ambo impotentes, conscii mutuæ impotentiæ, cedere iuri suo , & matrimonium contrahere. Quod valeant quoddam societatis fœdus inire ad mutua obsequia præstanda; aut post contractum matrimonium , & deprehensa impotentia , nolint separari, possintque habitare ut frater & soror , dummodo periculum incontinentiæ absit, hoc illis permittitur, ut plures docent, colliguntque ex cap. *Consult.* de frigid. & malef. Adfirmant etiam plures, posse præfatas personas cedere iuri suo & validum contrahere matrimonium. Verum opinio negans non modo probabilior, sed vera est. Impotentes enim a iure declarantur inepti ad matrimonium, nullo discrimine facto inter scientes, & ignorantes talem impotentiam . Absurda quæ heinc sequerentur, obvia sunt.

VI. Impotentia temporalis non dirimit matrimonium, ut habetur cap. *Fraternitatis*, & docent omnes. Illa vocatur impotentia ad tempus quæ absque peccato , periculo vitæ, aut artificio tolli valet . Validum est matrimonium , contractum etiam cum nesciente talem temporalem impotentiam . Peccat tamen mortaliter qui, vel quæ eiusdem conscia contrahit , ob iniuriam illatam parti , & ob alia absurda inde consequentia . Qui vera coeundi facultate pollent, validum ineunt matrimonium, etiamsi steriles sint vel a natura, vel ob senectutem.

VII. Quæst. IV. *Quando impotentia ex parte feminæ dicenda est perpetua?* Resp. Mulier impotens reputatur, quando in ea pudoris claustra ita arcta sunt, ut absque peccato, aut mortis periculo reserari licitis remediis nequeant. Dicitur *licitis remediis*, quia si virgo esset arcta respectu sui mariti, & fieri ab alio apta posset, laborare censeretur perpetua arctitudine , seu impotentia : quia absque peccato tolli nequit. Si vero feminæ arctitudo licita arte humana auferri possit, aut vi medicinarum, aut incisione, sublato omni probabili periculo mortis; tunc non adest impotentia dirimens matrimonium, etiamsi ipsa recuset remediorum usum . Sat enim est quod auferri impotentia possit, ut matrimonium sit validum . Talis enim impotentia tunc esset voluntaria, quæ dirimere matrimonium nequit. Obstri-

cta

cta autem femina est usum remediorum adhibere, & incisionem pati, etiam cum gravi dolore & molestia. Si tamen morbus esset gravissimus, & læsio diuturna, libera femina esset: aut si vir remitteret debiti redditionem, vel si femina ingredi Religionem vellet.

VIII. Disputant Theologi, quid agendum, si medici ambigerent, num incisio, aut medicamina illatura essent mortis periculum? Et communior opinio docet, præsumendum esse tale periculum. Quid, si Medici decernerent adesse periculum mortis, & postea constaret experimento falsam fuisse illorum opinionem, aptaque femina ad copulam evasisset? Tum validum esse matrimonium docent, & mulierem reddendam viro suo, etiamsi ad secundas nuptias transisset: quia secundum matrimonium fuisset nullum.

IX. Quæst. V. *Quid de impotentia respectiva dicendum*? Resp. Si viri instrumentum ita sit excedens, ut nequeat talem feminam cognoscere; & feminæ arctitudo talis sit, ut huic viro sit inepta; & hæc impedimenta licitis auferri remediis nequeant: tunc impotentia esset perpetua, & matrimonium nullum; tametsi & femina respectu alterius viri, & vir respectu alterius feminæ apti & proportionati essent. Quoniam cum matrimonium sit inter has duas determinatas personas, non sufficit facultas ad coeundum in genere, sed necessaria est aptitudo inter has duas personas fœdere coniugali iunctas.

X. Si vir aut debilis, aut ita senex sit, ut nequeat virginem, bene vero corruptam agnoscere, & possit arte honesta iuvari ad virginem cognoscendam, tenetur vir hæc adhibere remedia; ut ex cap. *Fratern.* colligitur. Si vero non aliunde iuvari possit, nisi femina patiente incisionem, & fractionem claustri pudoris; tunc omnes fatentur feminam, si velit, tale incommodum sustinere posse; ad obligationem autem quod attinet, alii dicunt ad id esse obstrictam, alii adfirmant esse liberam. S. Thomas in *Suppl. quæst.* LVIII. *art.* I. *ad* 5. hæc scribit. *Dicendum, quod non potest esse perpetuum impedimentum naturale viro respectu unius personæ, & non respectu alterius: sed si non possit implere carnalem actum cum virgine, & tamen possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento possunt claustra pudoris frangi, & ei coniungi. Nec esset hoc contra naturam: quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum. Abominatio autem mulieris non est causa naturalis, sed causa accidentalis extrinseca. Et ideo de ea est iudicium idem quod de maleficio.*

XI. Quando dubitatur, perpetua ne sit impotentia, aut temporalis, Imperator Iustinianus statuit triennii intervallum in l. *In causis*, cod. *de repudiis*, quo coniuges dare rei uxoriæ operam valeant, ut suas experiantur vires, adhibitis etiam opportunis licitisque remediis. Hanc Imperatoris Iustiniani legem adprobavit Cælestinus III. in cap. *Laudabilem* v. de frigid. &c. & in foris ecclesiasticis tamquam

lex

lex canonica, inquit BENEDICTUS XIV. *Lib. VIII. de Synod. cap.* XXXVI. *num.* 2. allegatur, & ubique religiose custoditur. Quo intervallo elapso, si impotentia persistat, reputatur perpetua, & dirimens matrimonium. Plura disputari de hoc experimento solent, de medicorum peritia, & remediorum efficacitate. Verum, ut mea præfert opinio, si côniuges sint veri Christiani, & optimis moribus, bonoque iudicio præditi, ipsorum iudicium in hac caussa omnium gravissima, in qua de illorum æterna salute, pace, & tranquillitate agitur, medicorum, & extraneorum iudicio prævalere debet. Ipsis enim solis experimentum potentiæ, aut impotentiæ compertum est. Si passione, odio, inimicitia, tædio, & fastidio mutuo rem ipsam agant, & temporali, & æterno discrimini se committunt. Aliqui impotentes sunt respectu feminæ deformis, & ad pulchræ conspectum commoventur, aptique ad concubitum fiunt. Tum femina blanditiis, ornamentis licitis, honestisque amabilem se viro reddere tenetur, eumque ad se allicere. Si post triennium remedia hæc sint inepta & nulla, impotentia est perpetua, & matrimonium nullum: & quod dicitur de femina respectu viri, idem de viro respectu feminæ dicendum est.

XII. Quæst. VI. *Quid de impotentia accidentali dicendum est*? Resp. Impotentia accidentalis, proficiscens ex defectu ætatis, in pueris reddit nullum matrimonium iure ecclesiastico, quo illis prohibetur matrimonium ante annos pubertatis, ut dictum est, nisi malitia suppleat ætatem. Hoc tamen impedimentum non irritat matrimonium iure naturæ: quia impotentia non est perpetua, sed temporalis. Senectus non est impedimentum dirimens matrimonium, ut S. Thomas in *Suppl. quæst.* LVIII. *art.* I. *ad* 3. docet, inquiens: *Senes quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum; tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam. Et ideo conceditur eis matrimonium, secundum quod est in remedium; quamvis non competat eis, secundum quod est in officium naturæ*. Accedit usus Ecclesiæ, senum matrimonia adprobantis. Si tamen impotentes essent ad coeundum modo apto ad generationem, matrimonium nullum esset: quia impotentia esset perpetua, licet ex accidentali caussa manans. Moribundi rationis compotes valide contrahunt, quia illorum impotentia est temporalis. Spadones qui utroque testiculo destituti sunt, nequeunt valide contrahere: qui vero uno tantum testiculo carent, apti matrimonio sunt: qui ambos contusos habent, suntque eunuchi imperfecti, non possunt contrahere: quia reputantur inepti ad generationem ex seminis imperfectione.

XIII. Quæst. VII. *Quid dicendum de impotentia ex maleficio proveniente?* Resp. Fervet, dum hæc scribimus, controversia de arte magica: quam, ut meram chimæram, reiicere, atque inter nimium credulos, ridiculosque homines illos collocare qui eamdem defendunt, quidam minime dubitant. Verum isti non plus iu-

sto

ſto ſibi fidant, ſed audiant S. Thomam, qui in *Supplem. quæſt.* LVIII. *art.* 2. hæc ſcribit. *Quidam dixerunt, quod maleficium nihil aliud erat in mundo, niſi in æſtimatione hominum, qui effectus naturales, quorum cauſæ ſunt occultæ, maleficiis imputabant. Et hoc eſt contra auctoritatem Sanctorum, qui dicunt, quod dæmones habent poteſtatem ſupra corpora, & ſupra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur: unde per eos malefici aliqua ſigna facere poſſunt. Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis, ſive incredulitatis: quia non credunt eſſe dæmones, niſi in æſtimatione vulgi tantum, ut terrores, quos ſibi facit homo ex ſua æſtimatione, imputet dæmoni; & quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figuræ apparent in ſenſu tales, quales homo cogitat; & tunc creduntur dæmones videri. Sed hæc vera fides repudiat, per quam angelos de cælo cecidiſſe, & dæmones eſſe credimus, & ex ſubtilitate ſuæ naturæ multa poſſe quæ nos non poſſumus: & illi qui eos ad faciendum talia inducunt, malefici vocantur.*

Et ideo alii dixerunt, quod per maleficia præſtari poteſt impedimentum carnali copulæ. Sed nullum tale eſt perpetuum: unde non dirimit matrimonium contractum: & dicunt, iura eſſe revocata, quæ hoc dicebant. Sed hoc eſt contra experimentum, & contra nova iura, quæ cum antiquis concordant.

Et ideo diſtinguendum eſt. Quia impotentia coeundi ex maleficio aut eſt perpetua, & tunc matrimonium dirimit: aut non eſt perpetua, & tunc non dirimit. Et ad hoc experiendum eodem modo Eccleſia tempus triennii præfixit, ſicut & de frigiditate dictum eſt . . . Tamen hæc differentia eſt inter maleficium & frigiditatem: quia qui propter frigiditatem eſt impotens, ita eſt impotens ad unam, ſicut ad aliam: & ideo quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei ut coniungatur alteri: ſed ex maleficio homo poteſt eſſe impotens ad unam, & non ad aliam: & ideo quando iudicio Eccleſiæ matrimonium dirimitur, utrique datur licentia ut alteram copulam quærat. Legantur argumenta eiuſdem articuli, ubi ſophiſmata quæ hodie ut recentia obtruduntur, relata, & diluta occurrunt.

XIV. Maleficium iſtud, quo perturbantur connubia, eſt faſcinatio, qua, ne coire uxorati valeant, impediuntur. De hac faſcinatione inquit Ovidius *Lib. III. Amor. eleg.* VII.

Quis vetat & magicam nervos torpere per artem?

Quid facilius dæmoni, quam ut frigeſcant membra quæ generationi inſerviunt, efficere At, inquiunt, opus Dei fortius eſt opere diaboli. Reponit S. Thomas *loc. cit. ad* 2. quod *opus Dei poteſt opere diaboli impediri, divina permiſſione*. Quod reponunt, diaboli poteſtatem ad hæc maleficia peragenda penitus ſublatam eſſe poſt Chriſti adventum, purum putumque commentum eſt: unde conſequitur, neque energumenos amplius reperiri, neque exorciſmis opus eſſe. Verum hæc obiter, & dicis gratia.

XV. Si hæc maleficia orationibus, ieiuniis, pœnitentia, exorciſmis Eccleſiæ intra triennium auferri nequeant; tunc impotentia inde manans, perpetua iudica-

tur, & matrimonium irritum. Similiter perpetua censetur, si non posset nisi altero maleficio auferri. Numquam enim licet maleficium maleficio expellere; cum maleficium intrinsecus malum sit, non secus ac mendacium.

XVI. Impotentia superveniens matrimonio, ex quocumque capite proficiscatur, nullo modo dirimere matrimonium valet. Eiusmodi impotentes nequeunt conari ad concubitum, quando periculum sit effundendi extra vas semen, & experimento didicerint se revera ineptos esse ad copulam. Quod si aliquando contingat eos vas penetrare, & intra illud semen immittere, licet sæpius præter eorum animum aliter contingat, non sunt ab officio uxorio prohibendi.

XVII. Quæst. VIII. *Quid agendum, quando impotentia perpetua, & certa est, & quando de eadem dubitatur?* Resp. Si hæc impotentia ante matrimonium certo cognoscatur, neque admitti ad illud possunt, neque illi qui conscii sunt, se coniungere valent. Si contractum coniugium sit, qui conscius impotentiæ est, reclamare continuo debet, ut ab Ecclesia separentur. Sanchez cum aliis docet, posse, sublato scandalo, ipsos coniuges propria auctoritate se separare.

XVIII. Si dubitatur, an impotentia sit nec ne perpetua, an matrimonium sit consummatum, & sufficienti adhibita diligentia, dubium persistat, validum censendum matrimonium docent; & opponenti contra illud probationem incumbere. Si impotentia certa sit, dubitetur vero, num antecesserit, an supervenerit, Sanchez cum aliis in favorem matrimonii iudicandum docet. Salmanticenses *num.* 136. cum aliis sustinent iudicandum, impotentiam præcessisse, irritumque esse matrimonium. Si dubitetur, an perpetua fuerit impotentia, reclamentque coniuges, in iudicio iurare coniuges debent, se numquam potuisse coire; ut colligitur ex cap. *Laudabilem* de frigid. & malef. ubi etiam plura alia præscribuntur, nempe propinquorum testimonium, feminæ inspectio facienda a feminis honestis, & viri ab aliis moratis viris. Verum si plura de hoc cupis, lege Sanchez *Lib. VII.* At, ut supra indicavi, eiusmodi lites a coniugum conscientia plurimum pendent. Si animo divisi coniuges fuerint, & mutuo amore vacui, facile impotentiam evincent. Quare primum omnium illi quorum interest, coniugum animos expendere, monere, hortari, eorumque æternam salutem revocare ipsis in mentem debent. Si proiectæ conscientiæ fuerint, facillime se impotentes demonstrabunt, aut respective, aut absolute, prout magis arriserit.

§. XI.

De impedimentis clandestinitatis, & raptus.

I. Impedimentum clandestinitatis, situm in matrimonio occulto, absque Parochi, & testium præsentia contracto, iure ecclesiastico statutum est. De hoc impedimento supra dictum sufficienter fuit.

II.

II. De raptu, prout est luxuriæ species, sermo fuit *Tom. IV. in Decal.* In præsentia spectatur ut est impedimentum & impediens, & dirimens. Raptus dicitur impedimentum impediens, quando homo uxorem ex domo proprii mariti abducit. Raptus iste non modo impedit matrimonium cum femina rapta inire, sed & cum quacumque alia. Ad hoc impedimentum contrahendum non sufficit rapere sponsam de futuro, sed requiritur rapina uxoris sub potestate mariti constitutæ, & ipso repugnante. Si enim maritus consentiat, nullum oritur impedimentum. Si vero femina in raptum consentiat, repugnante viro, & raptor, & rapta impedimento ligantur. Quare, mortuo marito, uxor rapta nec cum raptore, nec cum alio inire matrimonium potest.

III. Raptus qui est impedimentum dirimens, definitur, quod sit *violenta feminæ abductio de loco ad locum matrimonii caussa*. Duplex violentia: physica una, qua per vim e domo sua femina trahitur; moralis altera, quæ minis excitat metum cadentem in virum constantem. Alterutra ad raptum requiritur. Si enim femina e domo parentum, ipsa consentiente, abducatur, etiamsi dolo & fraude decepta, non est raptus inducens impedimentum: quia tunc non raptus, sed fuga est; cum omnis vis, sive physica, sive moralis desit. Nec refert quod femina rapta sit virgo, aut corrupta, sive bonæ, sive malæ fidei. Dicitur *de loco in locum*; idest, de loco in quo est, ad locum in quo sit sub potestate raptoris, deduci debet. Quare si eam de cubiculo in cubiculum, ut eam cognoscat, deducat, non est raptus, ad quem requiritur violenta traductio a potestate paterna ad locum in quo sit sub potestate raptoris, etiamsi nullo modo ab eo cognoscatur: quia ad raptum non requiritur copula. Dicitur *matrimonii caussa*: quia si desit hæc intentio, & ob alium finem rapiatur, puta explendæ libidinis, non est proprie raptus. Pœnas constitutas adversus raptorem lege in Tridentino *sess.* XXIV. *cap.* VI. quas pœnas non incurrit raptor, si feminam consentientem abducat; immo tunc ducere eam potest, etiamsi in loco tuto illam non constituat: quamvis reparare iniuriam irrogatam parentibus, aut tutoribus teneatur. Quoniam Concilium spectat libertatem matrimonii, quæ adest, dum mulier consentiens abducitur. Idcirco non iubet Concilium ut, si per vim rapta sit, in domum paternam restituatur; sed ut in loco tuto collocetur, ut libere consentire, aut dissentire valeat. Duas pœnas incurrit raptor ante sententiam iudicis, inhabilitatem ad matrimonium, & excommunicationem. Ad alias pœnas ibidem constitutas incurrendas sententia iudicis requiritur.

IV. Pœnis a Tridentino constitutis subiacet raptor, etiamsi abducat feminam quam de futuro sibi desponsaverat. Quoniam etiam tunc cogi ad matrimonium invita potest. Similiter sicuti nullum est matrimonium inter raptorem & raptam, ita nulla sunt sponsalia. Præfatum decretum non extenditur contra feminas raptrices virorum, ut communiter Auctores docent.

CAPUT III.

De impedimentis impedientibus.

I. Duplex impedimentorum impedientium genus. Aliud absque delicto, aliud ex delicto proficiscitur. Prioris generis sunt quinque, quæ his versibus continentur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

II. Posterioris generis sunt septem, his aliis versibus contenta.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ prolis, mors presbyteralis,
Vel si pœnitcat solemniter, aut Monialem
Accipiat: probibent hæc coniugium sociandum.

III. *Ecclesiæ vetitum* significat prohibitionem Superioris, nempe Parochi, Episcopi, Pontificis, ne matrimonium celebretur tali tempore ob aliquam iustam caussam, puta ut deprehendatur aliquod impedimentum, ut evitetur tumultus &c. Transgressio huiusce prohibitionis absolute mortalis est.

IV. *Tempus feriatum* iuxta Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* X. est a I. Dominica Adventus inclusive ad Epiphaniam usque inclusive, & a die Cinerum inclusive ad octavam Paschatis usque inclusive. Hoc tamen tempore, ieiuniis, & precibus destinato, prohibentur solemnes nuptiæ. An privata matrimonia sine solemnitate contrahi his temporibus, nulla petita licentia ab Ordinario, possint, alii negant, alii adfirmant. Consuetudini propriæ diœcesis hærendum est.

V. *Catechismus*, seu fidei instructio inducit illud impedimentum quod contrahit ille qui pro infante respondet, dum solemnes cæremoniæ in Ecclesia supplentur, quando baptisma privatim, urgente necessitate, administratum fuit. Sicut enim patrini baptismi contrahunt impedimentum dirimens; ita catechismi patrini, qui pro infantibus, dum interrogantur, an credant, an renuntient diabolo, eiusque pompis &c. respondent quamdam cognationem spiritualem imperfectam, quæ dicitur impedimentum impediens, contrahunt. Sublatum per Tridentinum volunt plures impedimentum istud.

VI. *Sponsalia* etiam cum quacumque persona legitime contracta matrimonium cum alia impediunt. Verum de his supra *disp.* II. iam satis diximus.

VII. *Votum* simplex castitatis, non nubendi, suscipiendi Ordinis sacri, Religionis ingrediendæ est impedimentum matrimonium impediens: quia tale votum pugnat cum matrimonio. Idque verum habet, etiamsi votum sit conditionatum. Si votum sit castitatis, peccat nubendo; & numquam petere debitum potest ante dis-

dispensationem; reddere tamen valet, quia uxor ius habet ad petendum. Si votum sit non nubendi, peccat contrahendo; sed post contractum licite debitum petere, & reddere posse, aiunt Auctores: at, uxore mortua, a nuptiis abstinere tenetur. Si votum sit Religionis, implere votum astringitur ante consummationem. Si consummet, peccat, etiam dum reddit. Semel consummato, & reddere, & petere tunc illum posse aiunt: quia tunc votum, cum evaserit de re impossibili, suspensum haeret, donec uxor aut moriatur, aut adulteretur, aut consentiat, ut maritus Religionem profiteatur. Mulier licite contrahere nequit cum viro, aliquo ex his votis ligato.

VIII. *Incestus* est, cum vir copulam habet cum uxoris suae consanguineis, vel mulier cum viri sui consangnineo; & oritur impedimentum usque ad secundum gradum. Si copula habita sit cum sponsae de futuro consanguineis, Sanchez cum aliis docet restringi impedimentum usque ad primum gradum.

IX. De *raptu* uxoris impediente quodcumque matrimonium, dictum est *capit. anteced.*

X. *Uxoricidium* patratum non animo contrahendi, unde oritur impedimentum dirimens, sed ob iram, vindictam, aliamve caussam, impedit matrimonium cum quacumque persona, etiamsi uxor deprehensa in adulterio sit; ut constat ex cap. *Interfectores*, & cap. *Quicumque* XXXII. quaest. II.

XI. *Susceptio filiorum* parit impedimentum ratione cognationis spiritualis, quod tunc evenit, si coniux filios aut utriusque, aut alterius coniugis aut baptizet, aut ex sacro fonte, vel confirmatione suscipiat, animo negandi debitum coniugale; ut habetur cap. *De eo* III. quaest. I. Hoc impedimentum matrimonio privat in perpetuum. Si ex necessitate filius alterius coniugis baptizetur, nullum contrahitur impedimentum.

XII. *Mors presbyteralis* impedimentum inducit, quando quis occidit Presbyterum: quia, cum ex officio assistere matrimonio debeat, merito occisor Presbyteri matrimonio in perpetuum privatur. Ut tamen homicida iste hoc impedimentum incurrat, in foro externo convictus sit oportet; ut colligitur ex cap. *Qui Presbyterum* de poenit. & remiss. ut communiter Auctores docent.

XIII. *Poenitentia solemnis publica* inducit impedimentum, quamdiu illa durat, non quod ipsa crimen sit, sed quia in vindictam criminis patrati imponitur: cum nuptias celebrare, quae laetitiam secum afferunt, illos non deceat qui luctui & moestitiae operam dant; ut habetur cap. *Fin.* XXXIII. quaest. II.

XIV. *Coniugium cum Moniali* est ultimum impedimentum, quod tum contrahitur, quando quis virginem Deo devotam scienter sibi desponsare non dubitat: is in perpetuum matrimonio iure privatur, ob iniuriam irrogatam divino sponso Christo; ut statuitur cap. *His ergo* XXVII. quaest. I.

XV. Qui aliquo ex recensitis impedimentis ligatus matrimonium contrahit, non privatur iure debiti petendi, nisi in voto castitatis, & incestu; reddere tamen etiam his ligatus tenetur. In reliquis & petere potest, & reddere astringitur. Advertunt Auctores, exceptis interdicto, voto, & sponsalibus, cetera impedimenta obsolevisse. Praeterea in omnibus his impedimentis, praeterquam in voto castitatis, Religionis, & in sponsalibus, dispensare Episcopus valet. Et ad hoc quod attinet, consuetudini dioecesis haerendum est.

CAPUT IV.

De potestate dispensandi in recensitis impedimentis.

I. PLura de dispensationibus generatim acceptis dicta sunt *Tom. VI.* quae videri possunt. In praesentia ea tantum explicabimus quae ab impedimentis narratis solutionem spectant. Impedimenta iuris naturalis & divini nulli subiacent dispensationi; cuiusmodi sunt ligamen, impotentia perpetua, & consanguinitas in primo gradu lineae rectae, votum solemne approbatae Religionis, matrimonium ratum. Ab illis ergo impedimentis dispensare Ecclesia potest quae iure ecclesiastico constituta sunt: quoniam qui legem condidit, ab eadem eximere subditos valet.

II. Quaest. I. *Quis facultatem habet dispensandi ab impedimentis dirimentibus?* Resp. Animadvertunt Theologi, agitatam in Tridentino praesentem controversiam, nec fuisse decisam. Nullo quippe canone, aut lege aiunt reservatam esse soli Pontifici summo potestatem dispensandi in impedimentis dirimentibus, exclusis Episcopis. Consuetudo sola, & communis Ecclesiarum usus hanc facultatem summis Pontificibus asseruit. Galliarum Episcopos ab aliquibus impedimentis reipsa dispensare, narrant Theologi Galli, Turnelius, Habert, & ceteri, ex praedecessorum consuetudine. Verum ut ut res haec se habeat, communis est Theologorum sententia, usu & consuetudine accedente, solum Pontificem summum iure ordinario dispensare a praefatis impedimentis, exclusis Episcopis, & Legatis a latere.

III. Contendunt aliqui, Mendicantes privilegium habere, a Leone X. concessum Augustinianis, dispensandi cum his quis scienter, aut ignoranter contraxere cum impedimento affinitatis; dummodo notorium non sit, neque ad forum contentiosum deductum. Verum privilegium istud aut commentitium est, aut contrario usu abrogatum. Salmanticenses *cap.* XIV. *punct.* I. *num.* 5. referunt, Commissarium generalem Cruciatae ex delegatione pontificia dispensare posse ab impedimento affinitatis ex fornicatione orto respectu illorum qui bona fide ex parte unius, praemissis proclamationibus, in facie Ecclesiae contraxerunt, altera parte,

te, impedimenti ignara, monita. Facultatem quoque illum habere, ex Castropalao, & Coninch subdunt, constituendi prolem legitimam, etiam mala fide ab utrisque procreatam. Si ex parte unius bona fides adsit, iure communi proles evadit legitima. Apostolicum quoque Nuntium in sua ditione potestatem habere aiunt dispensandi ab impedimento publicae honestatis, & constituendi prolem legitimam, ante, & post illud susceptam ex tali matrimonio.

IV. Quaest. II. *An Episcopi, urgente necessitate, dispensare ab aliquo impedimento dirimente ante matrimonium contractum valeant?* Resp. Communis sententia adfirmat, dummodo necessitas sit urgens & gravis, & aditus ad Pontificem summum non pateat, & periculum infamiae, vel incontinentiae, vel alterius mali sit in mora. Finge contractum publice matrimonium, & impedimentum esse occultum, & coniuges absque gravi scandalo non posse separari, nec esse ad Pontificem facilem accessum. Tunc aiunt, si impedimentum tale sit, a quo dispensare Pontifex summus consuescat, posse quoque Episcopum. Quis enim dixerit, Pontifices summos hanc dispensandi facultatem reservare sibi voluisse cum tanto animarum periculo? Nulla expressa lex, nullus canon declarat, Episcopos non posse in sua dioecesi ea peragere in his casibus quae aeternae ovium saluti necessaria sunt. Ex sola consuetudine & usu Pontifices summi in eiusmodi impedimentis dispensant. Porro reservatio haec bonum commune Ecclesiae, & animarum salutem spectat. Ergo cessat, dum talis urget necessitas, quae impedit dispensationem a Pontifice peti, & aliunde concedi ab Episcopo potest. Quid quod in lege expressa lata a superiore dispensare inferior valet, necessitate urgente? Ergo multo magis, quando non adest expressa lex, quae adimat Episcopis talem facultatem. Quid quod numquam Pontifices summi reclamarunt contra Theologorum sententiam, hanc facultatem Episcopis in dictae necessitatis casu asserentem?

V. Quaest. III. *An Episcopi ante matrimonium contractum talem impertiri dispensationem possint?* Resp. Adfirmant Sanchez *Lib. II. disp.* xl. *num.* 7. Salas *disp.* xx. *sect.* 3. *de leg.* Basilius Pontius *Lib. IX. cap.* vi. *num.* 6. Bonacina *num.* 6. Diana *Part. VIII. tract.* iii. *resol.* 80. Castropalaus *num.* 9. Candidus, Dicastillus, Corneo; quos citant, & sequuntur Salmanticenses *tract.* ix. *cap.* xiv. *num.* 11. P. Viva *quaest.* vi. *art.* 1. *num.* 8. Igitur si mors immineret, & matrimonium necessarium foret ad prolem legitimam constituendam, ad evitandam feminae infamiam, aut alia gravia mala, scandala, absurda, & difficilis esset ad Pontificem summum recursus, poterit Episcopus dispensationem impertiri ad matrimonium contrahendum. Idem dicendum, si femina nobilis, inquiunt Salmanticenses (ego adderem, etiamsi non nobilis, sed honesta) parata ad nuptias, confiteretur se habuisse copulam cum consanguineo coniugis in primo, aut secundo gradu, & dilatio matrimonii inferret illi infamiam, aliudve grave malum, quin effugium

evadendi pateret. Idque eædem rationes quas mox adduxi, evincunt. Addunt Sanchez, Henriquez, Navarrus, Sylvester, posse Episcopum, urgente necessitate, in lege Pontificis, & Concilii dispensare, & in voto simplici castitatis reservato Papæ, quando magnum est incontinentiæ periculum. Ratio universalis est, quod lex quæque ecclesiastica ordinata sit in bonum commune Ecclesiæ, ad caritatem, rectamque Reipublicæ christianæ gubernationem. Concessa est enim a Christo Domino Ecclesiæ, & Pontificibus summis facultas legis condendæ in ædificationem, non in destructionem. Esset autem in destructionem contra caritatem, & contra suavem, inquit P. Viva *loc. cit.* Ecclesiæ gubernationem, velle Pontificem reservare sibi hanc dispensationem cum tanto animarum periculo.

VI. Duo extrema hac in materia, sicut & in ceteris, declinanda sunt: nempe & nimia dispensandi facilitas absque legitima caussa; & nimia severitas non dispensandi, & coarctandi Episcoporum auctoritatem, quæ natura sua ampla est, & solum in bonum Ecclesiæ a summis Pontificibus restricta.

VII. Quæst. IV. *Requiritur ne quod matrimonium contractum sit bona fide, ut Episcopus dispensare ab impedimento valeat?* Resp. Communis sententia docet, non requiri bonam fidem in utroque coniuge, sed sat esse quod in alterutro adsit: quia, stante bona fide in uno coniuge, matrimonium dicitur bona fide contractum; ut habetur cap. *Cum inhibitio*, de clandest. despons. Præterea æquitati repugnat ut ex culpa unius detrimentum subeat innocens. Dicastillus, Henriquez, & alii docent, posse Episcopum dispensare, etiamsi mala fides in utroque coniuge præcessisset. Quia licet ex propria culpa in tales se coniecerint angustias; non propterea denegandum illis est remedium necessarium, quando ex una parte imminent recensita pericula, & aditus ad Pontificem non pateat. Probabilior tamen opinio requirit bonam fidem saltem in uno coniugum: idque habetur in Tridentino *sess.* XXIV. *cap.* V. ubi dicitur, indignos esse dispensatione illos qui mala fide contrahentes, Ecclesiæ benignitate abutuntur. Ut vero dicatur mala fide contrahi, sat non est illos scire, se habuisse copulam cum consanguinea coniugis; sed requiritur ut sciant talem copulam inducere impedimentum: si enim scirent se cum consanguinea contrahere, ignorarent vero consanguinitatem, vel affinitatem parere impedimentum; tum bona fide contraherent, ut docent Bannez, Sanchez, Navarrus, Candidus, Aversa; quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 10.

VIII. Quæst. V. *A quibus impedimentis dispensare Episcopus valet extra necessitatis casus?* Resp. Bonacina, Henriquez, Sanchez, Castropalaus, & Salmanticenses *num.* 13. docent, Episcopos dispensare posse in impedimento superveniente matrimonio ob affinitatem, cognationem spiritualem, votum simplex castitatis, ut coniuges sibi invicem debitum petant, licet nulla sit necessitas urgens; idque con-

stare

ſtare aiunt ex legitima conſuetudine : & hoc etiam poſſe Vicarium Epiſcopi ex vi conceſſionis generalis ad omnes caſus epiſcopales.

IX. Quæſt. VI. *Regulares Mendicantes habent ne facultatem diſpenſandi ab aliquibus impedimentis ?* Reſp. Poſſe quoque Regulares vi ſuorum privilegiorum diſpenſare in impedimento ſuperveniente matrimonio ob copulam cum conſanguinea coniugis in primo vel ſecundo gradu, & ob votum ſimplex caſtitatis, ante matrimonium emiſſum, ut poſſint invicem non reddere modo, ſed etiam petere, docent Sanchez, Diana, Pontius, Caſtropalaus, Averſa, Rodriquez, Candidus, & alii ; quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* XIV. *punct.* I. *num.* 14. Hæc privilegia conceſſiſſe aiunt Iulium II. Martinum V. Benedictinis Monaſterii Valliſoleti, S. Pium V. vivæ vocis oraculo Minoribus. Aliud privilegium conceſſum Ieſuitis referunt Sanchez, & Palaus. Diſputant vero Auctores iſti, an, ut Mendicantes poſſint diſpenſare, debeant a ſuo Provinciali, vel Generali ſpecialem habere licentiam. Adfirmant illi, negant iſti. Salmanticenſes *num.* 16. docent, non requiri deputationem Provincialis, ſed ſufficere quod deputatio fiat a Superiore conventuali.

X. Hæc quæ de Regularibus circumferuntur privilegia in hac materia, & narrata interpretamenta mihi prorſus commentitia ſunt, & arbitraria. Mirum eſt quod in tam gravi negotio nemo unus referat eiuſmodi privilegia ; ſed aſſertiones dumtaxat Auctorum infarciunt, qui mutuo ſe citant, quin unus documenta citata reſcribat. Quare hæc omnia ut mera figmenta ego reiicio, donec authenticis documentis novi Doctores qui illa comminiſcuntur, legitima evincant. Neque ſuſpiceris, me gratis, & pro arbitrio talia privilegia reiicere. Illa enim ſæpius inquiſivi, Bullarium Pontificum, a quibus conceſſa aſſeruntur, revolvi etiam ab aliis curavi. Nihil penitus inventum eſt. Adhibenda ne fides quibuſdam Caſuiſtis, qui in more habent mutuo ſe ſe reſcribere : & ſimul atque unus aliquod commentum evulgat, plurimi in fide anteceſſorum illud citant : & poſtea ex multitudine Doctorum infertur : tot ne Doctores falſum narrabunt, illudent, decipient, & quidem in re graviſſima ? Hac ineptiſſima argutatione plures reipſa decipiuntur. Si ſcire cupis, vera ne an falſa ſint eiuſmodi privilegia, conſule Bullarium. Et ne actum agam, lege quæ ſcripſi *Tom. III. in Decal. diſſ.* III. *cap.* XI. ubi mera figmenta oſtendi eſſe privilegia quæ citati Auctores allegare ſolent in Regularium favorem ad diſpenſandum in votis.

CAPUT V.

De cauſſis pro valida, & licita diſpenſatione a recenſitis impedimentis.

I. PLura dixi de diſpenſationis iuſtæ cauſſis tum in Diſciplina Apoſtolico-monaſtica *diſſ.* IV. *cap.* III. tum *Tom. III. diſſ.* III. *cap.* XIII. & fuſius *Tom. VI.* Pau-

Pauca hic nunc delibabo. Antiquis temporibus, inquit Christianus Lupus *Tom. III. in notis ad can.* XI. *Concilii Rhemensis*, raro Ecclesiam dispensasse. Narrat, Gregorium VI. Gallicanos Episcopos, regnumque ipsum interdicto ecclesiastico ligasse propter matrimonium quod Rex Robertus contraxerat cum Berta commatre sua, cuius filium susceperat de sacro fonte. Adeo difficilis & perrarus tunc erat dispensationum usus etiam in impedimentis non adeo gravis momenti, ut Rex ipse obtinere dispensationem non potuerit. Alia similia exempla ibidem profert.

II. Concilium Tridentinum *sess.* XXV. *cap.* XVIII. *de ref.* hæc habet. *Sicut expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens iustaque ratio, & maior quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

III. Quæst. I. *Peccent ne Superiores dispensantes sine caussa, & an sit valida eiusmodi dispensatio?* Resp. Convenit penes omnes, peccare tum concedentes, tum petentes dispensationem absque caussa. Disputant, sit ne mortale, an veniale eiusmodi peccatum. Doctor eximius P. Suarez *Lib. VI. de leg. cap.* XVIII. *num.* 17. cum aliis docet esse mortale. Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* XIV. *punct.* 2. *num.* 17. cum Sanchez, Rodriguez, Viva, & aliis defendunt esse veniale. Prior sententia vera est, posterior falsa. Dispensationem sine caussa *crudelem dissipationem* vocat S. Bernardus. Quis non videt, leges in bonum commune latas pro arbitrio pessumdare peccatum esse mortiferum? Materiæ parvitas excusare a gravi culpa interdum potest.

IV. Ad valorem dispensationis quod attinet, communiter Theologi asserunt, inferioris dispensationem in lege superioris absque iusta caussa nullam esse. Heinc inferunt, Episcopum invalide dispensare in lege pontificia, puta in lege ieiunii, in votis &c. iusta caussa sublata: similiter Papam invalide dispensare in voto, in iuramento, & in quacumque lege divina, aut naturali absque legitima caussa. Quamquam, si vere loqui volumus, in his legibus Papa non dispensat; sed solum interpretatur, ut supremus œconomus & custos legum, in hoc aut illo casu legem divinam non obligare.

V. Communiter vero docent recentiores, legislatorem in lege a se lata valide dispensare posse absque iusta caussa: quia, inquiunt, in propria caussa legislator operatur tamquam dominus. Ergo sicut prodigus, inquit P. Viva *quæst.* VI. *art.* 2. *num.* 2. vali-

valide transfert suorum bonorum dominium, tametsi prodigendo peccet; ita legislator valide in propria lege dispensat, quamvis sine iusta caussa dispensando delinquat. Subdit P. Viva cum P. Suarez *Lib. VI. de leg. cap.* XIX. quod si legislator secum dispenset in propria lege absque legitima caussa, invalida sit dispensatio; quamvis in illa ipsa lege valide dispenset cum subditis. Quaenam discriminis ratio? Manifesta est, inquiunt. Quoniam superior observantiae legis suae non subiicitur vi suae legis; cum nemo imperare sibi valeat: sed obstringitur vi legis naturalis, quatenus superior debet se conformare communitati. Ab hac autem lege naturali nequit sine iusta caussa se dispensare. Ergo dum se observationi legis suae absque iusta caussa subducit, invalida exemptio est. Contra subditi immediate vi legis superiori obligantur. Ergo valide superior eos, legitima etiam caussa sublata, ab observantia legis suae eximit.

VI. Haec recentiorum doctrina mihi non arridet, & distinctio dispensationis quam legislator respectu sui, & subditorum exercet, arbitraria & commentitia mihi videtur. Lex quaeque in bonum commune lata est. Lege naturali & divina legislator obstringitur hoc bonum commune promovere, non modo respectu sui, verum etiam respectu subditorum. Hoc discrimen est legislatores inter & subditos, ut *loc. cit.* ex S. Thoma animadverti, quod illi *directive*, isti *coactive* subduntur legi. Ergo qua ratione negant recentiores isti invalide secum, eadem ratione negare debent invalide cum subditis legislatorem dispensare in lege propria absque iusta caussa.

VII. Concilium Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* V. *de ref.* haec statuit. *In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro; idque ex caussa, & gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam caussam.* Cedo. An non obstringitur Papa lege naturali & divina ut Ecclesiae supremum caput, & legislator, hanc, & alias omnes ab Ecclesia, & a seipso, ut Superiore supremo, latas custodire, promovere, & conservare? Quis inficias iverit? Ergo, sublata iusta caussa, irrite dispensat: quia dispensat contra legem naturalem & divinam, qua obstringitur promovere legum observationem.

VIII. Quaest. II. *Quaenam sint caussae iustae dispensandi in impedimentis matrimonii?* Resp. Plures assignant recentiores caussas. 1. est bonum pacis, ablatio litium, discordiarum, scandalorum, rixarum. 2. Si in oppido in quo mulier degit, commode non inveniat coniugem parem cui nubat: quia non tenetur aut propriam patriam relinquere, aut impari nubere. 3. Defectus dotis, dum mulier congruam invenire dotem nequit, qua iuxta sui status conditionem possit in matrimonium coniungi; inveniat autem consanguineum, qui absque dote illam recipiat. Quod verum est, inquiunt, etiamsi parentes, fratresve divites habeat, qui nolint, aut nimis

mis differant dotem tradere. 4. Conservatio divitiarum in eadem familia & successionis, quando peritura esset, nisi coniugium fieret inter consanguineos. 5. Instauratio matrimonii bona fide contracti; immo etiam si mala fides adfuerit ex utraque parte, si matrimonium sit consummatum, & scandalum inferret separatio, aut feminæ infamia immineret. 6. Postulatio magnorum Principum, quibuscum nonnisi in secundo gradu consanguinitatis dispensandum, Tridentinum ait. Nomine magnorum Principum Reges intelligunt, qui absolutum habeant dominium. Neque acceptationem personarum Ecclesia exercet, dum facilius cum his dispensat: quia convenit Ecclesiæ eiusmodi magnos Principes habere benevolos. 7. Excellentia meritorum erga Ecclesiam, vel petentis, vel eius pro quo petitur. 8. Subministratio pecuniæ in subsidium Ecclesiæ.

IX. Quæst. III. *Sunt ne legitimæ omnes recensitæ caussæ?* Resp. Iudicium istud illis quorum interest, remitto. Mihi profecto omnes non probantur. Ultima præsertim mihi displicet. Quid? Ob pecuniam relaxare Ecclesiam leges suas decet, vel expedit? Reponit P. Viva quæst. VI. art. 2. num. 4. *Notat tamen Sanchez, quod petens sine causa dispensationes matrimoniales exhibendo copiosam eleemosynam non peccet, sicuti nec qui sine causa iis petitis utitur. Ratio est, quia quamvis sine causa petantur, non conceduntur tamen sine causa.* Nonne egregia & robusta ratio? Utique non conceduntur sine caussa, quia conceduntur *propter pecuniam*. Et istæ pecuniariæ dispensationes licitæ erunt? Quæ non mussitabunt Novatores, talia dum legunt? Tridentinum tria statuit, nempe dispensationes *1. raro, 2. ex causa, 3. gratis* concedendas esse: & benigni recentiores non pauci conceptis verbis oppositum docent, pro caussa obtrudentes, *ne dentur gratis*, sed pro copiosa pecuniæ subministratione. Numquid legum relaxatio fodina est, unde haurire pecunias Superiores debeant?

X. Quæst. IV. *An cessante caussa movente ad dispensationem, hæc corruat?* Resp. Omnes docent, necessum esse caussam extare, dum dispensatio conceditur. Disputant vero, num si concessa dispensatione, antequam perficiatur matrimonium, cesset caussa finalis, seu principaliter movens, cesset ipsa dispensatio. Negant Salmanticenses *num. 29.* cum pluribus aliis, quos citant. Quoniam, inquiunt, gratia dispensationis completur continuo ac conceditur; & aufertur vinculum impedimenti: ergo si tunc vera extat caussa, dispensatio est valida, & impedimentum aufertur. Porro, ablato semel per veram dispensationem impedimento, hoc amplius non reviviscit; quemadmodum lex, semel ob veram caussam abrogata, non resurgit, licet caussa cesset. Accedit quod dispensatio est absoluta, & non conditionata: ergo, existente tempore expeditionis vera caussa, dispensatio suum obtinet effectum.

XI. Oppositam sententiam docent Sanchez, Dicastillus, & alii, obiicientes: si quis dispensationem obtineat comedendi carnes ob debilitatem, & fiat robustus, cessat

cessat dispensatio: ergo idem in casu præsenti. Negant consequentiam. Quia quando datur dispensatio ab iis quæ habent tractum, ut dicitur, successivum, ut in ieiunio, carnium comestione, & similibus, quasi multiplex est; & tamdiu durat, quamdiu caussa persistit. Impedimentum autem individuum est, & semel ablatum non revivifcit: ideo dispar ratio. Quare prior sententia est probabilior.

XII. Quæst. V. *Quid sit dispensatio subreptitia?* Resp. Dispensatio subreptitia ea dicitur quæ ex errore, seu ob falsitatem expressam, aut veritatem occultatam conceditur. Dispensationes, seu rescripta pontificia, aliorumque Principum duplicis generis sunt. Alia *iustitiæ*, quæ ad lites dirimendas impertiri solent. Alia *gratiæ*, quibus beneficia Ecclesiæ impertiuntur. Rescripta iustitiæ per subreptionem obtenta, ipso iure non sunt irrita, nisi per exceptionem elidantur: quia his rescriptis non resolvuntur lites, sed modus præscribitur quo iudex decidere litem possit: & contra hæc rescripta pars opponit ad detegendum errorem. Rescripta gratiæ subreptitia, aut obreptitia ipso facto nulla sunt, & irrita.

XIII. Caussa concedendæ dispensationis duplex: alia finalis, sine qua rescriptum nullo modo conceditur, aut nonnisi limitationibus, & conditionibus coarctatum; alia impulsiva, quæ allicit quidem Superiorem ad facilius impertiendam gratiam, illa tamen sublata, nihilominus absolute eamdem concederet.

XIV. Quæst. VI. *Quæ veritatis occultatio, & falsitatis expositio reddat dispensationem subreptitiam?* Resp. Quælibet omissio veritatis, quæ iure, stilo, aut consuetudine exprimi debet, aut allegatio falsitatis, quæ supprimi iure deberet, aut pertineat ad caussam finalem, rescriptum subreptitium reddit; secus, si error attineat ad caussam impulsivam tantum, & allicientem. Ratio seipsa patet. Nam quando ius, aut consuetudo, aut stilus aliquid exprimendum iubet, illud requirit tamquam formam, seu caussam præscriptam, a qua gratia concedenda pendet. Ergo hac sublata rescriptum nullum est. Similiter dispensatio pendet a caussa finali movente: qua cessante, cessat gratiæ concessio. Tandem si error pertineat solum ad caussam impulsivam, seu allicientem, tunc rescriptum valet: quia sine hac caussa concederetur. Exemplum communiter Auctores subiiciunt eleemosynæ factæ pauperi improbo. Paupertas est caussa finalis, quæ movet divitem ad errogandam stipem; improbitas, aut probitas sunt caussæ allicientes, vel retardantes eleemosynam. Si paupertas deficeret, restituenda eleemosyna esset ex defectu caussæ finalis: si hæc adsit, licet pauper sit improbus, valida tamen est eleemosynæ traditio.

XV. Quando in dispensationis petitione plures caussæ exponuntur, si nulla ex se sufficiens sit, subreptitia est dispensatio: nec sat est ut ex omnibus partim veris, partim falsis una confletur caussa sufficiens, si quælibet ex se insufficiens sit. Quando vero quælibet seorsim sufficiens sit, licet aliqua falsa foret, non propterea subreptitium rescriptum reputatur. Quando dubitatio occurrit, an causa falso exposita,

sita, sit tantum impellens & alliciens, an finalis & movens, atque adeo an dispensatio sit valida; Salmanticenses *num.* 37. cum Sanchez, Palao, & aliis validam præsumendam asserunt: quia, inquiunt, semper præsumptio stare in favorem actus debet. Sed hanc opinionem ut falsam reiicio. Impedimentum enim certum est, & dispensatio dubia. Dubium autem elidere certum nequit.

XVI. Disputant Auctores, an necesse sit ut ille ipse qui indiget dispensatione, illam petat. Et communiter negant, sed sat esse ut pater, aut consanguineus, eo inscio pro quo petitur, dispensationem impetret: non prodest tamen dispensatio, nisi ab illo qui ea indiget, acceptetur. Addunt, si impedimentum idem utrumque coniugem afficiat, sat esse petere pro uno. Si vero ambo habeant duo impedimenta, quorum unum non pendet ab altero, ut si uterque votum castitatis emisisset; tum uterque petere dispensationem debet. Si occultatio veri, aut expressio falsi sit dumtaxat circa partem petitionis, si dispensatio est dividua, valet pro ea parte quæ est vera; & irrita est pro parte quæ est falsa. Quis ligatus castitatis voto petit dispensationem, & quia gravi tentatione pulsatur, & ut nubat consanguineæ, quæ nequit alierum reperire maritum. Si prima caussa vera sit, liber a voto manet, & ducere uxorem potest; si altera caussa falsa sit, nequit nubere consanguineæ. Si mala fide processit, tota dispensatio nulla est.

XVII. Quæst. VII. *Quando petitur dispensatio inter consanguineos, vel affines, exprimenda ne est copula incestuosa inter eos habita?* Resp. Disputant in utramque partem super hac quæstione Auctores. Pontius, Henriquez, Hurtado, Perez, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 40. quibus accedit P. Viva *quæst.* VI. *art.* 3. *num.* 8. negantem opinionem defendunt: quia neque incestus indiget dispensatione, cum non sit impedimentum; neque ius, aut stilus præscribit ut hæc copula manifestetur.

XVIII. Contra Sanchez, Diana, Castropalaus, Laymanus, Coninch, Filliucius, & alii defendunt, manifestandam esse; & ita declarasse Congregationem Cardinalium testantur; idque ex stilo curiæ haberi. Deinde manifestatio istius copulæ incestuosæ difficiliorem reddere videtur dispensationis assecutionem. Quando enim copula hæc manifestatur, aut maior pecuniæ summa imponitur, aut severior pœnitentia. Respondent prioris sententiæ patroni, stilum Curiæ non obligare extra Curiam, nisi aliquo pontificio decreto confirmatus sit. Alii respondent, Congregationem Cardinalium declarasse exprimendam esse copulam ut quid securius & tutius, non ut quid probabilius. Sed hæc mera figmenta probabilistica sunt, atque adeo reiicienda: quare posterior sententia probabilior est.

XIX. Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* XIV. *punct.* 3. *num.* 41. „ Ex quo inferunt fe„ re omnes Doctores nostræ sententiæ, & inferri ex illa testantur Sanchez *Lib. VIII.* „ *disp.* XXV. a *num.* 12. & Palaus loco proxime citato, quod si talis dispensatio re„ mit-

„ mittatur Episcopo, & ille, antequam expediat eam, interroget contrahentes, an „ copula inter eos incestuosa sit habita; *possunt ipsi negare*, *etiamsi præstito iura-* „ *mento interroget*: quia talis interrogatio est superflua, & iuridice in tali re non „ interrogat: & sic non tenentur iuxta illam respondere, sed asserere non fuisse in- „ ter eos copulam; & ne veritati contraveniant, in mente retinere possunt, *ne* „ *tibi dicamus*. Immo etiamsi in rescripto Pontificis veniat illa clausula: *Nisi co-* „ *pula inter eos fuerit habita*: quia intelligitur de publica, non de secreta. “

XX. Hæc opinandi ratio tribunal erigit supra Episcopos, & Pontifices summos vel in ipsis sacramentorum caussis. Episcopi, ac Pontifices iubent, & sacratissimo iureiurando adigunt ut copula manifestetur: denuntiant se dispensationem, ad valorem sacramenti necessariam, nolle concedere, nisi hæc copula manifestetur. Et citati Doctores nostræ sententiæ, inquiunt Salmanticenses, propugnant te posse Episcopo ex tribunali interroganti negare talis copulæ factum, & hanc negationem iuramento confirmare. Eccur? Quia iuridice non interrogat. Quis definivit Episcopum iuridice non interrogare? Doctores citati pro nostra sententia? At alii Doctores adfirmant Episcopum iuridice interrogare. *Et ideo utraque sententia*, inquiunt Salmanticenses, *est satis probabilis*. Ergo ipsorum Doctorum ore satis probabile est hunc iuratorem esse periurum, & quidem in publico tribunali, & in caussa sacramentaria. En in quæ monstrosa laxitatis extrema coniicit nova opinandi ratio, a simplicitate evangelica aliena. Nec diutius immorandum est in refellendo commento sane horridulo.

XXI. Quid, si copula inter consanguineos habita, eo animo patrata sit ex parte utriusque, ut facilius obtineatur dispensatio? Respondent præfati Doctores, manifestandam esse, si copula, & infamia inde manans producatur ut caussa princeps ad dispensationem obtinendam. Duo tamen addunt. Primum, si intentio hæc fuit sola mente concepta, non est manifestanda. Alterum, si copula non allegetur ut caussa principalis, sed sint aliæ caussæ sufficientes pro impertienda dispensatione; tunc & copulam, & malam fidem reticeri posse adfirmant. Sed hæc omnia arbitraria & vana sunt, quæ seipsis evanescunt.

XXII. Quæst. VIII. *An dispensatio sit subreptitia, quando non manifestantur omnia impedimenta?* Resp. Convenit penes omnes subreptitiam esse dispensationem, nisi manifestentur omnia impedimenta quæ obsunt matrimonio, & quibus ligantur contrahentes. Nec sat est declarare præcipuum. Quare si contrahentes habeant impedimenta affinitatis, consanguinitatis, criminis, adulterii cum promissione, voti &c. omnia, quibus ligantur, patefacienda sunt. In impedimento consanguinitatis, & affinitatis exprimi debent gradus lineæ rectæ, vel transversæ. Quo enim propinquiores sunt gradus, eo difficilior est dispensatio. Si ex ignorantia exprimatur secundus loco tertii, dispensatio obtenta valet: quia tertius continetur in secundo; & si dis-

dispensatio pro secundo gradu data est, eo magis pro tertio. Quando autem gradus sunt inæquales in linea transversa, ut si unus sponsorum in tertio, alter in quarto distet a stipite, disputatur, an satis sit ut remotior manifestetur. Si unus sit in primo, alter in secundo gradu, dubio procul exprimendus est primus; ut S. Pius V. in suo motu proprio, cuius initium est *Sanctissimus*, dato an. 1566. declaravit. In reliquis autem gradibus, ut dictum est supra, tot gradibus duo distant inter se, quot remotior distat a stipite. Ambo tamen gradus in dispensatione obtinenda declarari solent.

XXIII. Quæst. IX. *Si quis super eodem impedimento bis dispensationem obtineat, tenetur ne manifestare priorem?* Resp. Titius obtinuit dispensationem, ut contraheret cum Nævia consanguinea sua: hac mortua, contrahere vult cum Berta altera consanguinea. Respondent communiter, non esse necessariam prioris dispensationis mentionem, quando impedimentum est eiusdem rationis, non ortum ex crimine, sed ex consanguinitate, vel affinitate; vel sit diversæ rationis, ut si prius voti dispensationem obtinuit, & postea petat dispensationem ab impedimento consanguinitatis: quia talis manifestatio non reddit dispensationem difficiliorem. Contra si impedimentum ortum ex crimine sit aut uxoricidii, aut adulterii cum sponsione matrimonii, tum si secunda dispensatio obtinenda sit, prioris mentio facienda est; quod ex repetito scelere difficilior reddatur dispensatio secunda. Si quis vero dispensationem quam alicuius impedimenti petiit, non obtinuerit, haud requiritur ut, si novam impetrare studeat sive ab eodem, sive ab altero Pontifice, prioris mentionem faciat; ut docent Sanchez, Suarez, Pontius, Palaus, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 48. Qui vero plura habet impedimenta eiusdem rationis; ut si quis velit ducere Bertam ex duplici capite consanguineam; vel quacum duplicem habet affinitatem, quia cum duabus eiusdem sororibus est fornicatus; vel duplicem cognationem spiritualem, quia duos illius filios ex sacro lavacro suscepit, vel unum ex sacro fonte, alterum ex confirmatione; aliqui contendunt sat esse unum exprimere impedimentum in gradu propinquiori. Sed probabilior & vera sententia docet, exprimendam esse consanguinitatem, affinitatem, vel cognationem duplicatam, ex diverso capite proficiscentem. Disputant quoque, num qui pluribus impedimentis ligatus est, debeat omnia simul exponere; an vero sufficiat ut unum in una, aliud in altera petitione exponat, nulla facta in petitione dispensationis unius mentione alterius. Probabilior sententia docet, debere omnia simul exponi; idque ex Curiæ praxi, & consuetudine. Impedimentum enim unum cum altero coniunctum difficiliorem reddit dispensationem.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE OBLIGATIONE, ET PECCATIS SPONSORUM, ET CONIUGUM.

CAPUT I.

De fine sponsalium, obligatione, & peccatis sponsorum,

I. QUæst. I. *Quis sit sponsalium finis*? Resp. Ideo ab Ecclesia instituta sponsalia sunt, ut fideles ad magnum matrimonii sacramentum virtutibus, & sanctimonia ornati accedant. Sunt enim ad hoc sacramentum sponsalia, quod catechumenatus ad baptismum, tonsura clericalis ad Ordines, novitiatus Religiosorum ad solemnem monasticam professionem; ut in *Supplem. quæst.* xliii. *art.* 1. *ad* 6. docet Angelicus, inquiens: *A prima sponsione dicuntur sponsalia proprie, quæ sunt quædam sacramentalia, sicut exorcismus baptismi*. Præcipue ad hæc tria sacramenta rite suscipienda Ecclesia virtutum exercitio disponendos præparandosque fideles statuit: quia in horum susceptione novum vitæ genus amplectuntur, novumque statum profitentur. Quomodo autem novi status onera, officia, munia, ut decet, & expedit tum familiis, tum Reipublicæ, nedum privatæ felicitati, sustinebunt, nisi optime morati, imbuti, probatique ad illum accedant? Quemadmodum igitur qui Religionem monasticam professuri sunt, sub experrecti magistri cura & vigilantia constituuntur candidati, ut quæ profiteri debent, apprime perdiscant, ita sponsi sub proprii Parochi magisterio tyrocinium status coniugalis exercere debent, ut ad tantum sacramentum celebrandum sese præparent, atque ad ea quæ heinc consequuntur munera sustinenda bene affecti disponantur.

II. Quæst. II. *Quæ sint Parochorum munia in sponsorum instructione?* Resp. Primum omnium instruere iuvenes, & puellas Parochus debet ne sponsalia tumultuarie & repente contrahant, neque in tabernis, locisve profanis, non post compotationes, ludicra spectacula, choreas; sed præmittant serias considerationes, & coram testibus, præsertim parentibus, singulari pietatis affectu præparati ad ritum hunc sacramentalem celebrandum accedant. Sponsorum in christiana religione peritiam Parochus exploret, utrum ea calleant quæ ut Christiani ignorare sine peccato nequeunt. Præter vero ea quæ Christianos scire convenit, in iis erudiantur oportet quæ statum coniugalem spectant. Monendi graviter sunt ne sub eodem tecto ha-

bitent, ne mutuus & flagrans amor ex nimia propinquitate & familiaritate erumpat in flammas impuras.

III. Eos instruat ex antiqua Ecclesiæ consuetudine sponsalia, & matrimonia celebrari consuevisse per fidelium preces, & Ecclesiæ benedictionem, ut molestam carnis tribulationem, quæ sociare matrimonia solet, perferre christiana fortitudine maritati queant. Tertullianus *Lib. II. ad uxor. cap.* VIII. hæc docet. *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet? Nam nec in terris filii sine consensu patrum recte & iure nubunt.*

IV. Ut veram Christianorum matrimonii imaginem imprimere sponsorum animis Parochus valeat, illis primum serio meditandum proponat increatæ Sapientiæ ordinem, quo Deus propagare animas illas voluit quæ damnatorum spirituum sedes occupaturæ sunt. Propagationem hanc carnalem simul & spiritualem, seu divina gratia fecundatam esse voluit. Heinc est quod personæ huic generationi destinatæ primum sponsalia, quæ sunt quidam sacramentalis ritus, inquit S. Thomas, contrahunt, & peracto christianarum virtutum tyrocinio, magnum matrimonii sacramentum suscipiunt, quo illorum animæ Redemptoris gratia sanctificantur ad sobolem procreandam. Felicia, ait Tertullianus, matrimonia quæ Ecclesia conciliat, seu quæ fiunt in spiritu Ecclesiæ, & propter fines a Deo præstitutos. Subdit Tertullianus, matrimonia oblatione confirmari, cum nempe ab Ecclesiæ Præpositis celebrata inter Missarum solemnia, & communes fidelium preces cælesti benedictione signantur sponsi. Quemadmodum ad cetera sacramenta rite suscipienda præcedunt sacramentalia, ut aqua lustralis, eulogiæ, & interiores animi virtutes; sic sponsalia sunt, ut ex S. Thoma, & Tertulliano vidimus, quædam sacramentalia, quibus matrimonii candidati obsignati in eis præsertim exercere se virtutibus debent quæ ad fœdus coniugale integrum intaminatumque custodiendum ducunt. Et eo maior ac diligentior sit sponsorum præparatio oportet, quo non sibi tantum, sed aliis quoque inservire sponsi debent. Sunt quippe coniugati personæ publicæ, ad propagandam conservandamque christianam Rempublicam, Dei populum multiplicandum, & paradisum implendum electæ. Huc & sponsalia, & matrimonia divina institutione spectant.

V. Virgo, contractis sponsalibus, velanda est, inquit Tertullianus, idest hominum, & præsertim sponsi oculis, colloquiis, & familiaritati se subducere debet, ne virginitatis flos sordes contrahat, & reciproca libidine divinam maledictionem loco cælestis benedictionis sibi concilient. Caste, modeste, & pudice se gerant desponsatæ, ut amorem, non carnalem, sed divinum in sponsis suis accendant. *Desponsatæ quidem habent exemplum* (inquit Tertullianus Lib. de veland. virg. cap. XI.) *Rebeccæ, quæ, cum ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cogno-*

gnovit esse quem de longinquo prospexerat, non sustinuit dexteræ colluctationem, nec osculi congressionem, nec salutationis communicationem; sed confessa, quod senserat, idest spiritu nuptam, negavit virginem velata ibidem. O mulierem iam de Christi disciplina! Ostendit enim etiam nuptias de aspectu, & animo fieri, quemadmodum stuprum. Quid quod non Rebeccæ modo, verum etiam ethnicarum sponsarum exemplum christianis sponsis opponit Tertullianus. Exterioris apparatus vanitatem, & nuptarum mulierum pompas carpit. Exprobrat christianis sponsis vel ipsa naturæ iura proscindere, & pudorem ipsum a natura insitum, quemque ethnicæ sponsæ custodiunt, a Christianis dedecorari. *At quin etiam* (pergit ibi Tertullianus) *apud Ethnicos velatæ ad virum ducuntur . . . . A nobis nec naturalia servantur, quasi alius sit Deus naturæ quam noster*. Et rursus *cap.* XII. clamat contra sponsarum exquisitiorem cultum, superstitiosumque ornatum. *Vertunt capillum, & acu lasciviore comam sibi inserunt, crinibus a fronte divisis apertam professæ mulieritatem. Iam & consilium formæ a speculo petunt, & faciem morosiore lavacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinsecus iactant, calceum stipant multiformem . . . Quid singula persequor? Sola autem manifesta paratura totam circumferunt mulieritatem.* Secessionem ab hominum consortio desponsatis virginibus præscribit *ibidem cap.* XIV. & XV. Tertullianus. Profligati pudoris monstrosos abortus exponit, & mala quæ studium placendi hominibus parit, sigillatim describit. *Ipsa concupiscentia non latendi non est pudica: patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi utique viris. Quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, & multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus, & oscula assidua concalescit. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic discitur aliter iam placere desiderare. Sed enim vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet quam semetipsam: etiam feminarum oculos pati non vult: alios ipsa oculos habet. Confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus iacula scandalorum, adversus suspiciones, & susurros, & æmulationem, ipsum quoque livorem.*

VI. Hæc iam obsolevisse, & contrario usu antiquata, reponent mollioris Ethices patroni nonnulli, qui videntes oppositam corruptelam usquequaque grassantem haud posse coerceri intra præscripta & a natura, & a Scripturis pudoris, & christianæ modestiæ confinia; Scripturarum testimonia, & Patrum doctrinam, immo ipsa naturæ iura aptanda & accommodanda quoquomodo hodiernis moribus, probabiliter opinantur. Sed veritatis zelo succensus Tertullianus *cap.* XVI. hoc pacto detonat. *In his consistit defensio nostræ opinionis secundum Scripturam, secundum naturam, secundum disciplinam. Scriptura legem condit, natura contestatur,*

tur, disciplina exigit. Cui ex his consuetudo opinionis prodest, vel qui diversæ sententiæ color est? Dei est Scriptura, Dei est natura, Dei est disciplina. Quidquid contrarium est istis, Dei non est. Si Scriptura incerta est, natura manifesta est. Et de eius testimonio Scriptura incerta non potest esse. Si de natura dubitatur, disciplina, quid Deo magis ratum sit, ostendit. Nihil est illi carius humilitate, nihil acceptius modestia, nihil perosius gloria, & studio hominibus placendi. Illud itaque sit tibi & Scriptura, & natura, & disciplina, quod ratum Deo inveneris, sicut iuberis omnia examinare, & meliora quæque sectari.

VII. Hæc, quantumvis paullulum prolixiora, rescribere ex Tertulliano volui, (& ne similia ex Patribus ferme omnibus transcribam, solius brevitatis studium impedit) ut veram & antiquam sponsarum & sponsorum disciplinam inculcandam hodiernis sponsis præsentem habeant Parochi. Altius isti clamare debent. Si disciplina, si mores mutati sunt, numquid Scripturæ sanctæ, numquid divinæ leges mutatæ sunt? Numquid mutata natura est? numquid minus ad malum prona? numquid minus libidinosa, minus fragilis, minus lubrica? Immo ardentior, impudentior, luxuriosior facta est usu & consuetudine, inquis. Fortioribus ergo repagulis coercenda, efficacioribus remediis sananda, acriori studio custodienda. Hæc, inquam, inculcare Parochi, hæc exaggerare debent propter electos, & ut reprobi nullam habeant excusationem. Ex Patribus, ex Ritualibus, & ex ipsis Scripturis sanctis documenta tradenda sponsis hauriant.

VIII. Imbuant præterea Parochi sponsos propriæ curæ subiectos, doceantque gravissima onera quæ statum coniugalem comitantur, amorem illum constantem & reciprocum, quo se, sive infirmos, sive sanos, prosequi, patientiam robustam, qua mutuas infirmitates, defectus, excessus tolerare debent. Onus gravissimum educandæ sobolis, regendæ familiæ, & omnia in Dei gloriam dirigendi sedulo explicabunt. Moneant gravioribus verbis ut si aliqua peccandi consuetudine alteruter irretitus sit, statim eradicare illam studeant, ne aut absolutio illis tum denegetur, cum celebrandæ sunt nuptiæ, aut sacrilege sacramentum matrimonii perficiant; & novi status fundamenta sacrilegiis & flagitiis iaciant, unde postea innumera mala, dissidia, odia, & rixæ intestinæ manent. Diligenter eos instruant, ut amore christiano & divino se se diligere discant: quia si id egerint, integro vitæ decursu eadem flamma ardebunt; contra, si ab amore impudico & venereo, si ab amplexibus, osculis, & tactibus obscœnis orsa duxerint, & in hac, & in futura vita pice, & sulphure exurentur. Voluptates carnales sitim non extinguunt, sed irritant, & augent. Vehementi desiderio concupiscuntur divitiæ ab avaris, puellæ ab impudicis; at possessæ statim vilescunt. Redacta sponsa in sponsi potestatem & usum, paucis post diebus fastidio illi est & tædio, nisi divinus amor vinculum firmet coniugale. Cur communiter matrimonia non sunt

sunt amoris reciproci fœdera, non mutuæ benevolentiæ & tranquillitatis nexus, sed discordiarum, odiorum, & ærumnarum occasiones? Quia impotens libido, obscœna flagitia, & scelerum catena, non Christi sacramentum corpora coniunxit: ligavit non in Domino, sed in luto luxuriæ, non secus ac equos & mulos, quemadmodum *Tob.* VI. dicitur. *Qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmon super eos. Tu autem . . . accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.*

IX. Plura legere Parochus poterit saluberrima documenta tum in Scripturis sanctis, tum in ritualibus libris, sponsis explicanda, alia ex altari, alia in tribunali pœnitentiæ. Hortari enim debet sponsos ut divina sacramenta frequentent, quorum gratia & inardescentem libidinem comprimere, & animos virtutum officiis ornatos præparare ad sacramentale fœdus stringendum valeant. In confessione verbis gravissimis instruet, qua castimonia, quo pudore, & honestate exercere matrimonium debeant. Sermonem temperabit pro sponsorum diverso acumine & cognitione. Si prudens Parochus fuerit, omnia quæ ad christianam instructionem necessaria fuerint, manifestare poterit, quin verbum pronuntiet minus pudicum & castum. Imbuet illos, ea tantum permissa coniugatis esse quæ generandis in Christo filiis conducunt, iis omnibus reiectis quæ pudor a natura insitus abhorret. Si bene morati sponsi fuerint, brevis de matrimonii usu instructio, semper intra, numquam extra confessionem facienda, sufficiet. Quare in id incumbere Parochus in primis debet, ut in sancto Dei timore educet exerceatque puellas, & iuvenes; & castos, pudicos, Deique progeniem propagantes efficiet coniugatos.

CAPUT II.

Plures opiniones casuisticæ de peccatis sponsorum resolvuntur.

I. Audisti, christiane lector, sanctam sponsorum disciplinam ex divinis Scripturis, & ex Patribus haustam. Sed heu, heu, quam diversa est illa quam mox descripturus sum ex quibusdam modernis Doctoribus. Sponsos, si ficte sibi promittant absque intentione, & animo promittendi, & se obligandi, communiter omnes vel benigniores Casuistæ docent peccare mortaliter: quia in re gravi unus decipit alterum, dum verbis exterius serio contractum sponsalium ineunt. Peccant similiter, si fraudulenter in re gravi ad contractum pertinente se decipiant; puta, si sponsus falso iactet nobilitatem, ac divitias, & sponsa do-

tem. Sincere itaque & candide omnia quæ contractum spectant, manifestare oportet.

II. Non obstringi ad nuptias contrahendas, quando sponsalia ab alterutra parte ficte contracta fuere, docent Sanchez, Layman, Tamburinus; quos citat, & sequitur Sporer *Part. IV. cap.* 11. *sect.* 1. *num.* 417. quia, inquiunt, homo non tenetur dictis suis facta confirmare per se loquendo. Promissioni autem fictæ consensus defuit, sine quo non oritur obligatio iustitiæ. Si tamen parti deceptæ damnum immineret, & non posset alia via illud compensare, tunc teneretur deceptor partem deceptam ducere; ut si sponsus spe futuri matrimonii invitam virginem deflorasset: quod tamen, ut supra dixi, raro contingit, scilicet deflorari invitam. Non admitto tamen horum Auctorum doctrinam, quod nempe homo non teneatur dictis suis facta confirmare. Immo oppositum dicendum est, ut alibi fusius ostendi.

III. Si sponsi se se copula carnali cognoscant ante initum matrimonium, peccare illos mortaliter adfirmant omnes. Quidam moderni, inquit P. Sporer *loc. cit. num.* 427. nimium extenuant hoc peccatum, dicentes, *id esse levissimum inter mortalia, & gravissimum inter venialia*. Levissimum inter mortalia? Unde extenuatur malitia hæc? Immo augetur, quod candidati ad sacramentum celebrandum mortiferis flagitiis se se indignos constituant. Diximus supra, sponsalia sacramentalia quædam esse: ergo, præter peccatum fornicationis, ritum hunc profanant.

IV. Quæst. I. *An sponsi peccent mortaliter delectando se morose de copula futura cogitata ut præsenti?* Resp. Absolute affirmant omnes etiam benigniores Probabilistæ. Quia sicut copula præsens est sponsis mortaliter illicita, ita & delectatio de eadem habita. Verum plures Benignistæ unica præcisione & distinctiuncula licitam hanc delectationem effecerunt. P. Sporer *Part. IV. cap.* 11. *sect.* 1. *num.* 428. „ Aliud est consensus & complacentia in copulam cogitatam ut præsentem, & „ delectationem actualem veneream ex tali copula cogitata actu in appetitu sensitivo, & partibus venereis consequentem; quod & sponsis de futuro, & viduis „ de præterito mortaliter illicitum, & solis coniugibus licitum est. *Aliud est consensus & complacentia in copulam cogitatam ut futuram, & delectationem veneream ex tali copula futura aliquando consecuturam; quod sponsis illicitum non est. Cum enim ex ipsis sponsalibus contractis, velut iure incboato, talis copula, & delectatio sit aliquando futura, non debent de ea contristari, vel eam aversari, sed licite in eam consentire, complacere, vel gaudere de ea possunt, cum nihil aliud sit quam gaudere de spe boni futuri, quæ spes præsens, & licita est. Ita cum plurimis Sanchez, Diana* &c. "

V. Animadvertere debuerant benigni isti Probabilistæ, mentem humanam effingere

gere utique posse metaphysicas præcisiones; at concupiscentiam non præscindere, sed ferri, abripi, & volutari in luto venereo, prout est reipsa. Copula futura est; at complacentia & gaudium de eadem præsens est: propterea hæc præsens voluntaria complacentia, hoc præsens gaudium venereum mortiferum est in sponsis, non secus ac in aliis solutis hominibus. Mens cogitat de futura copula, & voluntas atque concupiscentia de præsenti delectatione & complacentia gaudet. Sponsi, inquiunt Sporer, Sanchez, & Diana, non debent hanc delectationem & complacentiam *aversari*, *sed licite in eam consentire*, *complacere*, *vel gaudere de ea possunt*. Vin' benigniora ? Sed melius dicam, lutulentiora ? Insitus a natura pudor hanc doctrinam abhorret.

VI. Quæst. II. *Liciti ne sunt tactus, oscula, & amplexus inter sponsos ?* Resp. P. Thomas Sanchez *Lib. I. disp.* 11. *num.* 5. „ Secundum communem sententiam liciti sunt amplexus, & oscula inter sponsos de futuro, eo quod sponsalia sunt „ initium quoddam matrimonii; ac proinde concedunt ius utendi *voluptate præambula matrimoniali*. Ergo per sponsalia acquiritur ius in corpus, alias nullus „ illius usus concederetur: & consequenter violans hoc ius per fornicationem, „ reus erit, ultra fornicationem, iniustitiæ admissæ necessario aperiendæ in con„ fessione. Et hæc sententia est valde probabilis. “

VII. Duplicem distinguunt recentiores isti voluptatem carnalem, alteram *præambulam*, alteram *consummatam*. Voluptas præambula *sponsis*, voluptas consummata maritatis conceditur. Rationem produnt. Sponsalia sunt initium matrimonii. *Ergo per sponsalia acquiritur ius inchoatum in corpus: alias nullus illius usus concederetur*. Ergo concedenda est sponsis *voluptas præambula*. Hæc doctrina communis est, inquit P. Sanchez, inter recentiores. Quia vix aliquis Casuista unam laxam opinionem evulgat, quin ceteri eam amplectantur, & amplificent.

VIII. Salmanticenses *tract.* IX. *cap.* XV. *punct.* 6. *num.* 91. hanc eamdem doctrinam ut probabilem defendunt, inquientes. „ Utrum inter sponsos de futuro sint „ licita oscula, amplexus, tactus, verba amatoria &c. extra pollutionis pericu„ lum ? Respondetur, quod si tales actus ad captandam voluptatem fiant, erunt „ peccata venialia . . . Si ob signum amoris, nullum erit peccatum, dummodo „ sponsalia inter eos sint absoluta, non vero si conditionata fuerint. Ratio est, „ quia sicut sponsalia sunt *inchoatio quædam* matrimonii, sic etiam liciti sunt in „ illo statu actus qui quodammodo sunt copulæ inchoatio & initium. Sanchez „ *Lib. IX. disp.* XLVI. Aversa, Diana . . Bonacina . . Azor. “

IX. Apertius doctrinam Sanchezii, Dianæ, & aliorum patefaciunt Salmanticenses. Liciti sunt, inquiunt, sponsis tactus, oscula, & amplexus. Cur ? Quia *quodammodo sunt copulæ inchoatio, & initium*. Inchoatio ergo copulæ sponsis mediis tactibus, osculis, & amplexibus licita est. Copulæ vero consummatio ipsis

coniugibus reservatur. Addunt tamen, hoc intelligendum esse, *nisi tactus sint, vel aspectus valde turpes, & in secretioribus partibus*. Quærendum esset ab istis recentioribus, undenam acceperint cultrum ad præcidendam hanc delectationem in partes duas, nempe in inchoatam, & consummatam; unamque partem tribuendam sponsis, alteram coniugatis; seu partem *præambulam* sponsis, *totam* vero maritatis. Verum quid in hoc luto ludimus? Derisione & contemptione explodenda doctrina hæc. Tertulliani machæra opus esset adversus hæc lutulenta paradoxa. Licet humana mens has metaphysicas præcisiones effingat; voluntas tamen concupiscentiæ sulphure accensa irruit, & omnibus his repagulis probabilisticis effractis, abripitur semel commota impotenti impetu in plenam consummatamque venerem. Heinc est quod plus aliquid sponsis concedit alter benignissimus Probabilista urbanitatis gratia.

X. P. Thomas Tamburinus *Lib. VII. cap.* III. *num.* 61. *pag.* mihi 193. sic ait. „ Sponsis de futuro valde probabiliter sine peccato licent quædam amoris signa, „ qualia sunt oscula, tactus, aspectusque pudici, ac locutiones amatoriæ, *etiam* „ *propter delectationem in illis residentem*, sed sine periculo pollutionis, vel con- „ sensus in illam, vel in copulam: at nullo modo impudici. Ita Thomas San- „ chez . . . . *Unam excusationem invenio in sponso eas actiones pudicas exercente* „ *cum pollutionis periculo prævisio, sed non intento, & sine periculo consensus in* „ *illam. Nam si in occasione esset, UT INURBANUS haberetur, si ab illis absti-* „ *neret, posset eas usurpare, quia iam adest rationabilis excusatio.* “

XI. Hæc doctrina lutulentior est præcedenti. Quare non oratione, sed contemptione explodenda, & exterminanda de medio Christianorum est. Etiam cum pollutionis prævisione exercere oscula, tactus, & amplexus mutuos sponsi valent, ne alter inurbanus habeatur? Pudicos vocat tactus, pudicos amplexus qui sunt prævisæ pollutionis caussa? Quænam sunt paradoxa ista? Venenum natura sua mortale sorbendum concedit, dummodo absit mortis periculum? Neque impudicitia, neque periculum consensus separari ab eiusmodi osculis, tactibus, amplexibus cum prævisæ pollutionis periculo potest. Frustra ergo chimæricis antidotis temperare impura flagitia studet Auctor iste, cum non alio hæc tendant natura sua, quam ut securius sponsi, talia in Theologis legentes, in lutum se se immergant libidinis, & in eodem volutentur.

XII. Tamburini impudicam doctrinam transcribit P. Sporer *num.*430. eamque probat. Et prius illam docuit P. Georgius Gobat *tract.*x. *num.*672. Tandem P. Claudius La-Croix *Lib.VI. part.*III. *quæst.*XXII. *num.*151. recensita paradoxa transcribit, quin ea improbet: narrat simul contrarias aliorum Theologorum sententias, & more suo probabilistico omnes simul congestas lectorum arbitrio subiicit; inclinare se tamen ostendit in posteriores contrarias sententias ut probabiliores.

XIII.

XIII. Obiiciunt benigni Probabilistæ. Sponsi licite anhelant matrimonium, tamquam opus honestum. Ergo licitum quoque erit delectari de copula coniugali, quæ est eiusdem matrimonii usus. Hæ sunt subtiles argutationes casuisticæ, quæ si consisterent, etiam homines, & mulieres solutæ licite possent de copula futura matrimonii delectari, cum licite desiderare matrimonium valeant. Respondetur igitur negando consequentiam. Distinguendus est matrimonii usus ab ipso matrimonio. Sponsi, & omnes soluti licite appetere matrimonium possunt, quia omnibus solutis licitum matrimonium est; at usus matrimonii solis coniugatis competit. Ergo qui non sunt coniugati, delectari de hoc usu nequeunt, neque illum appetere. Hac distinctione posita, corruunt omnes offuciæ, & subtilitates casuisticæ evanescunt.

XIV. P. Georgius Gobat *tract.* x. *num.* 671. hæc habet. „ Certum est apud omnes DD. oscula, tactus, amplexus non impudicos licite fieri inter sponsos, „ quando fiunt secundum consuetudinem patriæ in signum benevolentiæ ad conciliandum & fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium. Ita loquitur Perez. Et quidem sunt ob finem prædictum licitum liciti hi actus, *licet adsit periculum pollutionis*, modo non sit periculum consensus in veneream „ delectationem. " At unde didicit nova benignitas separare periculum consensus in veneream delectationem a periculo pollutionis in sponsis, qui efflictim se diligunt? Libidinis exercitium permittitur; & postea præcisionibus metaphysicis incrustare illud curant Doctores, quos citat P. Gobat.

XV. P. Thomas Sanchez *Lib. IX. disput.* xlvi. *num.* 48. „ Oscula, & amplexus, „ aliique tactus non impudici excusantur a culpa mortali inter sponsos de futuro „ ratione contractus sponsalium inter ipsos initi. Ratio est, quoniam sicut matrimonium ipsum cohonestat copulam; ita sponsalia, quæ quoddam matrimonii „ initium sunt, cohonestare debent huiusmodi tactus, *qui incboatio quædam sunt* „ *copulæ*, præsertim quia sic magis fovetur amor in ordine ad matrimonium . . . „ *Num.* 49. Atque hæc conclusio vera est, quamvis sponsi *intendant eam delectationem* sensitivam quæ ex ipsis amplexibus, & osculis oritur. Quia sponsalia, „ quæ matrimonii initium sunt, *excusant a mortali hanc delectationem, quæ copulæ incboatio est, & in omnino solutis esset culpa mortalis.* "

XVI. P. Georgius Gobat *tract.* x. *num.* 672. „ Sanchez *loc. cit. num.* 49. utitur „ quidem nomine delectationis *sensitivæ*; sed per hanc *certo* intelligit *veneream*, „ ut patet ex num. 5. . . . Fateor tamen non raro fieri ut Confessarius *cogatur* „ in praxi supponere sententiam *Sanchezii*, nisi velit tales sponsos dimittere *sine* „ *absolutione*, utpote quibus ægre persuadebit, *aut illos amplexus, oscula* &c. *esse* „ *mortalia; aut ut agnoscentes esse mortalia, forment propositum se emendandi.* "

XVII. Dilemma P. Gobat validum & urgens est. Aut difficile suadebit Confessarius

sarius eiusmodi oscula, amplexus, & tactus cum *delectatione venerea* exercitos esse mortalia; aut si sponsi agnoverint esse mortalia, difficile *formabunt propositum se emendandi*. Ergo aut dimittendi essent *sine absolutione*; aut adhibenda est *sententia Sanchezii*. Non primum. Ergo secundum. Ad hoc enim *cogitur* Confessarius, ut admittat sententiam P. Sanchez, *nisi velit tales sponsos dimittere absque absolutione*. Sed tales sponsi ex tactibus, & osculis delectationem veneream captant. Hæc delectatio, inquit Sanchez, *est copulæ inchoatio, & in omnino solutis esset culpa mortalis*. Sponsalia ergo efficiunt ut quæ sunt in solutis flagitia mortalia, sint in sponsis culpæ veniales? Paradoxa laxitatis hæc sunt, quæ castis auribus scandalum ingerunt. Subdit ibi P. Gobat. *Nullo autem modo est hæc doctrina practicanda cum sponsis qui contraxerunt sponsalia sub conditione*. Sponsalia absoluta purgant delectationem veneream captatam ex osculis & tactibus, secus sponsalia conditionata, a culpa mortali. Verum hæc refellenda non sunt, sed detestanda.

M O N I T U M

Ad Confessarios.

Conferant isti velim indicatas recentiorum opiniones cum Patrum SS. doctrina, quam capite superiori recensui. Docent Ecclesiæ Patres, sponsalia ritum quemdam sacramentalem esse, & tyrocinium virtutum, quibus sponsi ad magnum Ecclesiæ sacramentum se præparent. Contra recentiores citati sponsalia constituunt tyrocinium *voluptatis præambulæ*, *voluptatis sensitivæ*, *copulæ initialis*. Patrum doctrina sanctitatem & castimoniam spirat; & Scripturarum documenta, quæ illi allegant, pudorem, verecundiam, & honestatem naturalem fovent & custodiunt. Horum recentiorum paradoxa communi sensui adversantur, & cum naturali pudore ac verecundia pugnant. Opponunt isti, Doctores temporum dispicere casus temporum, frustraque in Patribus quæri casus quos explicant moderni Theologi plures. Et verum dicunt. Nam S. Augustinus, ut sileam ceteros, qui libros integros de coniugio scripsit, numquam similes putidos casus dispexit. An sponsalia tum non erant? An natura, concupiscentia, & libido hominum mutata? Hæc quæ retuli paradoxa horrorem vel ipsis Confessariis ingerunt, quia nimium carnalia & pudori opposita. Sed heinc addiscant, quo plurium Casuistarum incauta benignitas compellat. Laxæ opiniones in ceteris materiis non adeo offendunt communem sensum, quia magis a carne distant; at non sunt minus æternæ saluti perniciosæ. Cauti ergo sint Confessarii & Parochi in legendis nonnullorum recentiorum libris, & in Patrum, Concilii Tridentini,

tini, Catechismi eiusdem, & sacrorum ritualium librorum lectionem sedulo incumbant.

CAPUT III.

De peccatis coniugum in contrahendo matrimonio.

I. PEccant, & quidem mortaliter, coniuges, si animo ficto matrimonium celebrent. Peccant primum contra sanctitatem sacramenti peccatum sacrilegii. Deinde contra iustitiam, cum fictor, & deceptor iniuriam gravem inferat parti bona fide contrahenti. Quam deceptionem compensare tenetur consensum legitimum præstando, nisi pars decepta aliam admittere compensationem sponte velit, vel nisi adsint rationum momenta quæ aliam compensationem præscribant.

II. Si matrimonium scienter cum aliquo impedimento sive dirimente, sive impediente celebrent, peccant graviter, ut omnes docent: quia in re gravissima violant præceptum aut divinum, aut ecclesiasticum. Si impedimentum impediens fuerit, peccatum sacrilegii perpetrant saltem ut suscipientes sacramentum; quemadmodum omnes fatentur. Delinquunt præterea contra virtutem cui impedimentum opponitur. Si vero impedimentum sit dirimens, Sanchez *Lib. VII. disp.* v. Perez *disp.* XXI. Dicastillus *disp.* VII. Diana *Part. VIII. tract.* IV. *resol.* 287. Gobat, & alii docent, peccare quidem contrahentes mortaliter contra præceptum divinum, aut ecclesiasticum, secus peccatum sacrilegii, neque ut suscipientes, neque ut ministrantes: quia tunc solum irritant contractum naturalem, quo sublato, deficit sacramenti ratio. Verum hæc opinio falsa est. Christiani quippe sciunt se celebrare matrimonium ut sacramentum est. Neque ratio sacramenti a contractu matrimonii separari licite absolute potest. Porro tales contrahentes abuterentur sacris Ecclesiæ ritibus, & scienter sacramentum publice simularent. Indirecte utique sacramento iniuriam irrogant subtrahendo eiusdem materiam; at hoc non tollit quin sacrilegio se se polluant.

III. Ignorantia invincibilis a peccato excusat, ut notum est, ne contrahentes peccent; minime vero efficit ut matrimonium sit validum. Quid, si unus coniugum dubitet de aliquo impedimento, & post diligentem inquisitionem deprehendere veritatem nequeat? Caramnel, Gobat, Diana, Ioannes Sanchez, Tamburinus *Lib. I. in Decal. cap.* III. *§.* 3. *V. Dispensat.* hunc licite contrahere asserunt ob probabilisticum axioma, quod possessionis privilegium faveat. Sed hæc opinio falsa est: tum quod in dubiis tutior pars est eligenda: tum quod coniux dubitans iniuriam gravem irrogat coniugi alteri, qui contrahere cum tali coniuge dubitanti nollet: tum denique quia in sacramentis perficiendis tutior pars est eligenda.

IV.

IV. In recensitis casibus impedimentorum non contrahentes modo, verum etiam cooperantes, & non obstantes peccant, ut Confessarii, Parochi, parentes, consanguinei, & omnes conscii impedimentorum, si præcipue post denuntiationes non impediant monendo Superiores impedimenti quod obstat, ut supra dictum est.

V. Pœnæ contra ineuntes matrimonia cum impedimento dirimente habentur in *Clementina unica de consanguinit. & affinit.* ubi Pontifex sic statuit. *Eos qui scienter in gradibus consanguinitatis, & affinitatis, constitutione canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonium non verentur, nec non Religiosos, & Moniales, & Clericos in sacris constitutos matrimonium contrahentes, excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere*. Excommunicatio hæc reservata non est, neque extenditur ultra impedimenta recensita, nempe consanguinitatem, & affinitatem, & votum solemne; quia odia non sunt amplianda, sed restringenda.

VI. Peccant insuper coniuges qui conscientia mortalis culpæ ad hoc sacramentum accedunt. Hoc enim vivorum sacramentum est, quia viventes vita gratiæ, quæ omnem peccati mortalis affectum excludit, suscipere illud debent. Qui igitur peccato mortali contaminati ad illud accedunt, grave perpetrant sacrilegium.

VII. Peccant similiter plus minusve qui more paganorum sacram nuptiarum solemnitatem pompis satanæ exornant, hoc est luxu immodico, choreis, conviviis, instrumentorum sonitu, a quibus sobrietas, & temperantia exulant, in quibus pudor & modestia vertuntur in crimen, amatoria colloquia, & cantica obscœna aures demulcent. Talia ne Christi sacramentum decent? Numquid Christus præsentia sua tales honorat nuptias? Quæ enim participatio sanctitatis cum iniquitate, quæ conventio Christi ad Belial? Plerique rituales libri lecti nuptialis sacram benedictionem præscribunt. At numquid inter rediviva ethnicorum spectacula sacri Ecclesiæ christianæ ritus exerceri licite valent? Percurrito paganorum sive vetustas, sive recentes historias, mores, & consuetudines. Inquire, num profanior luxus, num immoderatiores pompæ, num solutiores choreæ, num obscœniora cantica, num intemperantiora convivia, num immodestiora colloquia, num impudentiora tripudia tempore nuptiarum grassentur apud paganos, infideles, hæreticos, an apud non paucos Catholicos, qui nuptias sacras ut magnum sacramentum venerantur, qui nuptias sacras in signum unionis Christi cum Ecclesia celebrant, qui solemni voto pompis sæculi renuntiarunt. Quis non commoveri se sentiat, dum tam profana, & tam paganica portenta sacratioribus Christianorum ritibus consociari videt? Plura sacramenta, nempe pœnitentiæ, Eucharistiæ, matrimonii, illo ipso forte die quo novi coniuges recensitis indulgent tripu-

pu-

pudiis, spectaculis, saltationibus, susceperunt. Et tamen, dum hæc monstrosa phænomena detestamur, sibilis & cachinnis excipimur, quasi prævalentes, & usquequaque inundantes corruptelas auferre audeamus. At tametsi hæc monstra de medio Christianorum tollere non valeamus, non propterea declamare contra eadem cessabimus, S. Bernardo *Lib. IV. de consid. cap.* 111. consulente. *Apud Deum non erit impossibile omne verbum. Si dura fronte sunt, durato & tu e contra tuam: nihil tam durum, quod duriori non cedat.* Moderatos ornatus, splendidiorem vestitum, convivia temperata, honesta solatia probo & ego: ea tantum omnia detestor quæ cum pudore, modestia, sobrietate, & cum sancta professione baptismali hostiliter pugnant.

CAPUT IV.

De obligatione coniugum in mutua debiti redditione.

I. Celebrato matrimonio legitimo, plura heinc debita consequuntur quæ implere coniuges astringuntur. Primum debitum spectat coniuges ipsos; est vero illud uxoris erga maritum, & mariti erga uxorem. Alterum est utriusque erga prolem. Obligationes reciprocæ uxoris, & mariti sunt individua vitæ societas, tori fides inviolata, debiti coniugalis redditio, mutua caritatis & benevolentiæ officia. Ad maritum attinet uxorem alere, induere, protegere, imbuere. Uxoris est maritum revereri, eidem obedire, familiam gubernare, rem domesticam custodire. Mariti & uxoris est diligere prolem, eamque & corporali, & spirituali cibo nutrire, educare in lege sancta Dei, & iis quæ statum & conditionem propriam spectant. Contra hæc multiplicia debita peccare variis modis coniuges possunt. Hæc omnia explicare distincte curabo.

II. Quæst. I. *Quanta est coniugum obligatio ad matrimoniale debitum solvendum?* Resp. Convenit penes omnes, coniugum neminem obstringi ad debitum petendum: quia nemo uti iure suo cogitur, sed pro ingenio & libertate renuntiare illi valet. Similiter certum est, petenti reddendum debitum esse, & quidem ex iustitia. Dupliciter autem exigi potest, expresse, & tacite. Tacita petitio signis & indiciis proditur. Maritus uxori tacite petenti reddere tenetur, & mulier similiter viro; quamquam raro occurrat in viro tacita dumtaxat petitio, frequenter vero in uxore propter verecundiam, ut Angelicus in *Suppl. quæst.* lxiv. *art.* 2. docet, cui omnes subscribunt. *Petere debitum contingit dupliciter. Uno modo expresse, ut quando verbis invicem petunt. Alio modo interpretative, quando scilicet vir percipit per aliqua signa, quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet. Et ita etiamsi verbis non expresse debitum petat, tamen vir tenetur reddere, quando aliqua signa in uxore apparent voluntatis reddendi debiti.* Et hoc verum ha-

habet, etiamsi vir aliquo impedimento voti, affinitatis, aut cognationis spiritualis ligatus esset : quia reddit, & non petit ; dummodo revera hæc signa in uxore appareant.

III. Quando sive maritus, sive uxor prævidet aut in se, aut in altero periculum imminere incontinentiæ, quod avertere petendo valet, petere obstringitur; ut S. Thomas *loc. cit. ad* 1. docet. Hæc obligatio frequentius urget uxores, quæ dum prævident maritos inclinari in alias mulieres, ut libidinem expleant, illos honestis blanditiis, & oblectamentis ad se allicere debent, ut hac via in ordinem redigant, & ab adulteriis retrahant. Quare mortaliter peccant, nisi iusta caussa excuset, dum expresse, vel tacite petenti debitum mutuo sibi denegant : quia vi contractus matrimonialis ad hanc reciprocam solutionem obstringuntur. *Nolite fraudare invicem*, inquit S. Paulus *I. Cor.* VII.

IV. Quæst. II. *Quæ caussæ excusare a debito reddendo valent?* Resp. Plures sunt casus in quibus a debito reddendo coniux eximitur. Et primum si vitæ periculum, aut gravis infirmitatis timeatur, a debito reddendo sive vir, sive uxor excusatur. Rationem S. Thomas in *Suppl. quæst.* LXIV. *art.* 1. tradit. Quia ordo tum naturæ, tum caritatis postulat ut primum propriæ personæ conservationi, & incolumitati provideatur, & deinde prolis generationi. Levia tamen incommoda ab hoc solvendo debito non eximunt; ut patet in aliis iustitiæ contractibus. Uxores frequenter aliqua levi infirmitate capitis, ventris &c. laborant : non propterea ab istius debiti redditione liberantur : alioqnin importabile esset matrimonii iugum. Ceterum vix assignari aliqua generalis regula potest, cum circumstantiæ sint innumeræ. Prudentis Confessarii consilio definiri hæc possunt, & ipsorum coniugum, si bene morati fuerint, iudicio. Quando grave detrimentum propriæ saluti imminet, tametsi periculum incontinentiæ instet in petente, reddendi obligatio non urget : quia tunc aliis remediis coercenda incontinentia est.

V. Si morbo gallico, qui petit, infectus sit, reddendi obligatio non adest; immo talis infirmus peccat petendo, quando iudicio medicorum infectionis periculum est; nisi tali morbo ante matrimonium contractum inquinatus fuisset, & alteri innotuisset, quia tunc cessisset iuri suo. De leproso hæc *loc. cit. ad* 4. docet Angelicus. *Uxor viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare: quia non ita inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione; & quamvis proles generetur infirma, tamen melius est ei sic esse quam penitus non esse.* Ad hoc etiam quod attinet, spectandæ circumstantiæ sunt. Nam sæpe caritas urget ut coniuges alicui periculo se exponant ad evitanda incontinentiæ crimina. Regula tamen fixa manet, quod ex caritate primum omnium quisque propriæ incolumitati, & saluti prospicere debet. Quare si in concubitu cum leproso revera periculum instaret propriæ infectionis, nulla esset redditionis obligatio.

VI.

VI. Quæst. III. *Licitum ne est petenti negare debitum, ne filii multiplicentur?* Resp. Si adsit alendi filios facultas iuxta proprium statum, debitum negari absque manifesta iniustitia nequit, præsertim cum matrimonium ob finem multiplicandæ prolis institutum sit. Si vero facultas desit alendi filios, si plures sint, si coniuges fuerint aliis procreandis apti, si desit incontinentiæ periculum, tunc a reddendo debito liber coniux est, quando non suppetit spes filios alendi. Si vero periculum incontinentiæ urgeat, tunc reddendum debitum est. Ceterum vix umquam multiplicatio filiorum excusat a debito reddendo: illa enim providentia divina quæ ad statum matrimonialem vocavit, filiis alimenta subministrabit. Providentiæ divinæ iniuriam irrogant parentes, dum diffidunt ne ea subministratura filiis sit, in timore Domini procreatis, necessaria alimenta. Impotentia alendi filios quæ allegatur, ex superbia, avaritia, & ambitione sæpe proficiscitur. Verentur sæpe parentes ne, si filii multiplicentur, valeant eos secundum insanientis mundi pompam, fastum, & luxum instituere, ne patrimonium in plures portiones scindatur, ne familiæ splendor decrescat. Brevi, ex vanis, & mundanis rationibus passim hæc alendi filios impotentia oritur: quia divites communiter & nobiles hanc inopiam obtrudunt, raro vero, aut numquam artifices, operarii, & pauperes. Quare nonnulli recentiores nimis facile hanc excusationem admittunt. Si hoc penuriæ impedimentum vere occurrat, tum coniuges mutuo consensu abstinere a concubitu valent, consilio tamen prudentis directoris, ne alter ob humanos respectus consentiat, & in periculo incontinentiæ versetur; quod maxime cavendum est. Antequam matrimonium contrahatur, omnes magnam & firmam in divina providentia iactant fiduciam. Pauci sunt qui ob defectum facultatis alendæ sobolis a matrimonio abstineant: & tamen revera tunc peccant, si se ad alendam prolem ineptos cognoscentes matrimonium ineant. Matrimonio contracto, & saturata per aliquot annos libidine, tum obtrudere paupertatem, & impotentiam alendi tot filios solent: quia aut uxor displicet, aut indicata vitia superbiæ, ambitionis, & avaritiæ mentem fascinant. Quare cautus sit Confessarius in admittenda eiusmodi excusatione cum præiudicio petentis debitum. Communiter viri hunc prætextum opponunt, quia aliunde concupiscentiæ suæ provident, nihil uxoris incontinentiæ periculum curantes; propriamque salutem æterno discrimini committunt, ut duos aut tres filios ditiores constituant.

VII. Quæst. IV. *An peccet uxor quæ experta se proprios filios mortuos parere, negat debitum petenti?* Resp. Auctores communiter negant talem mulierem peccare, quia edendo filios mortuos ipsa se mortis periculo exponit. Si tamen ipsa incontinentiæ periculo obnoxia sit, tunc & reddere, & petere poterit, fidens divinæ providentiæ, quæ succurrere sancte matrimonium exercenti non cessabit: præsertim quod licet sæpius acciderit ut filios mortuos pepererit, non inde tamen se-

fequitur quod id femper evenire debeat. Tandem prius femper animæ, deinde corpori confulendum eft.

VIII. Nimis frequens petitio excufat a debiti redditione, ut S.Thomas in *Suppl. quæft.* lxiv. *art.* 1. *ad* 3. docet. *Dicendum, quod fi aliquis reddatur impotens ad debitum folvendum ex caufa ex matrimonio fecuta, puta eum prius debitum reddidit, & eft impotens ad debitum folvendum, ulterius mulier non habet ius petendi; & in petendo ulterius fe magis meretricem quam coniugem exhibet. Si autem reddatur impotens ex alia caufa, fi illa eft licita, fic iterum non tenetur, nec poteft mulier exigere: fi vero illicita eft, tunc peccat; & peccatum uxoris, fi propter hoc in fornicationem labatur, aliquo modo fibi imputatur. Et ideo debet, quantum poteft, dare operam ut uxor contineat.*

IX. Hinc peccat mortaliter coniux qui mediis illicitis ad reddendum debitum fe inhabilem conftituit; ut fi fe polluat, aut ad alias mulieres accedat, tunc ultra crimina mollitiei, & adulterii, peccat contra iuftitiam debitam coniugi petenti. Immo non folum illicitis, fed neque licitis mediis impotentes fe reddere iure valent coniuges ad debitum reddendum. Quare fi nimia aufteritate vitæ, & ieiuniorum frequentia ita corpus alter extenuaret, ut impotens fieret ad debitum petenti folvendum, & fcienter hoc faceret, peccaret contra iuftitiam; ficuti qui eleemofynas erogando impotentem fe redderet ad debita creditoribus folvenda. Quamobrem aliquando liberatur coniux a ieiuniis præcepto impofitis, quando hæc obftarent ne moderate, & fobrie petenti reddere poffet. Raro tamen hoc accidit, infirmitate fublata. Quoniam vix umquam moderata ieiunia ab Ecclefia præfcripta, & congrua pœnitentiæ exercitia, vel honefta litterarum exercitia ita vires extenuant, ut pulchritudinem mulieris diminuant, ut impotentiam inducant ad debitum reddendum. Aliud enim eft quod fit abfolute impotens, aliud, quod robuftior, validiorque effe debeat. Non tenetur coniux ab honeftis pietatis, ieiuniorum, pœnitentiæ, applicationis exercitiis abftinere, ut torofior, vegetiorque fiat ad reddendum debitum: immo fi horum operum labore pro aliquo non longo tempore impotens efficiatur, ut animæ fuæ confulat, non propterea peccat. Prudentia tamen in his omnibus opus eft, & maturo confilio, quo difcernatur quid indulgendum fit fragilitati, & quid præftandum, ut mutua pax, benevolentia, & tranquillitas reciproca foveantur. Marito chriftiano numquam faftidio erit uxor, moderatis ieiuniis, precibus, aliifque pietatis operibus operam navans. Si maritus diffolutus, maleque moratus fuerit, numquam illum five officiis, five blanditiis, ceterifque femineis fafciniis lucrabitur. Ad prudentiæ itaque chriftianæ regulas moderanda eft vitæ ratio: quia hæc fola coniugalem nutrire amorem valet.

X. Quæft. V. *Coniux occulti adulterii reus, peccat ne petendo?* Refp. Communis fententia docet, occultum adulterum coniugem poffe petere fine peccato, non tam-

tamquam rem debitam ex iustitia, sed ex benevolentia concedendam : quia absolute coniux adulter non privatur usu coniugii, ut privaretur ex impedimento incestus &c. sed pœnam incurrit, quam ante sententiam iudicis subire non tenetur. Coram Deo tamen cogere innocentem non potest ad reddendum; sed implorare ex quadam benevolentia potest. *Adulterans* (inquit S. Antoninus III. Part. tit. 1. cap. xxi. §. 9.) *quia peccando in legem matrimonii actu coniugali indignum se reddidit, non debet exigere, nisi purgata culpa ; alias peccat : reddere tamen tenetur exactus, secundum Raymundum*. Vide plura supra de divortio.

CAPUT V.

Quando coniux illicite petenti negare debitum valet?

I. QUæst. I. *Si coniux affinis factus ex fornicatione post matrimonium iniuste petat, potest ne innocens coniux reddere?* Resp. Distinguunt communiter Auctores petitionem illicitam a petitione iniusta. Illicite petit qui iure petendi præditus aliqua circumstantia prohibetur petere; iniuste vero petit qui ius petendi amisit. Dupliciter autem iniuste petere quis potest, nempe vel iniustitia respiciente actum, ut quando coniux petit in tali loco, tempore, modo &c. cum periculo mortis fetus, vel impediendæ generationis; vel iniustitia afficiente personam, aliquo impedimento ligatam. Communior opinio docet, coniugem innocentem posse licite petere : quia non amisit ius petendi ex delicto alterius : si licite petere, potiori iure reddere licite valet. Heinc in bimestri, in quo neuter ius petendi habet, non potest qui est affinis ob fornicationem, vel voto castitatis adstrictus, reddere alteri petenti, sicuti neque petere : quo in casu aut separari, aut caste vivere, aut dispensationem petere debent. Qui enim est affinis, incestum committit, dum cognoscit coniugem affinem. Et tum solum excusatur propter debiti redditionem, quando ius petendi in altero adest : quia tunc fortius ius, quod est iustitiæ, prævalet iuri ecclesiastico præscribenti impedimentum affinitatis, vi cuius prohibetur a coniugali concubitu. Quando igitur tale ius alteri deest, nequit licite reddere. Similiter coniux voto castitatis ligatus nequit alteri petenti licite reddere, si huic desit ius petendi; si ius adsit, tenetur reddere : quia tum fortius ius, ex matrimonio ortum, prævalet voto, quod servari Deus non vult cum detrimento alterius. Excusant tamen Auctores plures feminam voto castitatis, vel affinitate ligatam, reddentem viro privato iure petendi ad declinandam infamiam, discordias, iurgia; quod ius ecclesiasticum non obliget cum tanto incommodo, & detrimento.

II. Quando coniux illicite petit ex parte personæ, quia est voto castitatis adstrictus, vel quia prava intentione petit, tunc alter reddere tenetur : quia votum

non adimit ius petendi, ex legitimo matrimonio ortum; sed solum efficit ut illicite petat. Peccat ergo contra ius matrimonii coniux qui debitum negat. Neque heinc sequitur, reddentem peccati alterius participem fieri. Siquidem licet feneratar peccet exigendo usuras, qui tamen inopia pressus solvit, non peccat. Coniux enim reddens dat operam actui licito, non alterius peccato. Furioso petenti gladium non est reddendum, quia illo abusurus prævidetur in damnum proximi; quod caritatis titulo vitandum est. Nec est quod insistas, petenti cum detrimento propriæ salutis corporalis non esse reddendum: quia qui petit cum gravi detrimento sanitatis corporalis, iure petendi privatus est, cum dominio prodigendæ sanitatis corporalis careat. Peccatum autem ius petendi non adimit.

III. Disputant Auctores, num qui votum castitatis emisisset, & matrimonium iniret, teneretur ingredi Religionem ante consummationem? Negant communiter: quia qui votum emisit, non potest cogi ad reddendum quod est re promissa difficilius. Professio autem Religionis difficilior castitate promissa est. Peccaret tamen nubendo, & petendo, secus reddendo. Si tamen vovens sciret, dum votum emitteret, se aliter illud servare non posse, quam ingrediendo Religionem, tunc teneretur ingredi ante consummationem: quia tunc semetipsum obstrinxisset. Si votum emissum sit post nuptias ex consensu approbante alterius coniugis, neuter tunc petere, aut reddere licite valet: quia coniux expresse approbans votum alterius, iuri suo cedit: idque eo magis verum est, si ambo mutuo consensu approbante votum ediderint. Si vero alter coniux votum edat ex consensu alterius, dumtaxat permittentis, tunc reddere tenetur: quia qui permittit tantum ut alter se privet iure petendi, non renuntiat proprio iuri. Si vero approbasset, & postea pœnituisset, & in periculo incontinentiæ versaretur, tunc petenda dispensatio esset.

IV. Quæst. II. *Quomodo ex impedimento superveniente affinitatis, aut cognationis spiritualis impediantur coniuges a debiti petitione*? Resp. Duo impedimenta, præter votum, supervenire matrimonio solent: unum ex affinitate, contracta ob fornicationem cum consanguineo coniugis; alterum ex cognatione spirituali, ut si alter filium communem baptizaret, aut ex sacro fonte susciperet, vel in confirmatione teneret. Convenit penes omnes, coniugem peccare mortaliter, qui filium communem baptizaret, aut ex baptismo susciperet, aut in confirmatione teneret: quia hoc iure vetitum est, sublato tamen necessitatis casu, in quo nullum esset peccatum baptizare. Similiter si coniux munus patrini in baptismo exerceret, necessitate urgente, quia nempe alius non adest, nec peccat, nec privatur iure petendi; ut docet *III. Part. quæst.* lxvii. *art.* 8. *ad* 2. S. Thomas, cui subscribunt Suarez, Sanchez, Salmanticenses *num.* 24. & plures alii: quoniam licet officium patrini non sit necessarium ad baptismum, confert tamen

men in eiusdem perfectam significationem, ut dictum in dissertatione de baptismo est.

V. Quæst. III. *An coniux baptizans filium communem, aut alterius extra necessitatem, privetur iure petendi?* Resp. Adfirmant Sanchez *Lib. IX. disp.* XXVI. Bonacina, Guittierez, Ledesma, & alii: idque colligunt ex cap. *De eo* XXX. quæst. I. & cap. *Si vir* de cognat. spirit. Contrariam sententiam defendunt Dicastillus, Coninch, Perez, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 52. sed prior sententia videtur probabilior. Qui vero incestum committit in primo, aut secundo gradu cum consanguinea alterius coniugis, privatur iure petendi, sed reddere obstringitur; ut omnes fatentur. Disputant vero Auctores de coniuge consentiente, aut consilium præbente ad patrandum incestum, an tunc uterque privetur iure petendi. Negant aliqui; sed adfirmant Sanchez, Pontius, Bonacina: quia ius petendi conceditur tantum coniugi innocenti, secus coniugi reo. Qui vero consentit in incestum, aut consilium præbet, non est innocens, sed reus. Quamquam argumentum istud non sit evidens, cum in pœnalibus, & odiosis argumentatio a casu contrario non semper sit solida: tamen in nostro casu valde urget, & ut minus dubiam rem efficit. Ergo pro conscientiæ securitate petenda dispensatio est. Et idem dicendum de coniuge qui consentiret, aut consilium præberet ad baptizandum extra necessitatem, de quo dictum supra est. Coniux qui cum persona sibi consanguinea incestum committeret, gravius scelus patraret; at affinitatem non contraheret, atque adeo ius petendi retineret. Si vero ambo coniuges incestum perpetrarent cum alterius consanguinea, ambo iure petendi, & reddendi privarentur; adeoque essent separandi, nisi dispensationem obtinerent, aut una cohabitare absque incontinentiæ periculo possent; ut habetur cap. *Discretionem de eo qui cognovit.* Et hoc verum habet, sive affinitas sit publica, sive privata; nec requiritur sententia iudicis, cum sit pœna privativa.

VI. Quæst. IV. *Si uxor coacta a consanguineo viri incestum perpetret, amittit ne ius petendi?* Resp. Si coactio ita absoluta fuerit & violenta, ut nullum commiserit peccatum in tali concubitu (quod vix umquam accidit) planum est illam non amittere ius petendi: quia infligi pœna nequit absque culpa. Si contra voluntarie, libere, & absolute consenserit, licet ex metu gravi, tunc peccat mortaliter, & privatur iure petendi; ut docent Pontius *Lib. X. cap.* XVII. Sanchez *Lib. IX. disp.* XXXI. Oppositum defendunt, nempe non privari iure petendi, licet mortaliter peccet, Bonacina, Rebellus, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 28. quia, inquiunt, non est credibile Ecclesiam velle tam gravi pœna mulctare eos qui metu gravi coacti non servant suam legem; quemadmodum ab incurrendis censuris liberantur illi qui ob gravem metum contra legem ecclesiasticam peccant. Argumentatio hæc non videtur solida. Hac pœna Ecclesia non

 pu-

punit eos qui violant legem suam, sed eos qui violant legem Dei adulterium perpetrando. Coniux ista verum, & flagitiosum incestum committit. Incestus autem ex lege Ecclesiæ parit affinitatem. Negant citati Auctores incestum tunc committi, cum lex Ecclesiæ gravi malo imminente non obliget. Hoc verum habet, quando actus prohibitus non est naturæ lege. At fornicatio iure naturali vetita est; & huic actui fornicatorio adiecta est pœna. Quare cum res ut minimum dubia sit, petenda est dispensatio.

VII. Quæst. V. *Coniux qui cognoscit alterius coniugis consanguineam in primo, aut secundo gradu ex ignorantia, privatur ne iure petendi?* Resp. Si cum ignorantia facti, sive invincibili, sive vincibili, coniux cognoscat alterius coniugis consanguineam, communiter docent non privari iure petendi: quia hoc decernitur cap. *De eo qui cognovit*, & cap. *Si vir de cognat. spirit.* ubi hæc pœna illis tantum imponitur qui *scienter* delinquunt. Ignorantia autem facti tunc est, quando quis accedit ad mulierem alienam, ignorans esse alterius coniugis consanguineam. Ignorantia iuris vero tunc est, cum coniux scit talem mulierem, aut virum esse consanguineum alterius coniugis; at ignorat lege positiva prohiberi talem concubitum, licet sciat illum vetari naturæ lege. Sanchez, Reginaldus, Bonacina, Salmanticenses *num.* 30. docent, coniugem peccantem cum tali ignorantia, sive vincibili, sive invincibili, non privari iure petendi ob rationem datam, quod ius ecclesiasticum hanc pœnam infligat scienter peccantibus. Si vero sciat feminam esse consanguineam, & legem Ecclesiæ prohibentem talem congressum ut incestuosum, ignoret vero pœnam annexam; tunc privari iure petendi subdunt: quia sola ignorantia pœnæ non excusat, ut infra de censuris dicetur.

CAPUT VI.

Quid agendum sit coniugibus qui certi sunt, qui dubitant, aut probabiliter iudicant matrimonium esse nullum. Quando Confessarius scit matrimonium esse nullum, & coniuges sunt in bona fide, debet ne silere, an monere?

I. QUæst. I. *Qui certus est matrimonium esse irritum, potest ne debitum reddere coniugi petenti, & ignoranti invaliditatem, ut evitet infamiam, aut gravia damna?* Resp. Pro opinione adfirmante allegatur Magister, Hostiensis, Hugo de S. Victore, & alii, inquientes, talem coniugem posse reddere, quando imminet periculum infamiæ, homicidii, scandali &c. Quid quod Ecclesia compellere per cen-

cenfuras poteft ut reddat? Et tunc Ecclefia compellens difpenfat, fi impedimentum fuerit ecclefiafticum. Nonne, inquiunt, iudex damnare poteft innocentem qui fecundum allegata & probata reus convictus eft? Ergo etiam coniux reddere poterit, quando matrimonium fecundum allegata & probata apparet validum, licet ipfe cognitione privata certo fciat effe irritum.

II. Communis, & vera fententia docet, coniugem certo fcientem impedimentum irritans matrimonium, nullo modo reddere poffe, etiamfi mortis, infamiæ, fcandali periculum immineat, etiamfi cenfuris Ecclefiæ compellatur. Hanc fententiam defendunt S. Thomas in *IV. dift.* XXVII. *quæft.* I. *art.* 2. *quæftiunc.* 4. Dominicus Soto *ibi art. 3. §. Sit prima propofitio*. Sanchez *Lib. II. difp.* XXXIX. Bonacina *quæft.* IV. *punct.* 4. Diana *Part. IV. tract.* IV. *ref.* 48. Ledefma *quæft.* XLV. *art.* 4. *dub.* 2. Dicaftillus *difp.* IX. *dub.* II. Coninch *difp.* XXXIV. Salmanticenfes *tract.* IX. *cap.* XV. *punct.* 4. *num.* 35. La-Croix *Lib. VI. part.* III. *num.* 315. & communiter omnes. Ratio evidens eft, quia copula hoc in cafu fornicaria eft. Ergo nullo modo committenda ob quodcumque malum, five mortem, five infamiam. Quæ enim intrinfecus & natura fua mala funt, numquam licent; neque honeftari metu infamiæ & mortis valent.

III. Quæ opponuntur, nullius funt momenti. Iudex ecclefiafticus ex invincibili ignorantia compellit fuis cenfuris ad matrimonium fervandum: nec propterea difpenfat. Si enim fciret, matrimonium effe nullum, non urgeret ad matrimonium. Si iudex ecclefiafticus poffit, & velit difpenfare, ceffat omnis quæftio. Iudex, ut perfona publica, fententiam fert, non in propria, fed in aliena cauffa, fecundum allegata & probata. Coniux eft perfona privata, & cauffam propriam agit.

IV. Quæft. II. *An Confeffarius certo fciens matrimonium effe nullum, teneatur monere coniugem pœnitentem, ignorantia invincibili credentem effe validum?* Refp. Ex pluribus capitibus effe nullum matrimonium poteft, ob impedimenta affinitatis, aut confanguinitatis, aut ligaminis. Confitetur uxor quæ credens maritum fuum effe mortuum, nupta eft alteri: Confeffarius fcit priorem maritum effe fuperftitem. Altera confitetur quæ nupta eft confanguineo in tertio aut quarto gradu, vel affini in primo aut fecundo gradu, talia impedimenta ignorans: Confeffario vero funt manifefta. Quid agere Confeffarius debet? Si mulier laboret ignorantia vincibili, omnes adfirmant admonendam hanc mulierem effe (idem dicendum de viro) quia ignorantia vincibilis non excufat: atque adeo non poterit eam in tali difcrimine perfiftentem abfolvere. Si vero ignorantia fit invincibilis iuris, & facti, & matrimonium bona fide contractum fit, prævideatque Confeffarius fuam admonitionem profuturam; tunc monere pœnitentem Confeffarium debere, fatentur omnes. Hanc tamen admonitionem, inquiunt *Salmanticenfes* num. 40. poft abfolutionem facere Confeffarius debet, *ne fe exponat periculo irri-*

tandi sacramentum, si illa forte non apponat propositum efficax recedendi ab illo periculo. Nonne præclarum monitum?

V. Contra, si Confessarius prævideat suam admonitionem non profuturam, vel quia timet sive virum, sive mulierem perseveraturam in matrimonio, & fornicaturam non materialiter, ut ante admonitionem, sed formaliter, vel quia timet ex tali admonitione scandala, dissidia, infamiam, difficultates &c. tunc Confessarius obmutescere debet; immo, inquiunt Salmanticenses, *imprudentissime se gereret* Confessarius, si admoneret.

VI. Addunt Salmanticenses ibidem *num.* 41. „ Quod verum esse asserit *Sanchez* „ *cum Aversa & Navar. etiam ante contractum matrimonium*; si videat ignoran„ tia invincibili velle ad illud accedere, credatque quod eius admonitioni non „ acquiescet, sed læsa conscientia contracturam, quæ bona fide contraheret, *vel* „ *magna difficultate*, & scandalo a tali matrimonio recessuram. Prudenter igitur „ Confessarius tunc sileat; *immo tacere tenetur*, inquit Sanchez num. 7. *etiamsi igno*„ *rantia sit iuris divini*, propter eamdem rationem. "

VII. P. Claudius La-Croix cum Gobat ultra pergit *Lib. VI. part.* III. *§.* 3. *num.* 541. inquiens: „ Quamvis prævideatur quod monitio sit profutura, si tamen coniuncta „ sit cum gravissimo incommodo alterius, v. g. prolium, Confessarius non tenetur „ monere, *sed potest permittere* eos in bona fide. *Gobat a num.* 57. iterumque *num.* „ III. *& Sporer*. "

VIII. Hæ sunt recentiorum opiniones, quas ego *Tom. II. Apparatus ad Theol. Christ. diss.* I. *cap.* IV. fuso calamo pro virili profligare studeo. Paucis nunc hæc commenta, ut mihi videntur, peregrina, & cum Evangelio pugnantia, explodam. Quisque tenetur scire ea quæ ad proprium officium & statum pertinent; ut cum S. Thoma Theologi omnes docent. Præceptum divinum addiscendæ, & inquirendæ veritatis quæ proprium statum spectat, omnes obstringit. Impedimentorum dirimentium matrimonia veritas est, cuius notitia ad coniugatos magnopere attinet. Ergo coniugati toties violant hoc divinum mandatum inquirendæ veritatis attinentis ad proprium statum, quoties tali dispositione affecti sunt, ut vel negligant, vel nolint eam addiscere. Coniugati, laborantes ignorantia invincibili iuris & facti, in hac prævidentur dispositione qua nolint hanc veritatem addiscere: ergo violatores & contemptores sunt divini mandati inquirendæ veritatis.

IX. Quemadmodum tria munia Confessarius sustinet; iudicis, ut absolvat & liget, medici, ut sanet; doctoris, ut instruat doceatque: ita pœnitentes ad hoc tribunal accedunt ut rei iudicandi, ut infirmi curandi, ut ignorantes illuminandi. Si nollent a iudice iudicari, a medico curari, instrui a doctore; essent ne veri pœnitentes? Ergo larvati & ficti pœnitentes sunt, dum prævidentur rebelles lumini, & instructioni magistri, & doctoris ex officio docere obstricti.

X.

X. Validius urgeo adversarios. Isti omnes fatentur, illuminandum coniugem pœnitentem laborantem ignorantia vincibili. Atqui ignorantia invincibilis iuxta omnes tum evadit vincibilis, cum homo addiscere veritatem potest, eamque repellit. Hæc doctrina inconcussa est, & extra disputationis aleam constituta. Iuxta Probabilistas coniuges isti prævidentur rebelles veritati manifestandæ. Ergo illorum ignorantia, quæ antea erat invincibilis, fit vincibilis ex hac prava animi dispositione, in qua prævidentur non suscepturi notitiam veritatis. Quid ad hæc Probabilistæ? Patet ne ad effugium rima aliqua? Cur Confessarius silet? Quia prævidet a coniuge pœnitente non excipiendam veritatem, si eam manifestet. Hæc tota silendi ratio. Falleris. Sunt infamia, scandala, mors, vel alia gravissima mala oritura, quæ silentium præscribunt. Ineptis. Hæc absurda non imponunt silentium, si ignorantia sit vincibilis, ut omnes ad unum Probabilistæ confitentur. Atqui in casu nostro ignorantia, quæ alioquin invincibilis erat, fit vincibilis illo ipso momento quo coniuges prævidentur non amplexuri notitiam veritatis a Confessario manifestandæ. Ergo incommoda, difficultates, scandala, quæ timentur, honestare nullo modo valet Confessarii silentium.

XI. Sed ad examen veniat monitum Salmanticensium, inquientium, in hypothesi ignorantiæ vincibilis, manifestationem veritatis faciendam esse post confessionem, ne Confessarius *se exponat periculo irritandi sacramentum, si illa forte non apponat propositum efficax recedendi ab illo periculo*. Peregregie. Non requiritur ergo efficax propositum servandi omnia mandata divina, & ecclesiastica? Ipsi ergo Theologi probabiliter suspicantur pœnitentes destitutos hoc firmo & stabili proposito servandi mandata omnia? Idcirco enim post confessionem peractam pandendam veritatem docent, ne si ante absolutionem denuntietur, irritandi sacramenti periculum occurrat. Hæ sunt evangelicæ regulæ pro sacramento pœnitentiæ?

XII. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *num.* 540. recensitam obiectionem hoc pacto dissolvit. „ Nec obstat quod qui ita animo comparatus est, ut non desisteret ab usu matrimonii, si resciret matrimonium suum esse nullum, non videatur dispositus ad absolutionem. Nam hoc verum est, si ita comparatus sit ex „ actu voluntatis præsente, vel præterito habitualiter perseverante, *non autem si ita „ comparatus sit ratione actus tantum conditionate futuri : quia non ideo nunc est, „ sed tantum esset male dispositus, si resciret : ergo non ideo iam est, sed tantum esset indispositus*. Id patet in aliis exemplis: nam multi non sunt ita animo comparati, ut abstinerent a peccatis, si essent lento igne torquendi; & tamen nunc „ dispositi sunt ad absolutionem, quando de facto nec habitualem, nec actualem „ habent comparationem animi ad peccandum, licet pro tali circumstantia habituri essent. Imprudentia autem esset illis talia proponere, & sic tentare, ac inducere in peccatum. “

XIII. Integrum responsum rescripsi, ne fabulatores de more calumnientur, me truncatas exhibere Casuistarum opinationes. Expendamus nunc subtilem & vanissimam speculationem. Imprudentiam, ut ab ultimis verbis incipiam, esse pœnitentibus proponere atrocissima tyrannorum tormenta fateor. Sed cur? Quia hic & nunc non urget præceptum subeundi martyrium. Ideo imprudentissimus foret Confessarius, si pœnitentium imbecillitatem in discrimen adduceret eo tempore quo nulla adest occasio martyrii subeundi. Ceterum, ut adversarios proprio mucrone conficiam, finge paratum ignem, tyrannumque pro tribunali sedere, atque mortem denuntiare. Numquid hoc in casu admonendus pœnitens non esset? Numquid non animandus, non erigendus, ut se forti animo præpararet ad subeundum incendium lentum? Numquid tacendum? Numquid silendum? Tunc ergo solum imprudens Confessarius esset, quando, nulla occurrente martyrii occasione, nulla adesset imbecillitatem pœnitentis tentandi caussa. Quandoquidem dum non urget præceptum heroicum fortitudinis christianæ facinus præstandi, neque Deus dispensat illam peculiarem gratiam ad id necessariam. En cur imprudenter Confessarius proponeret pœnitenti incendium lenti ignis. Verum in casu nostro urget & instat præceptum non adulterandi; & divina gratia adest, qua impleri præceptum possit, & peccatum vitari. Ergo ineptum est exemplum productum a P. La-Croix: & tota argutatio sophistica est & cavillatoria. Quid! Non est indispositus, *si ita comparatus sit, ratione actus tantum conditionate futuri: quia non ideo nunc est, sed tantum esset male dispositus, si resciret. Ergo non ideo iam est, sed tantum esset indispositus*. Argutatio hæc genuinus fetus est modi opinandi alieni prorsus ab evangelica simplicitate. Utique actus nunc non est; sed adest animus paratus ad actum. Nonne hic & nunc Confessarius prævidet non profuturam monitionem ob imbecillitatem pœnitentis? Ergo hic & nunc deprehendit pœnitentem imparatum ad suscipiendam notitiam veritatis, & præcepti ad proprium statum attinentis. Ergo Confessarius omittens admonitionem ex hoc capite, quod prævideat pœnitentem imparatum ad eam christiana humilitate & obedientia suscipiendam, sacrilegam absolutionem impertit, & contra proprium ministerium prævaricatur.

XIV. Altera opinio, quam Salmanticenses cum Sanchez, & aliis defendunt, nempe Confessarium neque ante matrimonium debere coniuges admonere impedimenti, si prævideat nihil se profuturum, est evidenter falsa, & laxissima. Theologi graviores docent, monendos tunc pœnitentes esse, & media excogitanda opportuna ad matrimonium differendum. Quod si tales occurrant circumstantiæ in quibus nullo modo differri matrimonium possit (quod perraro, & rarissime accidit) tunc communiter suggerunt, aut utendum privilegio bimestri, aut eliciendum castitatis votum, usque dum obtineatur dispensatio vel ab Episcopo, qui in tam urgente necessitate impertiri eam valet, vel a Romano Pontifice, si tempus permittit. P.

Pa-

Patritius Sporer *cap.* 11. *sec.* 11. *num.* 455. zelo succensus clamat: *Surge, curre, adiuva sororem tuam in tanto periculo trepidantem*. Immo non modo soror, sed frater etiam adiuvandus, sed prudentia evangelica, non humana. Non minus vera, & opportuna est altera exclamatio eiusdem P. Sporer ibidem: *Utinam non saepe eblandirentur multa graviora, seu iniquiora*! Verissimum axioma. Et hoc scilicet principio non pauci recentiores eblandiuntur longe graviora, & iniquiora, ut vocibus P. Sporerii utar; quemadmodum mox patefaciam.

§. I.

PRIMA REGULA GENERALIS

servanda a Confessario contra recensitam doctrinam plurium recentiorum. Laxa P. Gobat sententia improbatur.

I. Plurima scripsi, ut iam indicavi, *cit. diss.* 1. *cap.* IV. contra narratas opiniones, quae ibi legi possunt, ne actum agam. Cursim pauca addam. Principium, quo recentiores docent, omittendam a Confessario admonitionem, quia scilicet poenitens praevidetur non paratus, non dispositus, non promptus ad eam acceptandam, est evidenter falsum, Evangelio Christi vi evidentis ratiocinii adversum, laxitatis plenissimum, unde sacrilegia, & innumera absurda proficiscuntur. Si enim imparatum poenitentem prudenter iudicant ad recipiendam manifestationem veritatis, & ad servanda mandata, prudenter illum praesumunt obfirmatum in prava animi dispositione, & Deo voce Confessarii illuminanti rebellem. Possem petere ab his recentioribus, unde certo sciant ignorantiam esse invincibilem? unde certo sciant talem ignorantiam non esse effectum malitiae poenitentis? unde certo sciant non profuturam veritatis explicationem spiritu Dei factam? unde certo sciant poenitentem, reconciliationem, & foedus in sacramento poenitentiae cum Deo stringentem, adeo illo ipso momento esse obduratum, ut respuere paratus sit veritatem suum statum spectantem? unde certo sciant, Deum, qui ad tribunal poenitentiae poenitentem vocavit, non infusurum esse gratiam qua illum paratum efficiat? Citati Auctores gratiam a Deo quocumque tempore impertiri vel ipsis obcaecatis, & obduratis docent: & nunc vel ipsis poenitentibus sacramenta percipientibus desperant illuminationis gratiam donandam fore? Invehuntur illi, & merito, contra haeresim Iansenii, effutientis deesse iustis gratiam qua possibilia praecepta fiant. Quo ergo fundamento passim illi impossibilia divina praecepta, & deesse gratiam ad illa servanda evulgare audent?

II.

II. Testimonia Innocentii III. & S. Augustini *loc. cit.* palam feci inepte contra nos obtrudi, non secus ac præceptum correctionis fraternæ non urgere, quando desit futuri profectus spes. Vide ibi obiectiuncularum plurium confutationem. Ibi quoque legenda sunt absurda monstrosa quæ hanc recentiorum opinionem consequuntur. Aliqua hic indicabo. Non obstringetur Confessarius 1. admonere pœnitentes invincibiliter ignorantes esse restituendum lucrum ultra sortem exactum tamquam ex benevolentia debitum. 2. Vir equestris provocatus ad duellum bona fide putat acceptandum esse, ne honor obnubiletur, & ignaviæ notam incurrat. Non erit illuminandus, quia non datur spes profectus. 3. Quot bona fide existimant licitam esse calumniatoris & falsi accusatoris occisionem, quando nullus alius modus occurrit evadendi infamiam, & damna inferenda? Silendum. 4. Illi bona fide certo credunt posse iudicem iudicare secundum opinionem minus probabilem, & pecuniam posse accipere, quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles. Tacendum. 5. Isti licitum esse credunt bona fide retineri concubinam valde utilem ad oblectamentum. 6. Illi interrogati a potestate publica de fide Christi, credunt usum restrictionum mentalium non esse vetitum. 7. Puellæ certo existimant procurandum esse sine peccato abortum fetus non animati ad evitandam infamiam. 8. Plurimi pro certo habent, non esse deserendam occasionem proximam valde commodam.

III. Hæc & sexcenta alia similia paradoxa ignorari invincibiliter posse non negabunt adversarii, si illa invincibiliter ignorarunt Doctores benigni ætatis ultimæ. Ori ergo digitum imponere sibi debent Confessarii, quoties prævident pœnitentes adeo esse his flagitiis addictos, ut nihil eis profutura admonitio sit, sed in bona fide relinquendi erunt. Nec est quod opponas, impedimentorum ignorantiam esse facti, non iuris. Quoniam cavillatio isthæc nimis vana est: nam in quolibet casu practico ignorantiæ iuris immixta ignorantia facti est. Ceterum, ut lectori compertum sit, quo laxitatis tendat hæc opinandi ratio, legat quæ hoc de silentio Confessarii scripsi tum *loc. cit.* tum *Tom. IX. de obligatione Confessarii* instruendi pœnitentes, & tandem, quæ sequuntur, legat.

IV. P. Georgius Gobat tract. VII. num. 315. „ Quid faciet Confessarius, si videat pœnitentem ex invincibili ignorantia obnoxium v. g. mollitiei, cuius gravitatem edoctus ob habitum pravum vix abstinebit? His verbis proposita fuit illa quæstio, applicataque huic peculiari vitio, cum posset pluribus. Respondi autem ex scriptis illo *cit. cap.* XXXVII. *num.* 61. si probe consideratis circumstantiis illius pœnitentis, omnino iudicetur *nihil plane profuturam monitionem*, sed cognito a se committi grave scelus, nihilo rarius patraturum illud quam fecit ignarus turpitudinis tantæ, coram Deo DISSIMULANDAM ESSE MANIFESTATIONEM VERITATIS. “

V.

V. Vel ipsorum contra naturam flagitiorum notitia ignorantibus manifestanda non est, sed dissimulanda veritas? Dum tam monstrosa laxitatis commenta detestanda Christianis proponimus, patroni mollioris Ethices vociferantur, nos imponere Casuistis. Sed pudere tandem aliquando illos deberet tam impudentis calumniae. Subdit P. Gobat, se censere vix esse Confessarium tam sagacem qui prudenter iudicare queat de quoquam suam admonitionem non profuturam ad imminutionem tot peccatorum contra naturam. Verum continuo subiicit

VI. Idem P. Gobat ibidem *num. 317.* „ Et vero non semel didici esse qui inculpabiliter ignorarent mortalem malitiam huius flagitii. Igitur, practice loquendo, non tam quaerendum est de illo qui plane numquam peccatum illud omittet ob cognitam turpitudinem, quam de illo solo *qui vix* omittet, seu vix abstinebit, ut loquuntur illae litterae, idest qui quandoque, etsi rarissime, abstinebit, sicuti, proh dolor! gemunt Confessarii se nactos complures huius foedissimi simul & foeridissimi surfuris. *De hoc quoque censeo intelligendam sententiam D. Augustini. Moraliter enim non tam prodest, quam obest* ILLA MONITIO, quae tantum impediret sex, octo, decem peccata formaliter mortalia, causabit autem ducenta, trecenta itidem mortalia. "

VII. Sententia Augustini inquientis: *Si scirem tibi non prodesse, te non monerem, te non terrerem:* turpiter abutuntur recentiores, qui illam ex Doctoribus novissimis bona fide transcribunt, quin unus eam in fonte suo legerit. Consule *Tom. I. Appar. diss.* I. *cap.* IV. ubi integram ex Augustino, non ex Casuistis rescripsi. Alloquitur Doctor sanctus moribundum, eumque ad spem erigit animatque. Et Casuistae hanc tanti Doctoris sententiam ad tegenda silentio horrenda contra naturam scelera detorquere non dubitant. Habes lector, quin plura alia monstrosa portenta, sicut possem, transcribam, quo laxitatis prolapsa sit opinandi libertas. Si admones, inquit P. Gobat, obtinebis ut ab octo, vel decem pollutionibus formalibus poenitens abstineat. Interim ducenta, & trecenta flagitia formalia perpetrabit. Quae autem comparatio inter decem & trecenta? Ergo silendum, permittendumque ut materialiter se se in luto libidinis volutet: quia cum sua ignorantia inculpata portas caeli ingredietur. Hi sunt fetus nimiae benignitatis, quam in christianam Theologiam intrusam Romana Sedes deplorat, tamquam corruptelarum fontem.

§. II.

§. II.

SECUNDA REGULA GENERALIS
silentii observandi a Confessario super matrimonii impedimentis.

I. Numquam silere Confessarius absque sacrilega proprii ministerii prævaricatione potest, ex eo quod prævideat pœnitentem, sive coniugem, sive quemcumque alium, non suscepturum admonitionem. Pœnitens coniux, inquiunt citati Probabilistæ, bona fide perseverat in matrimonio nullo, illius adulteria sunt materialia. Experrectus Confessarius deprehendit istius coniugis ad libidinem propensionem, amorem ardentem erga coniugem, & ad continentiam servandam imbecillitatem. Si moneatur, ex adultero materiali evadet formalis. Prævidet eum non habere dispositionem ad hoc præceptum servandum. Ergo silendum, ergo tacendum. Hæc doctrina, ut locis indicatis palam feci, hostiliter cum Evangelio pugnat.

II. Quando ergo licite, prudenterque silere Confessarius potest, & debet? Paucis rem habeto. Quoties a voluntate coniugis pœnitentis non pendet remotio impedimentorum: quoties coniux pœnitens recte comparatus prævidetur ad ea omnia præstanda quæ in illius sunt potestate constituta: dignoscitur ita abhorrere peccatum mortale, ut omnia perferre sit paratus ne illud admittat (larvatus enim est Christianus ille qui infamiam, bonorum iacturam, proscriptionem, & mortem ipsam sustinere paratus non sit, ut mortalem Dei offensam evitet:) verum, etiamsi coniux pœnitens in hac optima dispositione constitutus sit, & moneatur, animeturque a Confessario, non propterea removere ipse impedimenta, obstacula, scandala potest. Finge, mulierem matrimonium bona fide contraxisse, irritum ob impedimentum occultum consanguinitatis, affinitatis &c. Mulier hæc femina fortis est, & christiana fortitudine instructa, & totius mundi contemptrix. Moraliter certus Confessarius est, quod monita ea omnia præstaret quæ ab illa penderent: omnia sustineret incommoda, infamiam, persecutiones, & mortem ipsam. At cuncti illius conatus ad fœdus coniugale infringendum irriti futuri sunt & inanes: quandoquidem Ecclesia connubia, ritu publico, & solemni celebrata non dissolvit, nisi certis probationibus adductis. Mulier hæc documentis, quibus matrimonii firmitatem labefactet, destituta est. Scelus suum, unde ortum impedimentum est, fatebitur iureiurando firmatum; at explodetur a iudice ecclesiastico ut impudens & infamis. Hæc omnia prævidet, aut prævidere Confessarius debet. Quid ergo aget? Monebit? Imprudentissimus esset, si moneret.

Quo-

Quoniam monitio tunc nihil boni, & innumera mala, & ſcandala pareret. Iſte eſt unicus caſus in quo ſilere prudenter Confeſſarii debent, uſquedum diſpenſatio obtenta fuerit. At non idcirco ſilent, quia pœnitentes coniuges minus comparati ſunt ad monitionem ſuſcipiendam, ut Probabiliſtæ falſo docent; ſed quia caſus remedium ob circumſtantiarum congeriem non admittit: quia quamvis coniuges paratiſſimi ſint ad ea omnia præſtanda quæ ab illorum voluntate pendent; nihilominus removeri obſtacula nequeunt, non ex defectu huius aut illius coniugis, ſed ex natura & multitudine circumſtantiarum quibus involutus caſus eſt. Vix tamen umquam ſimiles occurrunt caſus; at ſi occurrerent, tacendum eſſet. Quoniam prudentiſſime Eccleſia difficilem ſe præbet ad matrimonia contracta labefactanda; & iure exigit probationes certas, antequam eadem dirimat: quia alioquin via latiſſima pateret improbis & petulcis viris, & feminis ad matrimonia pro libidine, odio, aliiſque cauſſis reſcindenda. Idcirco facilius tolerat aliquod matrimonium ambiguum, quod probari evidenter irritum nequit, quam ianuam aperire ad rata matrimonia reſcindenda cum magna Reipublicæ chriſtianæ perturbatione, & ſcandalo.

III. Vides nunc, & manibus tangis, quam turpiſſime labantur illi qui hoc Confeſſarii ſilentium ex imbecillitate, & indiſpoſitione conditionate futura pœnitentium repetunt. Unde poſtea monſtroſa illa paradoxa, quæ indicavimus, inferunt, non eſſe videlicet monendos molles, neque rei alienæ detentores, neque feneratores, neque concubinarios, neque blaſphemos, neque periuros &c. qui laborantes ignorantia invincibili ex ſceleratis materialibus fierent ſceleſti formales abſque futuri profectus ſpe. Ad ſummum, inquit P. Gobat, evitabuntur decem, & perpetrabuntur trecenta crimina formalia. Lege plura locis citatis.

§. III.

Quomodo ſe gerere coniuges debent dubitantes de valore matrimonii contracti? Probabiliſmi commenta labefactantur ſummorum Pontificum, & SS. Doctorum auctoritate.

I. QUæſt. unic. *An ſi coniugum alter prudenter dubitet, validum ne ſit matrimonium contractum, petere, aut reddere queat?* Reſp. Qui poſt contractum bona fide matrimonium dubitat de eiuſdem valore, continuo inquirere diligenter debet ut veritatem deprehendat. Si negligens in veritatis inveſtigatione fuerit, pro qualitate negligentiæ delinquet. Si poſt adhibitam humanam diligentiam dubitatio perſiſtat, reddere debet coniugi non dubitanti. Qui enim non dubi-

bitat, ius habet ad exigendum : quo iure ex dubio alterius privari non potest. Si quis dubitat de morte prioris coniugis, post nuptias bona fide contractas, durante dubio, reddere innocenti debet, inquit cap. *Dominus* de secund. nupt. Lucius III. *Si aliquis, vel aliqua de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris coniugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem coniugem revertatur.*

II. Si quis post adhibitam diligentiam adhuc dubius in utramque partem hæreat, quid agendum? Salmanticenses *num.* 46. cum Sanchez, Bonacina, Reginaldo, Coninch, respondent, & reddere, & petere hunc posse : quia, inquiunt, hic laborat ignorantia invincibili, quæ adhibita diligentia vinci non potest. Ignorantia invincibilis hæc probabilistica est. Addunt *num.* 47. Quando uterque dubitat ante adhibitam diligentiam pro nanciscenda veritate; neuter petere, aut reddere valet. Quæ sententia vera est. At si, adhibita diligentia, adhuc dubium perseveret, tunc & petere, & reddere iure valet, inquiunt illi : quia uterque laborat ignorantia invincibili. Licet PP. isti ex instituto Probabilismum non propugnent; semper tamen, occasione data, doctrina probabilistica utuntur. Opiniones istæ, queis docent posse & peti, & reddi, dubitatione persistente, falsæ sunt, & reiiciendæ.

III. Innocentius III. eas improbat cap. *Inquisitionibus* de sentent. excom. & difficultates Ecclesiæ doctrina resolvit, inquiens : *Credimus distinguendum, utrum alter coniugum pro certo sciat impedimentum coniugii, propter quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit : an non sciat certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus, utrum habeat conscientiam huiusmodi ex credulitate levi & temeraria, an ex PROBABILI & discreta : & quidem ad sui Pastoris consilium (conscientia levis, & temerariæ credulitatis explosa) licite potest non solum reddere, sed exigere debitum coniugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate PROBABILI & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta; debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem coniugii, vel contra consilium conscientiæ committat offensam.*

IV. Qui igitur ex levi conjectura dubitat, iuxta consilium prudentis viri explodere dubitationem debet, & petere, ac reddere. Qui certus de impedimento est, nullo modo reddere, aut petere potest, sed potius humiliter excommunicationis pœnam latam a iudice ecclesiastico sustinere. Si tandem probabiliter dubitat, reddere, sed non petere valet; ut definivit Innocentius III. & docet S. Thomas,

mas in *IV. dist.* XXXVIII. *in expos. litteræ* inquiens : *Si oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa quæ etiam certitudinem facere possit, non debet nec reddere, nec exigere debitum : si autem illa causa facit probabilem dubitationem, debet reddere, sed non exigere. Si autem sit levis suspicio, potest utrumque licite facere : quia debet illam causam potius abiicere quam secundum hoc conscientiam formare.* Hanc eamdem doctrinam tradit Doctor seraphicus S. Bonaventura in *IV. dist.* XXXVIII. *in expos. litteræ sub fin.* his verbis. *Si mulier incipiat post contractum matrimonium dubitare de morte prioris viri : aut est dubitatio levis; & hæc secundum consilium Prælati poterit a corde removeri, & poterit debitum exigere, & reddere. Si vero probabiliter dubitat, debitum debet reddere, sed non exigere. Si vero certificatur de vita primi viri, nec petere debet, nec reddere, sed statim secundum virum deserere.*

V. En quomodo unanimi voce & Pontifices Romani, Lucius ac Innocentius sæculo XII. & sancti Thomas ac Bonaventura sæculo XIII. commentum probabilisticum explodant & improbent. Docent enim, persistente dubitatione ex rationibus utrimque æqualiter probabilibus orta, reddi, non exigi posse; atque adeo quod tutius est, amplectendum. Tutius autem est non petere. Nam qui petit, periculo fornicationis se exponit, quod non petendo declinat. Nec est quod opponas, tutius quoque esse non reddere : quoniam hoc falsum est in hoc casu. Qui non dubitat, ius certum habet petendi. Sola dubitatio e possessione iuris certi detrudere possessorem nequit. Ergo qui dubitat, si negaret reddere debitum certum petenti, manifestam iniustitiam committeret. Fornicatio autem in reddente est solum dubia. Ergo in hoc casu tutius est reddere quam negare. Quando enim duo mala necessaria occurrunt, minus est eligendum; ut sacri canones docent. Nam cap. *Duo mala*, dist. XIII. hæc habentur. *Duo mala licet sint omnino cautissime præcavenda; tamen, si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit, id debemus resolvere quod minori nexu noscitur obligare.* Rursus can. *Nervi*, ibi ex S. Gregorio Papa. *Est quod ad destruendas Behemot versutias subtiliter fiat, & dum mens inter minora, & maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur.* Iterum cap. *Non solum* XXII. quæst. IV. *In omni quod agimus, hæc est moderatio solertius observanda, ut si in talem forte lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possimus, illum potius evadendi aditum petamus in quo minus periculi nos perpessuros esse credimus.* Accedit cap. *Ad audientiam*, de homicidio. *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.* Denuo cap. *Iuvenis* de sponsalib. *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Et tandem cap. *Illud* de Clerico excom. *In dubiis via tutior est eligenda.*

VI. Hæ sunt Ecclesiæ voces, hæc Romanorum Pontificum oracula. Quando ani-

animus inter duas opiniones anceps hæret, illud feligendum in praxi eſt quod tutius apparet, ſeu quod magis a peccato removet. Contra Probabiliſtæ in medium prodeuntes, clypeo illius ineptæ diſtinctiunculæ iudicii directi & reflexi obarmati, clamant, inter opiniones æque probabiles non eſſe ſeligendum quod eſt tutius, ſed e contrario quod magis favet propriæ libertati, & poſſeſſioni.

VII. Immo P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *num.* 299. hæc ſcribit. „ Qui „ probabiliter putat matrimonium eſſe validum, licite petit debitum: tum quia „ eſt poſſeſſio pro illo, tum etiam quia aliquis poteſt hic uti & alibi ſequi ſen- „ tentiam probabilem . . . *Additque* Averſa, *etiamſi opinio pro invaliditate eſſet* „ *PROBABILIOR; & hoc eſt conformior dictis l.* 1. *a num.* 268. *de licito uſu opi-* „ *nionis probabilis.* "

VIII. Ita decidunt Probabiliſtæ contra ſummos Pontifices, Lucium, Innocentium, Alexandrum, Gregorium, contra Eccleſiæ Doctores Thomam, Bonaventuram, &, quod rem conficit, contra decretum Innocentii XI. præcipientis in ſacramentis tutiorem partem eſſe eligendam, dum agitur de eorum valore. Quid quod ipſe La-Croix *loc. cit. num.* 38. ſcribit? „ Ex damnatione illius propoſitionis „ ſequitur illicitum eſſe contrahere matrimonium ſequendo opinionem tantum pro- „ babilem de illius valore, relicta tutiore . . . Quamvis enim *Filguera* explicans „ hanc propoſitionem damnatam putet non prohiberi praxim illorum quæ non „ ſunt de iure divino, ſed tantum de iure eccleſiaſtico, uti ſunt multa in mate- „ ria matrimonii; *ſententia tamen illa reiicitur ab omnibus:* & ratio eſt, quia fi- „ nis damnationis erat, ne ſacramentum exponeretur periculo nullitatis, cui ex- „ ponitur, quando aliquid omittitur quod ad valorem requiritur, etiam de iure „ tantum eccleſiaſtico. "

IX. Heinc conſtat, Probabiliſtas propriis antilogiis ſemetipſos conficere, atque in re graviſſima, qualis eſt ſacramentaria, imperitis fucum facere. P. La-Croix hic fatetur *Filguera* in ea hæſiſſe ſententia, propoſitionem 1. damnatam ab Innocentio XI. intelligendam eſſe reſpectu eorum quæ ſunt divini iuris, ut ſunt materia & forma, ſecus reſpectu eorum quæ ſunt iuris eccleſiaſtici. Verum, inquit P. La-Croix, *ſententia illa reiicitur ab omnibus*. Contra clamat P. Dominicus Viva de *ſacram. pœnit. quæſt.* VIII. *art.* 2. *num.* 2. proſcriptam theſim intelligendam eſſe ſolum reſpectu materiæ, & formæ, quæ ſunt iuris divini, ſecus reſpectu eorum quæ ſunt iuris eccleſiaſtici, ut eſt iuriſdictio Confeſſariorum. Inquit enim: *Nihilominus cenſeo licitum eſſe abſolvere cum iuriſdictione probabili, ut fuſe docui in expoſitione illius primæ theſis ab Innoc. XI. confixæ. Pro hac ſententia* Gobat tract. VII. num. 116. *numerat centum triginta Doctores.*

X. Quinam ſunt iſti *centum triginta Doctores?* Quid, ſi maioris partis nomina referrem? Alii ſunt nullius nominis, alii ſunt damnati ab Eccleſia ob theſes ſcandali

dali plenas evulgatas. Profecto inter citatos a P. Gobat est Doctor Ioannes Sanchez, proscriptus ob laxissimas opiniones. Quid quod P. Gobat scripsit plures annos ante decretum Innocentii XI.? Quid quod P. Gobat non numerat centum triginta Doctores? En verba Gobat *loc. cit.* a P. Viva edit. Monachii pag. 539. *Auctoritate sexaginta quinque Doctorum firmavi in clyp. Clem. Iurid. &c. quibus alios addere possum*. *To alios addere possum* dilatavit P. Viva ad *centum & triginta*. Tandem P. La-Croix scribit, *omnes* Doctores improbare usum opinionis probabilis, dum agitur de valore sacramenti etiam respectu eorum quae sunt iuris ecclesiastici; ut sunt iurisdictio, & impedimenta matrimonii. Contra P. Viva cum Doctore Gobat ait, centum triginta docere oppositum. Haec obiter nunc indicare libuit. Vide plura *Tom. IX.* de iurisdict. probabili Confessar.

XI. P. Dominicus Viva de *sacram. matrim. quaest.* VII. *art.* 3. *num.* 9. *pag. mihi* 133. „ Demum si alter habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, & „ simul habeat opinionem probabilem de eius valore, licite potest petere, & red„ dere; cum possit amplecti alterutram opinionem probabilem, quam mavult, „ *etiam si una sit probabilior quam altera*. " Haec doctrina est contra sacros canones, contra SS. Doctores Ecclesiae, &, nisi me omnia fallunt, evidenter contenta in *thesi* 1. damnata ab Innocentio XI. Nam hic agitur de valore sacramenti matrimonii. Unum posset reponi, nempe thesim proscriptam intelligendam esse de materia & forma, quae sunt divini iuris, non de impedimentis iuris ecclesiastici. At P. La-Croix testatur, *omnes* improbare hanc opinionem, eludentem censuram proscriptae thesis. Ergo, teste P. La-Croixio, iuxta *omnes* damnata est opinio P. Viva.

XII. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *num.* 302. inquit: „ Si matrimonio „ bona fide contracto superveniat dubium de valore, & post inquisitionem nil re„ sciri, nec dubium deponi possit; *prima sententia*, quam tenet S. Thomas, S. Bo„ naventura, S. Antoninus, P. Soto, Ledesm. Val. Vasq. Azor. Rebell. Pont. Hurt. „ Turr. Arr. Aversf. & alii 17. cum Schild. dicit, posse quidem reddere debitum, „ sed non petere, quia id videtur esse decisum cap. *Inquis.* de sent. excom. . . . „ *Secunda sententia*, quam tenent D. Sot. Veracrux, Vict. Lopez, Suarez, Con. „ Laym. Bon. Reg. Less. Lorc. Bress. Lug. Bos. Bardi, Sanch. Dian. Dicast. Teril „ Carden. dicit, posse etiam petere debitum . . . . *Atque haec secunda sententia* „ *videtur, saltem spectata ratione, esse probabilior*. "

XIII. Sententia, quae est evidenter contra Romanos Pontifices, Lucium III. Innocentium III. Innocentium XI. aliosque sacros canones, contra prima Theologiae lumina, SS. Thomam, Bonaventuram, Antoninum Archiepiscopum, & ceteros gravissimos Theologos, a P. La-Croix asseritur *probabilior*, saltem spectata ratione. Quia Terillus, Veracrux, Bresserus, Coninchus, Diana, Dicastillus profun-

diores Metaphyſici ſunt, & in re ſacramentaria doctiores atque eruditiores quam Romani Pontifices, quam Eccleſiæ Doctores. Hæc curſim indicare libuit, ut intelligant lectores, damnatam probabiliſticam theſim ab Innocentio XI. in controverſiis in quibus agitur de valore ſacramentorum, a non paucis Probabiliſtis promoveri & propugnari, niſi fallor ipſe. Sed lectores ipſi ſint iudices.

CAPUT VII.

De matrimoniis nullis redintegrandis.

I. Matrimonium irritum eſſe poteſt vel ob defectum conſenſus, qui potuit eſſe fictus, aut metu & errore extortus; vel propter impedimentum, ſive publicum, ſive occultum; vel quia defuit præſentia Parochi, & teſtium. Matrimonium quocumque ex his capitibus nullum ut redintegretur, & convaleſcat, ea omnia ſuppleri debent quæ iuxta Eccleſiæ leges ſervanda primum fuiſſent. Si defuit præſentia Parochi & teſtium, coram Parocho & teſtibus redintegrandum eſt. Si fictus ex utraque parte conſenſus fuit, vel vi, aut metu extortus, renovandus per verba aut ſigna exteriora eſt ex utraque parte. Si irritum matrimonium fuit ob aliquod impedimentum dirimens, per diſpenſationem, aut alia auferri via debet.

II. Quæſt. I. *An coniugi adfirmanti ſibi defuiſſe conſenſum adhibenda fides ſit?* Reſp. Non modo credendum non eſt, ſed contra, abſolute loquendo, præſumendum eſt conſenſum adfuiſſe; ut habetur cap. *Per tuas* de probationibus, ubi ſtatuitur, mulieris, quæ una cum marito ſuo filium ex ſe procreatum publice recognoverat, non eſſe ſtandum iuramento in contrarium præſtito. Et profecto quæ adhiberi fides poteſt illi qui coram Parocho, & teſtibus ſacrilego mendacio ſacramentum matrimonii profanare auſus eſt? An non veroſimilius eſt, nunc potius quam illo ipſo tempore quo ſacramentum celebravit, illum mentiri? Quid, ſi perſona optimis moribus inſtructa, a periurio prorſus aliena, cum iuramento in articulo mortis aſſereret ſibi defuiſſe conſenſum? Quid, ſi Religionem ingredi vellet? His in circumſtantiis adhibenda cura eſſet ad veritatem explorandam: ſi dubium vero poſt diligentiam adhibitam oriretur, redintegrari, &, ut dicitur, revalidari matrimonium modo opportuno iuxta prudentum conſilium deberet.

III. Communiter Auctores docent, non eſſe fidem adhibendam aut famæ nullo certo auctore ortæ, aut viris fide non dignis, aliquod impedimentum teſtantibus; ſed, his teſtibus ſpretis, matrimonium contrahere, & poſt contractum petere, & reddere quiſque poteſt. Quoniam nec teſtes fide indigni, nec fama ab incerto auctore manans præbent prudentem dubitandi rationem. Qui poſt contra-

ctum

ctum matrimonium audit ab homine fide digno, etiam sub iuramento aliquod impedimentum testante, non tenetur illico credere, & debitum negare: quia unius viri, quantumvis fide digni, testimonium non inducit necessitatem credendi, præsertim in proprium damnum; ut habetur cap. *Cum a nobis*, de testibus & attestationibus. Hoc tamen testimonium sufficit ut quis prudenter dubitare debeat, & teneatur ad inquirendam veritatem: & in tali statu reddere coniugi non dubitanti, nec alio ex capite iure petendi privato astringitur; petere tamen non potest. Si post diligentiam in exploranda veritate adhibitam impedimentum non deprehendat, deponere dubitationem debet, & petere, ac reddere. Ante vero quam matrimonium contrahatur, unus testis fide dignus sufficit ut a celebrando matrimonio quis abstineat.

IV. Si impedimentum dirimens publicum sit, vel ad forum contentiosum deductum, & de opposito non sit indicatum, immo duobus testibus fide dignis probari possit irritum; tale matrimonium, ablato per legitimam auctoritatem impedimento, iterari coram Parocho, & testibus debet: quoniam licet Ecclesiæ comperta celebratio sit, ignotus tamen valor est.

V. Quæst. II. *Qui ficte contraxit, tenetur ne ex iustitia consensum verum apponere?* Resp. Negant Sanchez, Hurtadus, Villalobosius, & alii ex vi solius contractus, præciso alio damno. Probabilior sententia adfirmat, obstringi coniugem reum vi iustitiæ verum consensum præbere: quia cuique suum ius servandum est. Sed coniugi sincero animo suum consensum præbenti, & vere contrahenti, iure debetur alterius contrahentis consensus, non modo in ipsa contractus celebratione, verum etiam post celebratum contractum, & toto vitæ tempore: quia pars innocens pro toto vitæ tempore contraxit hac bona fide, ut altera pars suum apponeret similem perpetuum consensum. Ergo si tempore celebrationis debetur consensus iste, eodem iure debetur tempore sequenti. Præterea fatentur adversarii, obstrictum ex iustitia esse deceptorem apponere verum consensum, si pars innocens damnum passa sit. At hoc damnum, modo maius, modo minus, inseparabile est ab eiusmodi contractu ficto: pars enim innocens magnum semper præiudicium accipit aut amissæ virginitatis, aut famæ denigratæ, aut quod maneat innupta. Ergo pars quæ fraudem fecit, eam per legitimum consensum removere astringitur.

VI. Quæst. III. *Quando matrimonium irritum fuit ob aliquod impedimentum dirimens, requiritur ne ut uterque coniux certior fiat?* Resp. Quando impedimentum notum utrique parti est, nulla occurrit difficultas, ut dictum fuit supra. Angustiæ undique premunt, quando una sola pars conscia est, & rea impedimenti, quod manifestari nequit coniugi innocenti absque gravi incommodo, & periculo infamiæ; ut si uxor cum mariti fratre copulam habuisset, aut vir cum coniugis

 so-

sorore. Convenit penes omnes, primum omnium obtinendam esse dispensationem a parte conscia; & tunc temporis eam petere debitum non posse, ut dictum est. Porro ipsæ litteræ dispensationis negotium grave facessunt, & difficultatem gravissimam efficiunt. Siquidem in eisdem hæc habetur clausula. *Ut, dicto coniuge de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur, dispenses.* Sive brevius aliis verbis. *Altero impedimenti ignorante, prius de nullitate consensus prioris certiorato.* Ratio quoque urget. Nam redintegrari contractus nullus haud potest, nisi denuo efficiatur validus. Quomodo autem effici denuo validus potest, nisi utraque pars contrahens denuo rursus consentiat? Uterque vero consentire denuo nequit, nisi utrique constet, matrimonium prius contractum fuisse nullum.

VII. Ut hunc nodum Theologi scinderent, varia excogitarunt. Plures docent, admonendum coniugem innocentem de matrimonio irrito generice & confuse, quin detegatur impedimenti species. Dicat, inquiunt, se anxium esse propter consensum in ipso matrimonio præstitum, & Confessarium inculcasse novum requiri consensum. Sine hac manifestatione pars ignara prioris matrimonii irriti consentit ex errore; immo novum consensum proprie non ponit; sed tantum priorem invalidum renovat, nullo modo intendens novum inire matrimonium, sed priorem invalidum confirmare. Cui argumentationi reponunt alii, hunc errorem esse non circa personam, sed circa qualitatem; atque adeo consensum hunc sufficientem esse.

VIII. Facilis res foret, si hæc manifestatio generica, & confusa nullam in coniuge ignaro suspicionem pareret. Quid enim, si hinc coniux innocens scandalum subeat, & in suspicionem adducatur, alterum coniugem reipsa flagitium perpetrasse? Tunc alii Theologi docent, nullo modo indicandum impedimentum esse, quando talia timentur; sed sufficere ut, obtenta dispensatione, pars impedimenti conscia blanditiis delinire, illicere, & pertrahere coniugem inscium in consensum studeat. Quando nempe videt opportunam occasionem sic alloqui coniugem innocentem potest. *Tali amore te prosequor, ut si nullum inter nos esset matrimonii vinculum, ego sane tibi nubere vellem. Immo nunc te accipio in meum. Hoc ne tu ex parte tua facis?* Si reponat, *Facio*, aut simili verbo novum consensum prodat, confectum negotium est. Advertunt tamen, non sufficere, si coniux conscius dicat, *Vellem*, *facerem*: quia hic non est consensus absolutus, & de præsenti.

IX. Sed quid dicendum, si spes non adsit impetrandi hunc consensum; immo ratio occurrat timendi, coniugem innocentem heinc in suspicionem adductum iri, ut concipiat delicti perpetrati a coniuge reo notitiam, præbeatque responsum illud quod refert P. Sporer *num.* 459.? quod eiusmodi est.

Lum

Iam te habere debeo. Quod si te non haberem, vellem te omnes haberent diaboli.

X. Hoc in casu tertia sententia docet, sat esse ut solus coniux impedimenti conscius renovet consensum, aliquo signo externo verbis, vel factis manifestatum, puta copula affectu maritali habita, quin coniux ignarus ullo modo moneatur: nam iste reddendo copulam ab altero petitam reipsa facto consentit. P. Sporer relatis his sententiis de hac tertia *num.* 460. hæc scribit. „ Ego quamvis „ hanc sententiam speculative, & *reipsa omnino falsam* credam, tamen ob au„ ctoritatem AA. tamquam *practice* probabilis poterit Confessario servire pro ul„ timo remedio, quando nullum apparet remedium meliori modo iuxta primam „ vel secundam sententiam renovandi consensum mutuum matrimonialem. Ego „ ad has angustias numquam redactus sum; sed in casibus *plus æquo frequenti„ bus* aut inveni securiorem modum contrahendi, aut ignaros sui impedimen„ ti, cum adverti non esse satis bene concordes, dissimulans in bona fide re„ liqui. “

XI. S. Augustinus plurimas passus angustias est, & nodos insolubiles de coniugiis adulterinis offendit. Verum Probabilistæ nonnulli facillimo negotio omnia vel difficiliora resolvunt, definiuntque. Si veras sententias, seu veritatem sequi commode valent, eam amplectuntur, & sequendam proponunt. Si veritas incommodat, tunc, inquit P. Sporer, sententia omnino falsa sit regula quam Confessarius adhibere potest. Ad clausulam in litteris dispensationis contentam, *Certiorata parte*, respondet intelligendam esse, quando id commode præstari valet.

XIV. Quando loco principii inconcussi præmittitur, omnia componenda esse absque ullo gravi incommodo coniugis rei, dubio procul aliqua ex recensitis opinionibus adhibenda est. At Romanam Sedem non latet, Theologos has docere opiniones, & nihilosecius præfatam clausulam inserit suis dispensationibus. Explicatio adducta inepta videtur. Nam nemo in controversiam vocat, monendam esse partem, si sine incommodo hoc fieri possit; atque adeo superflua videtur clausulæ adiectio, si tum solum servanda sit cum commode possit. Quid ergo consilii præstas? Ut pro varietate circumstantiarum Episcopi consulantur. Ipsi enim Pastores sunt. Si Superiores, ipsique Romani Pontifices dispensationem impertiuntur hac adiecta clausula, ut pars innocens certior fiat; qua auctoritate Casuistæ tribunal erigunt supra ipsas pontificias dispensationes, eas ultra clausulas restringentes extendendo? Ego sane, si dispensatio pontificia præfata clausula esset coarctata, numquam oppositum consulerem, aut docerem. At clausula executioni demandari nequit absque infamia coniugis rei. Hic autem se infamare recusat, neque ad hoc induci potest, ut impedimentum manifestet. Vivent ergo ambo in perpetuo concubinatu? Permittes ergo istorum damnationem? His terriculamentis moti Docto-

res moderni, ut omnia facili negotio componant, pro ingenio leges detorquent; & usum opinionum, *quas omnino falsas iudicant*, inquit P. Sporer, adhibent. Peto ab illis. Quis Deo de ovibus rationem reddere debet? Casuistæ, an Pastores, Episcopi nempe, & Pontifices? Quibus parendum? Quorum consilia suscipienda? Nonne Pastores constituti a Deo sunt pro gregis regimine? Nonne ipsi & peculiari a Deo lumine perfunduntur, & rationem reddituri eidem sunt ministerii sui? Si ergo ipsi dispensationes coarctant, cur Casuistæ illas amplificant? Quia dispensationes cum tali clausula nequeunt ad praxim deduci? Ergo tunc rescribe ad Pastores, ad Episcopos, vel ad Pontifices summos: exponito clausulam servari non posse: absurda, & scandala quæ timentur, sigillatim enarra. Aut illi clausulam tollent, aut secus. Si primum, caussa finita est. Si secundum, ipsi Deo, non tu, non ego, rationem reddituri sunt. Si Romana Sedes auferre clausulam nolit, illam ne tollent Casuistæ? Minime gentium. In his ergo casibus, non *plus æquo frequentibus*, ut P. Sporer ait, sed perraris, Episcopum, vel Romanam Sedem, missis opiniunculis casuisticis, consule. Hac via & tuæ, & aliorum saluti secure providebis.

XIII. Quæst. IV. *Matrimonium ob impedimentum aliquod occultum dirimens, vel ob defectum consensus &c. irritum, redintegrari ne coram Parocho, & testibus debet?* Resp. Si matrimonium fuerit irritum ob solemnitatis a Concilio Tridentino præscriptæ omissionem, convenit penes omnes redintegrandum esse coram Parocho, & testibus. Disputatur de matrimonio solemni ritu coram Ecclesia celebrato, sed irrito propter aliquod impedimentum occultum dirimens, vel propter defectum consensus sinceri & liberi. Si impedimentum publicum sit, deductum, aut deducendum ad forum contentiosum, omnes similiter adfirmant redintegrandum esse coram Parocho, & testibus. De impedimento occulto, quod probari per testes nequit, Theologi etiam gravissimi disputant, num, sublato per dispensationem tali impedimento, innovandus consensus sit coram Parocho, & testibus.

XIV. Adfirmantem sententiam defendunt Theologi doctissimi Basilius Pontius *Lib. V. cap.* VI. Paulus Comitolus *Lib. I. quæst.* CXX. ubi hæc scribit. „ Et quoniam „ non defuit qui de utraque difficultate mecum dissentiret, auctoritate, captiosis„ que argumentis recensitis cuiusdam Theologi victus; idcirco de omni controver„ sia diligentes ipse litteras dedi ad P. Stephanum Tuccium Romanæ Pœnitentia„ riæ Rectorem, ut a quopiam tribunali, cuius iudicio standum esset, responsum „ impetraret. Consuluit is P. doctissimus, & religiosissimus, Clementem VIII. Pon„ tificem maximum, a quo hoc tulit responsum, atque ad me Venetias misit. „ Pontifex respondit esse necessarium novum consensum utriusque coram testibus, „ & Parocho, admonito prius marito de matrimonii nullitate; sed ad evitandum „ scandalum dispensat, ut secreto inter se contrahant, renovato consensu cum le-

„ gi-

„ gitimatione prolis : in pœnitentiam mulier per biennium ieiunet semel in men„ se, & communicet decimo quinto die : & tertiam partem Rosarii recitet quo„ tidie, nisi ex oblivione, vel alio legitimo impedimento. Quare post Apostolicæ „ Sedis diiudicationem nemini est amplius integrum de hac re secus opinari."

XV. Hac tamen de re secus opinantur Sanchez, Bonacina, Castropalaus, Ledesma, Coninch, Henriquez, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 128. quia matrimonium semel celebratum coram Parocho, & testibus, tametsi nullum, ab Ecclesia iudicatum validum est; cum hæc non iudicet de occultis. Idcirco matrimonium istud, semel iudicatum validum, clandestinum non est. Ad responsum Clementis VIII. dicunt, non constare esse authenticum. Addunt, S. Pium V. declarasse oppositum. Tandem concludunt, Clementem VIII. secutum esse securiorem partem. Probabilistis autem sat est sequi opinionem probabilem.

XVI. P. Patritius Sporer *num.* 63. refert, Cardinalem de Lugo adfirmantem, *semper* Romanam Rotam decidere, innovandum esse consensum coram Parocho & testibus. Quia tunc applicanda est forma a Tridentino præscripta, quando contractus validus celebratur. Solemnitas observata, quando contractus irritus fuit, nihil profuit. Ergo, ut contractus valide celebretur, quemadmodum renovatur consensus, ita iterari solemnitas debet. Reponit idem P. Sporer *num.* 465. „ Vides, „ & miraris utramque sententiam ad se advocare Pontificem, Cardinales, & „ Rotam. Sed certe pro neutra parte convincunt eiusmodi testimonia. Tum 1. „ quia de iis non constat nobis authentice. Tum 2. quia Pontifex potuit ita re„ spondere, ut *privatus Doctor tutiora* sequens, non autem docens *ex cathedra*, „ Tum 3. quia cum *utraque sententia sit probabilis*, pro re nata modo unam, mo„ do aliam sententiam Patres illi sequuntur. Tum 4. maxime quia modo suppo„ nunt, vel timent publicationem, vel periculum publicationis talis impedimenti, „ modo non timetur. Quare utraque sententia est vere probabilis : prior quidem „ *tutior* : hæc vero nostra *longe probabilior*."

XVII. Singulari patientia opus est in eiusmodi rescribendis, & refellendis. Sententia quam sequitur Clemens VIII. quam sequuntur Cardinales, & Romana Rota, est *tutior*. Opposita sententia, quam docent Casuistæ, est *longe probabilior*. Cur longe probabilior? Quia plures Probabilistæ eam amplectuntur, utpote commodiorem, benigniorem, & suaviorem. Clemens VIII. & Cardinales sunt *Tutioristæ*.

XVIII. Repeto quod in superiore quæstione dixi. Et principio de responsi dati a Clemente VIII. sinceritate nullus mihi ambigendi locus. Quia Paulus Comitolus, qui distincte illud sibi ipsi datum narrat, Theologus est omni exceptione maior. Quod si Theologus iste, quia Antiprobabilista, non est recentibus Casui-

ftis tantæ auctoritatis, Cardinalis de Lugo ob hanc rationem suspectus esse nequit. Ceterum, ut dixi, controversia hæc nullum mihi facessit negotium. Agitur de iure ecclesiastico, a quo non Probabilistæ, sed Episcopi, extrema necessitate urgente, & Romani Pontifices absolute dispensare iure valent. Si dispensatio eximit ab innovando consensu coram Parocho, & testibus, disputatio omnis evanescit. Si Superiores isti, a Deo constituti in Rectores animarum, non dispensant, omnium Probabilistarum auctoritatem nec teruntii facio: quia isti destituti omnino sunt auctoritate dispensandi. Huc omnia recidunt. De scandalis, de absurdis, infamia, ceterisque malis, quæ consequi aiunt publicam redintegrationem matrimonii, non ego, sed animarum Pastores, qui dispensare, si volunt, possunt, rationem Deo reddituri sunt. Repetere cogor, me summopere admirari Probabilistas illos qui audent contra supremos Pastores tribunal extollere, & istorum dispensationes dilatare ultra confinia ab illis conceptis verbis præscripta. Hæc facillime scribuntur in cella, inquiunt: sed praxis *Confessionarii* spectanda. Angustias sorores nostræ patiuntur: pereunt fratres nostri, in continuo concubinatu versantes: An caritas Christi non urget ut fratribus naufragantibus tabulam porrigamus? Si habes, tabulam porrige. Sed tabula hæc in manibus Pastorum est. Ab illis, distincte omnia mala, incommoda, & pericula repræsentando, enixis precibus petenda & imploranda est. Si illam impertiuntur, summa caritate indigentibus applica; si contra illam denegant, ipsi viderint. Si vero tu contra Pastorum voluntatem eamdem impertis, non præsidium & remedium, quod sanet, porrigis; sed chimæricum remedium subministras, quod nihil prodest accipientibus, & te mortaliter inficere potest ob usurpatam auctoritatem. Consilium ergo meum est ut Confessarii in hoc negotio, in quo de sacramenti valore agitur, non Casuistas, sed Episcopos, & Sanctam Romanam Sedem clare & distincte consulant.

CAPUT VIII.

De aliis peccatis quæ perpetrare coniuges valent in exercitio actus coniugalis contra finem, situm, locum, & bonum prolis.

I. Plura dixi supra *cap.* II. de peccatis sponsorum, & *cap.* III. de peccatis coniugum in contrahendo matrimonio, & *cap.* IV. & V. de peccatis contra honestum matrimonii usum. In præsentia plura explicanda sunt vitia quæ committere coniuges valent contra finem matrimonii, aliasque circumstantias.

II. Quæst. I. *Quomodo peccare coniuges contra matrimonii finem valent in actu coniugali?* Resp. Peccant 1. si ob solam voluptatem commisceantur. Olim plures re-

recentiores Benigniſtæ docebant oppoſitum, quorum ſequentem theſim damnavit Innocentius XI. ***Opus coniugii ob ſolam voluptatem exercitum omni prorſus caret culpa, ac veniali defectu.*** Si tamen voluptas hæc ordinetur ad finem primarium matrimonii, ad generationem nempe prolis, omni prorſus culpa caret: quia tunc voluptas eſt medium ordinatum ad finem. Propoſitio enim damnata eſt ob illam vocem ***ſolam***. Bruta enim, non homines, operantur ob ſolam voluptatem.

III. Quæſt. II. ***Quinam eſt finis ob quem actus coniugalis eſt licitus, & meritorius?*** Reſp. S. Thomas in *IV. diſt.* XXXI. *quæſt.* II. *art.* 2. reſpondet. ***Duobus ſolis modis abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet cauſa prolis procreandæ, & debiti reddendi: alias autem ſemper eſt ibi peccatum, ad minus veniale.*** Benigni recentiores permulti liberaliores in hac materia, ficut in aliis, ſunt. P. Viva *quæſt.* VII, *art.* I. *num.* I. docet actum coniugalem licitum & bonum eſſe, exercitum ad ***ſanitatem corporalem aut recuperandam, aut conſervandam.*** Et hoc, inquit, communius ***docent Doctores.*** Doctores Eccleſiæ oppoſitum aperte docent. Unum allegare ſufficiat S. Thomam, qui in *Suppl. quæſt.* XLIX. *art.* 5. *ad* 4. hæc habet. ***Quamvis intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum; tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum; ſicut qui ex ſacramento baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret: & ſimiliter etiam eſt in propoſito in actu matrimonii.*** Hæc Angelici ratio ſuapte natura luculenta eſt. Matrimonium non eſt ad ſanitatem corporis ſive reparandam, ſive conſervandam inſtitutum. Ergo abutitur matrimonio qui illud exercet tamquam medium quo ſanitatem corporalem quærat. Evidenter ergo falſa eſt opinio quam defendit P. Viva, & quam, ut inquit ille, ***communius docent Doctores.***

IV. Vitiant quoque actum coniugalem, ſi impudentius, & intemperantius agant, inquit ***Lib. de bono coniugali cap.*** XVI. S. Auguſtinus. ***Quod enim eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt in coniugibus venialis ille concubitus.*** Quemadmodum ergo in menſa Chriſtiani omnes, ita coniugati in proprio toro modeſtiæ, temperantiæ, & ſobrietatis leges ſervare obſtringuntur. Porro licet in menſa licitus ſit ciborum uſus; qui tamen æquo intemperantius eos ſumit, peccat: ſimiliter delinquunt venialiter qui coniugio intemperanter fruuntur.

V. Quæſt. III. ***An liberi ſint a peccato qui matrimonio utuntur in remedium contra proprium incontinentiam, & contra alia graviora flagitia?*** Reſp. P. Claudius La-Croix ***Lib. VI. part.*** III. ***num.*** 292. confitetur, SS. Auguſtinum, Anſelmum, Bonaventuram, Thomam, & ſpeciatim S. Gregorium Magnum, relatum can. *Nervi* v. diſt. XIII. docere eſſe peccatum veniale actum coniugalem exercitum ad vitandam propriam incontinentiam; at ſubdit: ***Alii plurimi Theologi, & Iuriſtæ*** cum ***Dur. Caſ. Medin. Nav. Almain. Caſpenſ. Lay. Con. Rebell. Hurt. Henrix. Pont. Maſtr. Averſ. probabiliſſime dicunt nullum fore peccatum.*** En quo loco habeantur apud

apud Probabilistas plures prima Ecclesiæ catholicæ lumina, & sacri canones. SS. Gregorius Magnus Romanus Pontifex, Augustinus, Thomas, Bonaventura, Anselmus, immo communiter Ecclesiæ Patres docent vitiosum esse actum coniugalem ad vitandam propriam incontinentiam, aliave flagitia. Verum *Con. Lay. Hurt. Henrix. Mastr.* & alii multi similes probabilissime oppositum docent. Illi *probabiliter*, isti *probabilissime*.

VI. At nos, misso hoc opinandi modo, SS. Patrum doctrinam in medium adducimus. S. Augustinus verba S. Pauli I. Cor. VII. *Iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram; hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium:* exponens in Enchiridio *cap.* LXXVIII. hæc docet. *Putari posset non esse peccatum misceri coniugi, non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii, sive cuiusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest, tentante Satana, libido pertrahere, incontinentiam devitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatum nisi addidisset:* Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. *Quis autem iam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritas fateatur?* Quis neget? inquit Augustinus. Plurimi Theologi, & Iuristæ, & quidem *probabilissime*, reponit P. *La-Croix*.

VII. S. Thomas in *Suppl. quæst.* XLIX. *art.* 5. *ad* 2. doctrinam Augustini, Gregorii, & aliorum Patrum confirmat his verbis. *Si aliquis per actum matrimonii intendit vitare fornicationem in coniuge, non est aliquod peccatum: quia hæc est quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet; sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas; & secundum hoc est peccatum veniale: nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.* Hanc eamdem doctrinam repetit S. Thomas in *I. ad Cor. cap.* VII. *lect.* I. ubi inquit: *Considerandum est, quod actus coniugalis quandoque quidem est meritorius, & absque omni culpa mortali, vel veniali; puta, cum ordinatur ad bonum prolis procreandæ, & educandæ ad cultum Dei, sic enim est actus religionis; vel cum fit causa reddendi debitum, sic enim est actus iustitiæ. Omnis autem actus virtutis est meritorius, si fit cum caritate. Quandoque vero est cum culpa veniali, scilicet cum quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quæ tamen infra limites matrimonii sistit, ut scilicet cum sola uxore sit contentus. Quandoque vero est culpa mortalis; puta, cum concupiscentia fertur extra limites matrimonii, scilicet cum aliquis accedit ad uxorem, æque libenter, vel libentius ad aliam accessurus. Primo ergo modo actus matrimonii non requirit indulgentiam. Secundo modo habet indulgentiam, inquantum aliquis consentiens concupiscentiæ in uxorem, non fit reus peccati mortalis. Tetio modo omnino indulgentiam non habet.* Similia docent Gregorius, Anselmus,

mus, Bonaventura, & ceteri Patres, & ex recentioribus graviores Theologi communiter.

VIII. Prudentes tamen sint Parochi, & Confessarii in monendis coniugibus, instruendisque in sancto matrimonii fine procreandæ, educandæque prolis in cultum Dei. Huncfinem altius inculcent: voluptatis captandæ, & concupiscentiæ saturandæ caute meminerint. Cum enim absque voluptate & concupiscentia exerceri officium istud vix soleat, si subtilius quam par est dispicere talia velint, aures offendent. Præ oculis habeant monitum Catechismi Tridentini, in quo *Part. II. cap.* VIII. *§.* 33. hæc habentur. *Extrema illa restat pars de iis quæ ad matrimonii usum pertinent, de quibus ita agendum est a Pastoribus, ut nullum ex eorum ore verbum excidat quod fidelium auribus indignum esse videatur, aut pias mentes lædere, aut risum movere queat. Ut enim* eloquia Domini eloquia casta sunt; *ita etiam maxime decet christiani populi Doctorem eiusmodi orationis genere uti, quod singularem quamdam gravitatem præferat. Quare duo illa maxime docendi sunt fideles. Primum quidem non voluptatis, aut libidinis causa matrimonio operam dandam esse, sed eo utendum intra illos fines qui, ut supra demonstravimus, a Domino præscripti sunt. Meminisse enim convenit quod Apostolus hortatur: Qui habent uxores, tamquam non habentes sint.*

IX. Quæst. IV. *Peccant ne coniuges actum matrimonialem exercentes diebus festis, ieiuniorum, & ipso Eucharistiæ susceptæ die?* Resp. Negant Probabilistæ plurimi, Sanchez, Bonacina, Aversa, Henriquez, Coninch, Salmanticenses, La-Croix, Viva, Sporer, Raynaudus, & alii plures, quos recensere longum esset.

X. Adfirmant omnes Patres, & sacri canones. Lubet pauca transcribere ex *caus.* XXXIII. *quæst.* IV. *cap.* III. ubi hæc de ieiuniorum tempore habentur. *Fratres, non solum debetis ab omni immunditia abstinere, sed etiam ab uxoribus propriis studiosissime contineatis. Nullus omnino uxori suæ ieiuniorum diebus coniungatur.* Rursus ibi *cap.* IV. subditur de festis diebus: *Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum, quia & dies festi, & ipsa ratio conceptus, & partus iuxta legem cessari temporibus his debere demonstrant.* Iterum ibi *cap.* V. ex S. Augustino inculcatur. *Christiano cum uxore sua convenire aliquando licet, aliquando vero non licet. Propter dies enim processionis aliquando non licet convenire, quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quod postulatur. Unde Apostolus ex consensu ait abstinendum ad tempus, ut vacetur orationi.* Lege ibi plura.

XI. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *num.* 321. inquit: „ Per se loquendo „ licitum esse die communionis habere usum matrimonii, dictum est Lib. VI. &c." Ad canones, & SS. Patres, quos vidit apud Tiraquellum, respondet cum *Sanchez Con. Avers.* & aliis, consilium illos suggerere. Idem docent alii Probabilistæ communi-

muniter. Ut Confessariis evidentius semper comperti sint ausus plurium Casuistarum adversus canones, & SS. Patres, operæ pretium existimo isthuc rescribere quæ *cit. caus.* XXXIII. *cap.* I. habentur. *Si panes propositionis non poterant ab iis qui uxores suas tetigerant, comedi; quanto magis panis ille qui de cælo descendit, non potest ab his qui coniugalibus paullo ante hæsere complexibus, violari, atque contingi? Non quo nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed quod eo tempore quo carnem Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Si ab omni cibo ieiuni ad Eucharistiam accedere Christiani debent; quanto magis ieiuni sint oportet ab officio coniugali? De festis diebus *ibid. cap.* II. ex S. Augustino hæc præscribuntur. *Quoties aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festivitates instant, sicut frequenter admonui*, (frequenter tunc Ecclesiæ Patres admonebant coniuges; nunc Parochi, Casuistarum plurium opiniunculis præventi, vix mentionem faciunt,) *ante plures dies non solum ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinere debemus.* Iterum de abstinentia ante communionem hæc S Augustinus *ser.* CCXLIV. *de temp.* scribit. *Qui bonus Christianus est, non solum ante plures dies quam communicet, castitatem servat, sed uxorem suam desiderio filiorum non agnoscit: quia uxor non propter libidinem, sed propter filiorum procreationem accipitur.* S. Augustinus ante plures dies præcedentes communionem castitatem servare coniuges debere ait. P. La-Croix cum aliis Probabilistis multis ipso sacræ communionis die coire uxoratos posse decernit. Et ut lectoribus fucum faciat, illos remittit ad P. Theophylum Raynaudum *Tom. XVI. I. Part. cap.* XIV. *num.* 35. Hiccine optimus Patrum interpres? Ne sim longus, mitto refellere plura eiusdem Raynaudi.

XII. Post canones sacros, & Ecclesiæ Patres, S. Thomas rationem manifestam perhibet, cur non liceat officium coniugale exercere diebus festis, & multo minus ipso sacræ communionis die, in *Suppl. quæst.* LXIV. *art.* 5. inquiens: *Sicut aliqua loca sunt sacra, quia deputata sunt sacris; ita aliqua tempora sunt sacra propter eamdem rationem. Sed in loco sacro non licet petere debitum. Ergo nec in tempore sacro.* Subdit ibidem: *Actus matrimonialis quamvis culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia; & ideo in diebus in quibus præcipue spiritualibus est vacandum, non licet petere debitum.* Labefactat ibidem sophismata quæ opponi valent.

XIII. Verum ut aliquo pudore tangantur illi qui & festis diebus, & ipso die sacræ communionis licitum coniugii usum defendunt, lubet in medium afferre quæ Concilii Tridentini Catechismus *Part. II. cap.* VIII. *§.* 34. præscribit. Hic est citati §. titulus. *Coniugibus aliquando ab officio matrimonii abstinendum.* Deinde hæc habentur. *Sed quoniam bona omnia sanctis precationibus impetranda sunt a Deo, alterum est quod fideles docere oportet, ut Deum orandi & obsecrandi causa a matrimonii officio interdum abstineant: in primisque id sibi observandum sciant, tribus saltem*

tem diebus, antequam sacram Eucharistiam percipiant, saepius vero, cum solemnia Quadragesimae ieiunia celebrantur, quemadmodum PATRES NOSTRI recte & sancte PRAECEPERUNT. Ita enim fiet ut ipsa matrimonii bona maiori in dies divinae gratiae cumulo augeri sentiant; & pietatis studia sectantes, non modo hanc vitam tranquille & placide traducant, sed aeternae etiam, Dei benignitate consequendae, vera & stabili spe, quae non confundit, nitantur.

XIV. Sancti Ecclesiae Patres praecipiunt ut *saltem*, inquit Ecclesiae Romanae Catechismus, *per tres dies* coniuges ante communionem abstineant ab officio matrimonii. P. *La-Croix* cum plurimis aliis recentibus ipso die per se loquendo coire simul posse uxoratos docet. Saepius, cum sacra quadragesimalia ieiunia celebrantur, eamdem abstinentiam Patres iubent. P. Iosephus Gagna in suis adversus meam *hist. Probab. & Rigor.* dialogis, nugarum plenissimis, deridendam propinat hanc abstinentiam, & in scenam traducit matronulam, quam ipse vocat *La Contessina*, quae ira succensa marito erat ob talem continentiam. Haec paullo prolixius rescribere volui, ut exploratum lectoribus semper, occasione data, fiat, quam longe a sacrorum canonum, Conciliorum, Patrum, & Romanorum Pontificum doctrina distet plurium recentium Doctorum Theologia.

XV. Quaest. V. *An officium coniugale ratione loci aut publici, aut sacri sit vitiosum?* Resp. Si copula exerceatur in publico, seu coram aliquibus, peccatum mortale est, nemine diffitente, tum propter scandalum, & ruinae occasionem; tum propter pudicitiae iacturam, reique inhonestatem. Quin tactus ipsi, & aspectus, alioquin inter coniugatos liciti, coram aliis sunt illiciti, & plus minusve vitiosi.

XVI. Officium coniugale in loco sacro omnes fatentur esse illicitum. De peccati gravitate vero disputant. Sanguinis, aut seminis effusione violari Ecclesiam, convenit penes omnes; & tunc etiam committi peccatum mortale. Sed in controversiam vocatur, quaenam sanguinis aut seminis effusio Ecclesiam violet. Aliqui contendunt, nullum patrari peccatum per copulam exercitam in loco sacro, sublato scandalo. Alii contendunt, per solam sanguinis, aut seminis publicam effusionem Ecclesiam violari. Heinc inferunt, copulam secreto & occulte habitam in loco sacro culpa carere.

XVII. Missis his duabus opinionibus, tamquam manifeste laxis, sententia communior est, officium matrimoniale in loco sacro sacrilegum esse, & polluere Ecclesiam; licitum vero esse, & omni culpa carere, necessitate urgente. Primam partem evincunt, quod sanguinis, aut seminis effusio, necessitate sublata, irroget gravem irreverentiam loco sacro, illumque polluat; ut ex *cap. unic. de consecrat. Eccles. in VI. dist.* 1. habetur. Alteram quoque partem ostendunt, quia Ecclesiae praecepta in casu necessitatis non obligant. Tunc autem necessitatem urgere gravem aiunt, cum per longum tempus commorari in Ecclesia coniuges co-

gun-

guntur; ut tempore belli, obsidionis, alteriusque caussæ. Licet enim non sit absoluta necessitas, adeo tamen difficile est ut coniugati abstineant a concubitu longo tempore, ut moralis necessitas congressionis reputetur. Tum autem longum tempus reputant, cum per decem, aut viginti dies, aut mensem morari in loco sacro coniugati astringuntur. Animadvertit autem Sanchez *Lib. IX. disp.* xv. quod si mora in loco sacro sit per mensem, tum poterunt simul coire in principio, in medio, & in fine mensis: quia, constituto longioris moræ intervallo, liberi coniuges sunt, ut congredi pro libito valeant in loco sacro.

XVIII. Hæc nobis laxa videntur, & auribus christianis dissona. Regula generalis definiri, ut mihi videtur, nequit, quandonam in loco sacro licere possit officium coniugale. Vera sententia sacrilegio sordere concubitum in tali loco fatetur. Quantum temporis spatium requiratur, ut excusare a culpa possit, me latet: compertum tamen mihi est, inepte a multis Probabilistis illud definiri. Longius enim & brevius pro coniugum diversitate constituatur oportet. Raro tamen accidere posse credo ut hoc officium matrimoniale culpa careat in sacro loco. An coniuges tempore infirmitatis, distantiæ, aliorumque eventuum abstinere a copula non coguntur? An belli, vel obsidionis, vel pestis tempus opportunum est vacandi officio coniugali, vel in ipsis Ecclesiis, & quidem tum in principio, tum in medio, tum in fine mensis? ut docet *P. Sanchez*, & ex eo Salmanticenses *num.* 68. Nec est quod diutius immorer in dispicienda re quæ perraro contingit, & quæ natura sua continentiam suadet.

XIX. Quæst. VI. *An tempore fluxus menstrui sit licitum officium coniugale?* Resp. Esse illicitum hoc tempore officium coniugale, communis est Theologorum sententia: & hoc patet ex ipsa Scriptura sancta: nam *Levit.* xx. dicitur: *Qui coierit cum muliere in fluxu menstrui . . . interficientur ambo de medio populi sui.* Rursus cap. XVIII. *Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes.* Testimonia Augustini *Qq. in Levit. cap.* lxiv. Hieronymi, & aliorum Patrum prætereo brevitatis studio.

XX. Disputant Theologi, non de culpa, sed de culpæ gravitate. Scotus, Ricardus de Mediavilla, Lyranus, Petrus Soto, & alii contendunt esse mortale crimen accessum ad mulierem menstruatam. Sententia S. Thomæ in *IV. dist.* XXXIII. *quæst. unic. art.* 2. *quæstiunc.* 3: defendit peccatum istud veniale dumtaxat esse; inter venialia vero valde grave respectu petentis. Nam mulier quæ instanter petenti reddit, ut eiusdem incontinentiæ periculum declinet, nullum peccatum perpetrat. Malitiam venialem prodit indecentia, & turpitudo talis actus eo tempore exerciti. Quare ut valde laxam reiicio opinionem quam docet P. Dominicus Viva *quæst.* VII. *art.* I. *num.* 3. „ Quæritur secundo, quo tempore sit illicitus actus coniugalis? Respondeo *non esse illicitum* diebus festis, aut ieiunii, *nec die communionis*, nec quo tempore uxor est gravida, aut: pro-

„ lem

„ lem lactat, *aut menstruum patitur*, nec ante benedictiones nuptiales; quamvis con-
„ silium sit iis temporibus abstinere." Uno benignissimo ictu Auctor iste scindit, & laxat coniugatis frena intemperantiæ coniugalis tempore omni. Quam sit & communi sensui, & divinis Scripturis, & Patrum, & canonum, & præsertim Romanæ Ecclesiæ doctrinæ adversa hæc *P. Viva* opinatio, & putidum commentum, ab ipsis Probabilistis communiter improbatum, ex iis quæ supra scripsi, manifestum est.

XXI. Quæst. VII. *An sit peccatum ad uxorem gravidam accedere?* Resp. Cl. D. *Eusebius* AMORT, exquisita & vasta eruditione ornatus, artis criticæ peritissimus, sanioris doctrinæ strenuus assertor, æmulorum conatuum prævalidus repressor, atque inclytæ Bavaricæ nationis splendor, & ornamentum, integra *disquisitione*, inscripta *de coitu coniugali cum uxoribus gravidis*, SS. Patrum testimoniis, omnique argumentorum genere recentium Casuistarum opiniunculam penitus profligavit. Actum agerem, si ex instituto controversiam hanc dispicere vellem. Paucis eam delibabo. Convenit penes omnes, hunc congressum non esse, præciso periculo abortus, peccatum mortale.

XXII. Hoc officium cum uxoribus gravidis culpa veniali sordescere, do cent SS. Ecclesiæ Patres omnes, quorum testimonia adfert laudatus P. Amort. Pauca ego rescribam. S. Ambrosius in Evangelium *Lucæ cap.* I. ad illa verba, *Concepit Elisabeth*, inter multa hæc scribit. *Pecudes quoque muto quodam opere loquuntur, generandi sibi studium, non desiderium esse coeundi. Siquidem ubi semel senserint genitali alvo semen receptum, iam nec concubitui indulgent, nec lasciviam amantis, sed curam parentis assumunt. At vero homines nec conceptis ipsis, nec Deo parcunt: illos contaminant, hunc exasperant .... Vel pecudes imitare, vel Deum verere.* S. Hieronymus in epistolam ad Titum *cap.* II. hæc habet. *Liberorum, ut diximus, opera in matrimonio concessa sunt. Voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ sunt. Hoc legens omnis vir, & uxor intelligant sibi post conceptum magis orationi quam connubio serviendum. Et quod in animalibus, & bestiis ipso naturæ iure præscriptum est, ut prægnantes ad partum usque non coeant, hoc sciant in hominibus arbitrio derelictum, ut merces esset ex abstinentia voluptatum.*

XXIII. S. Augustinus de bono coniugali *cap.* VI. inqnit: *Sunt item viri adeo incontinentes, ut coniugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter se coniugati immodestum, inverecundum, sordidumve gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum ... Coniugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum coniuge, propter fidem tori venialem habet culpam.*

XXIV. Sanctorum Patrum doctrinam confirmat in *IV. dist.* XXXI. *quæst.* II. *artic.*

tic. 2. S. Thomas. *Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam, non tamen ita quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus.* His SS. Ecclesiæ Doctoribus subscribunt graviores Theologi. Sed plures Doctores moderni intercedunt, & contradicunt.

XXV. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *num.* 324. hæc docet. „ Quamvis „ absit periculum abortus, quod communiter abest, tamen copulam esse illici- „ tam, quando mulier est gravida, videntur docere *sancti Ambrosius, Augusti-* „ *nus, Isidorus* . . . speciatim *S. Hieronymus* . . . SED SANCHEZ, & AVERSA „ concludunt cum aliis, per se loquendo nequidem venialem esse. “

XXVI. Non maiori modestia erga SS. Patres loquitur P. Theophylus Raynaudus *Tom. XIV. de ortu infantium per sectionem cæsaream cap.* 11. *pag.* 314. Postquam ibi recensuit testimonia Origenis, Clementis Alexandrini, Ambrosii, fatetur adducta testimonia plusquam indecentiam præferre, atque adeo culpam non levem; tamen concludit: *Hæc video PLUS sonare quam INDECENTIAM propositam, & accessum ad gravidam culpæ non levis damnare: id quod etiam ferunt illa apud Burchardum Lib. II. Decret. cap. v. Concubuisti cum uxore post manifestatam conceptionem? Decem dies in pane, & aqua pœniteas. Attamen hæc & alia, quæ adversus accessum ad gravidam traduntur ab AUGUSTINO serm.* cxliv. *de temp. & ab aliis adducendis in Heteroclitis spiritual. cum de usu coniugii, quidquid verborum cortex præferat, ACCIPIAM tantum de indecentia incontinentiæ indice, & imperfectionem, non culpam inferente, ut suadet ratio paullo ante proposita.*

XXVII. Fatetur Raynaudus, SS. Ecclesiæ Patres accessum ad gravidam damnare non indecentiæ tantum, sed & *culpæ non levis*, seu inter veniales gravis. Post ore rotundo ait: *Quidquid verborum cortex præferat, accipiam tantum de indecentia incontinentiæ indice.* SS. Ecclesiæ Patres vitiosum docent accessum ad gravidam; P. Raynaudus oppositum defendit. Si nos similium recentiorum opinationes parvipendamus; si illorum paradoxa profligare, & avertere ab eorumdem lectione incautos lectores studeamus: an iure succensere nobis valent, cum ipsorum plures SS. Ecclesiæ Patrum opera negligant, eorumque doctrinam aut parvi faciant, aut emolliant, aut reiiciant? Semel posito quod licitum sit in materia fidei, & morum a communi Patrum doctrina secundum obvium sensum accepta recedere, eamque pro ingenio inflectere, & emollire: qua ratione adversus Novatores & plura Scripturæ sanctæ oracula, & apostolicæ traditionis perennem successionem demonstrabimus? Audentius contra hanc Patrum doctrinam calamum acuit P. Raynaudus *Tom. XVI. in Heteroclitis spiritualibus pag.* 188. *& seq.* ubi hæc scribit. „ Vera sententia ibidem stabilita (in examine sectionis cæsareæ cap. 11. a „ num. 13.) fert usum illum coniugii nulla peccati labe sordere, *ac ne veniali* „ *quidem labecula* inquinari. Et qui annis superioribus in primaria Galliæ Urbe „ de

„ de sacro suggesto contrarium improvide buccinatus erat, merito a maioribus „ ad palinodiam est adactus. Sane qui specie pietatis ad peccati declinationem „ refugeret, haud iniuria notaretur anomaliæ pietatis. Admittebam tamen præ- „ dicto loco usum illum . . . non vacare indecentia . . . nec plus ferunt loca „ Patrum, commercium coniugale cum uxore gravida improbantium, quorum „ aliquos dicto loco retuli: vel, si plus voluerunt, molliendi, & in hunc sensum „ INFLECTENDI. “ Quid modestius, quid obsequentius in Patres?

XXVIII. P. Claudius La-Croix *loc. cit. num.* 321. & alibi frequenter, dum videt Patrum doctrinam suis opinationibus oppositam, remittit lectores suos ad P. Theophylum Raynaudum, tamquam ad celebrem PP. interpretem. Næ iste præstantissimus Patrum cultor? qui clamat: Patres, *si plus voluerunt, molliendi sunt, & in hunc sensum inflectendi*. Nec plus operæ impendendum existimo in profligandis sive Raynaudi, sive aliorum vanis commentis.

XXIX. Opponunt, iugum durum, & legem difficilem esse onus abstinendi ab uxore gravida. Bene habet. An legem facilem, suavem & concupiscentiæ accommodatam efficere contendunt Probabilistæ? Sed audiant Paulum Apostolum *I. Cor. cap.* VII. clamantem: *Si autem acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*. Carnis tribulationi obnoxios coniugatos Paulus asserit. Neque enim concupiscentiæ sitis frequenti, & libidinoso potu extinguitur, sed irritatur, & augetur, non secus ac ebrietas. Idcirco Paulus ad *Galat.* V. scribit: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis*: & rursus ad Coloss. III. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*. Si legis difficultas absterrere nos ab executione valet, actum de Evangelio est. An tum innupti, tum nupti innumeri non coguntur carnis stimulos reprimere, quin valeant officium coniugale agere? Quot coniugati partim absentes, partim uxores habentes infirmas, deformes, querulas, ineptas, temperare sibi ob officio coniugali non astringuntur? Quænam lex difficilior, quodnam iugum gravius, quam cohabitare, & dormire cum uxore querula, morosa, rixosa? de qua Salomon *Prov.* XXI. inquit: *Melius est sedere in angulo domatis quam cum muliere litigiosa . . . Melius est habitare in terra deserta quam cum muliere rixosa & iracunda*: iterum cap. XXVII. *Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur*. Quam frequentes non sunt uxores eiusmodi? Quid, si vanæ, ambitiosæ, superbæ, ut frequentissime sunt, & patrimonium sit exiguum? Quid, si coniugum indoles, inclinationes, &, ut dicitur, temperamenta contraria sint? Est ne in universa probabilistica officina quidquam quod emollire eiusmodi durissima onera valeat?

XXX. Difficilis & dura lex est abstinendi a coniugatis gravidis; sed difficiliora sorbere coniugati astringuntur. Difficilis est lex, si humanæ vires, si effrenata con-

concupiscentia, & æstus libidinis spectentur; at suavis evadit, non frequenti coitu, sed christiana temperantia, & carnis mortificatione. Plures menses habent coniugati ad indulgendum officio coniugali. Quo temporis intervallo debilitari, & infringi vires concupiscentiæ in coniuge christiano & bene morato valent, & sitis temperari. Accedunt gratia sacramentalis, labor, industria, liberorum cura, & affectus maritalis, quæ omnia sunt validissima concupiscentiæ remedia. Falluntur recentiores illi qui credunt frequentem concubitum ardorem extinguere libidinis. Numquid avaritiæ sitim divitiarum copia, numquid ignis flammas lignorum abundantia, numquid gulæ ingluviem, & ebrii æstum immoderatus cibus & potus auferunt? Quemadmodum ergo ad ceteras omnes appetitiones moderandas remedium non est eas in suis actibus exercere; sed sicut gula temperantia moderata; sic concupiscentia mortificatione & abstinentia congrua, & aliarum virtutum exercitio in coniugatis ipsis frenatur. Iugum Christi suave efficere Casuistæ plures contendunt, legem evangelicam laxando, & accommodando ad hominum inclinationes. Sed omnes Patres caritatis amore, & christianarum virtutum officiis suave fieri iugum Christi testantur. Cedo: quid difficilius quam quotidiana pugna cum gula? Ut hanc pugnam facillime tollerent Doctores moderni non pauci, docuerunt: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Docuerunt coniugatos hoc aliud axioma: *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsus caret culpa, ac defectu veniali*. Ex his duabus proscriptis thesibus proficiscuntur opinationes Raynaudi, Viva, La-Croix, & aliorum, quas oppugnavi. Intelligamus ergo tandem aliquando, sola mortificatione, & christianarum virtutum assiduo cultu subigi, & in servitutem redigi carnis concupiscentiam. Doctores moderni plures docent, coniugatos abstinere a congressu debere, dum obest valetudini. Nam scribit P. La-Croix *loc. cit. num. 327.* „ Notat Sanchez, statim post prandium habere copulam nocere valetu„ dini; retulitque medicus, virum in phthisim incidisse, quia solitus erat post „ prandium convenire uxorem. “ Utinam eamdem sollicitudinem adhiberent Auctores isti in exponendo detrimento quod anima patitur ex hoc nimis frequenti congressu. Sed de hoc plusquam satis.

XXXI. Quæst. VIII. *An licitus sit congressus inter amentes & ebrios coniuges?* Resp. Quando ambo coniuges sunt amentes, continuo separandi sunt. Qui eos ad copulam carnalem incitaret, peccaret mortaliter. Quoniam filii, a fatuis parentibus geniti, educatione destituti forent: & huius mali caussa esset qui amentes ad copulam induceret. Accedit quod facilis abortus sequeretur. Coniux sanus non tenetur stulto petenti reddere; ab eodem vero petere iure valet, si velit. At quis sanæ mentis cum fatuo congredi prudenter valet? Coniugi ebrio petenti non te-

tenetur alter reddere debitum; tamen ad vitanda pollutionis, incontinentiæ pericula, & alia mala, reddere per accidens coniux astringitur.

CAPUT IX.

De peccatis coniugum contra honestum modum exercendi officii coniugalis. Quomodo iisdem liceant delectationes morosæ, tactus, & aspectus. Laxæ & impudicæ quorumdam recentium opiniones profligantur.

I. TRactant casus temporum Doctores temporum. Doctores moderni non pauci libidinis cœnum tam immoderato minusque modesto calamo ex omni parte versarunt, ut vix in Ethnicorum Poetis tam impuræ descriptiones reperiantur. Vel ipsum atramentum, nedum animus, erubescit ea referre quæ nova aliquorum benignitas de sacramentali Christianorum toro in controversiam vocavit. Non modo hæretici, sed vel ipsi impii, præsertim Petrus Bellius, tantam in nonnullis Casuistis tamque incautam de hac materia scribendi libertatem execrati sunt. Alto ego hæc omnia præterire silentio decreveram; verum mutare consilium coactus fui, tum ut impii, & Novatores intelligant, Theologos catholicos detestari eas omnes opiniunculas quas nonnulli Casuistæ minus cauti contra sanctam matrimonii honestatem invexerunt; tum ut obscœnas opiniones penitus profligem, & errandi periculo minus cautos Confessarios subducam. Ad rem igitur.

II. Quæst. I. *Quomodo peccare coniuges valent contra modum, seu situm exercendi officii matrimonialis?* Resp. Haud opus est talia dispicere, cum sit ipsa natura magistra. Christiani cuiuscumque status habere semper ante oculos debent propriæ professionis primas & immobiles regulas. Potissima autem coniugatorum regula est illa quam Tobias *cap.* VIII. assignat. *Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum.* Hæc, & pudorem a natura insitum in mente habeant coniugati; & continuo omnia munda & sancta sunt. Natura ipsa docet ut in præstando officio coniugali mulier sit succuba, vir incubus. Peccant ergo coniugati, ut ad propositam quæstionem respondeam, si hunc a natura ordinem præstitutum invertant, exercendo officium istud, stando, sedendo, si vir succubus, & mulier incuba, si præpostere pecudum more, licet servato vase, congrediantur. Nimia viri pinguedo, & feminæ teneritudo, periculum abortus, excusare interdum potest, ut modo propinquiori ad honestatem, & periculo declinando, non voluptati captandæ opportuno utantur.

III. Quæst. II. *An coniuges peccare mortaliter possint, dum solum modum officii ma-*

maritalis perturbant? Resp. Communiter negant Auctores moderni (Patres enim has quaestiunculas non moverunt) peccare mortaliter absolute loquendo ob solam modi perversionem coniugatos, sive praepostere, servato vase debito, sive per latus, sive mulier sit incuba, & succubus vir, sive stando, sive sedendo, officium istud exerceant, dummodo absit effundendi seminis periculum; etiamsi sola voluptas sit istius actionis finis. Rationem tradunt: quia quando finis principalis, qui est prolis generatio, consistit, transgressio ordinis secundarii est dumtaxat culpa venialis. Atqui, quocumque ex recensitis modis congressus fiat, si vas debitum servetur, nullo modo impeditur finis principalis, nempe generatio prolis: quia, inquiunt, in feminae matrice extat vis ad attrahendum semen viri succubi, aut ad latus extantis. Ergo captatio voluptatis erit solum culpa venialis.

IV. P. Sporer *num.* 492. fatetur duos modos, nempe praepostérum, & dum mulier est succuba, a gravissimis DD. peccati mortalis damnari. P. Sanchez *Lib. IX. disp.* XVI. confitetur, Vincentium Belluacensem, Philiarcum, S. Thomam, S. Antoninum, Alensem, Astensem, Nicolaum de Orbellis, Alexandrum Veracruzium; & alios damnare peccati mortalis praesertim modum praepostérum, & plures etiam alterum modum quo mulier est incuba. Et sane ab his duobus modis ipsa natura abhorret, eosque ego numquam permitterem. Ipse Sporer concedit esse *peccatum veniale certe crassum*. Ut minus mihi dubia res est, sit ne mortale, an veniale. Hoc sufficit ut id quod tutius est, amplectar. Et eo maiori reprehensione digni sunt coniuges, quod sola impotens libido ad hos modos eosdem compellat. Si enim aliqua iusta adesset caussa, a gravi culpa facilius excusari possent. Ex circumstantiis igitur variis, quae occurrere possunt, considerare prudens Confessarius poterit, num reipsa contingat aliquid quod a culpa mortali excuset. Omnes fatentur, quod si semen effundatur, aut ex praeterita effusione periculum futurae effusionis grave dignoscatur, tunc flagitium fit mortale.

V. Quaest. III. *Si vir consuescat, dum officium praestat, se retrahere, ut generationem impediat, peccat ne uxor debitum reddendo?* Resp. Hunc casum proponit Ioannes Pontas verb. *Debitum coniugale*, cas. 55. Et quamvis Auctor iste saniorem semper doctrinam propugnet; tamen hac in re laxam, & evidenter falsam opinionem amplexus est. Respondet enim, mulierem nulli culpae obnoxiam esse, dummodo ipsa dissentiat, repugnet, &, quoad potest, obsistat: idque probare nititur exemplo *Onan*, qui, ut habetur *Gen.* XXXVIII. ob seminis effusionem in concubitu cum Thamar percussus a Deo fuit, *eo quod rem detestabilem faceret*; Thamar autem punita non fuit. Quid heinc? Ergo non peccavit Thamar, quia percussa non legitur? Inepta est consecutio ista. Semper ne Deus omnes peccatores manifesto temporali supplicio plectit? Severe animadvertit Deus & in *Her* primogenitum nequam, & in *Onam* rem detestabilem agentem. Punitionem Thamar

non

non legimus; at non inde legitime infertur: ergo non peccavit, si advertit, & non negavit congressum: quia, ut dixi, non omnia scelera Deus in hoc mundo punit. Peccat ergo talis mulier debitum non negando, quando experientia didicit belluinum maritum consuescere semen ad generationem destinatum prodigere. Quoniam debitum reddendo rei natura sua malæ & illicitæ dat operam. Quamobrem iure Clerus Gallicanus anno 1700. sequentem propositionem damnavit. *Potuisset Susanna in tanto periculo infamiæ & mortis negative se habere, & permittere in se eorum libidinem, modo eam detestata & execrata fuisset*. Censura in hanc laxam doctrinam lata eiusmodi est. *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, castarum aurium offensiva, erronea, & legi Dei contraria*. Si Theologia accommodatitia primis Ecclesiæ sæculis extitisset, quot Christianos a morte subeunda retraxisset? Idololatria materialis & formalis, cooperatio proxima & remota, directa & indirecta, zelus amplificandæ religionis christianæ, non sanguinis effusione, sed via blandiori & benigniori, aliæque distinctiunculæ prodiissent in medium.

VI. Quasdam alias propositiones casuisticas transcribam, quæ horrorem ingerunt, quæque rescribi vix possunt absque naturalis pudoris detrimento; tamen quia extant in libris Casuistarum, qui omnium manibus teruntur, & seducere imperitos possunt, ut omnes Christiani eas detestentur, transcribendas & refellendas existimavi.

VII. P. Patritius Sporer *Part. IV. cap. 11. sec. 3. §. 3. num. 490. pag. 356.* „ Etsi enim „ uxor sciat maritum *solere* copulam abrumpere, & semen effundere, non tamen „ peccat *nec petendo*, *nec reddendo*, dummodo ipsa non consentiat, nec cooperetur: quia non sequitur ex actione uxoris, sed præcise ex malitia viri. " Non cooperatur petendo actionem flagitiosam, sceleratam, bestialem? Compertum uxori est, maritum *solere* hoc scelus patrare; & dum ab eo petit actionem cui adiunctum flagitium scit, non peccat? Sic docent Doctores moderni plures. Ergo opinio est probabilis, inquiunt. Nos vero dicimus, hanc opinionem esse detestabilem.

VIII. P. Antoninus Diana *Part. III. resolut. 37.* „ Quidam inchoabat copulam „ cum uxore, & postea ob morbi periculum de eius consensu se retrahebat; verum ex hoc aliquando sequebatur pollutio. Quæsitum a me fuit, an talis actus „ esset licitus? *Respondi affirmative*. " Hic est ille agnus, inquit Caramuel, qui tollit peccata mundi. Illa tamen non tollit similis opinandi ratio, sed multiplicat, & scandalum ingerit tum Catholicis, tum hæreticis. Si is prævidet morbi periculum, cur non abstinet ab officio? Requirit tamen uxoris consensum, ut ambo evidentius sceleris participes fiant.

IX. P. Patritius Sporer *Part. IV. cap. 11. sec. 3. §. 3. num. 490.* „ Insuper, cessante omni periculo pollutionis in utroque coniuge, coniuges mutuo consensu in- „ choa-

„ choatam copulam abrumpentes, *ne proles generetur*, sive ob inopiam, sive ob „ aliam caussam, non peccare mortaliter, docent *Doctores* satis communiter." Isti Doctores *satis communiter* similia docentes magni sacramenti matrimonialis sanctitatem temerant, profanant, fœdant. Quid? Officium coniugale simulare, & abrumpere absque peccato mortali potest? Sed magis propudiosa audiamus.

X. Idem P. Sporer *ibidem*. „Qui (*DD.*) id etiam ab *omni culpa* excusant, quando iusta caussa subest, v. g. ob paupertatem, ne multiplicetur proles *ex una „ parte, ex altera vero parte ad sedandam aliqualiter concupiscentiam, & incontinentiam vitandam.*" Doctores ergo moderni plures invenerunt modum exercendi officii matrimonialis, simulque declinandæ generationis, quæ est finis primarius sacramenti? Unum tamen incommodum pati debent, quod nequeant in totum libidinem explere. Sed ex una parte possunt exercere dimidiatam copulam ob *paupertatem, ne multiplicetur proles*; ex altera parte ad *sedandam aliqualiter concupiscentiam*, voluptatem *præambulam*, *seu mediam* captare possunt. Sanchez *Lib. IX. disp.* XIX. hanc doctrinam prius docuit.

XI. Plurima alia docent de hoc copulæ maritalis exercitio DD. moderni, quæ nec improbare, nec propriis verbis exprimere audeo. Illa omnia colligunt P. Sporer, & P. La-Croix. Illorum verbis eadem dabo.

XII. P. Sporer *loc. cit. num.* 491. „ Modus copulæ conveniens, & sanum est „ consilium, ut coniuges curent ut simul utriusque semen effundatur, eo quod id „ multum conducere ad prolificandum doceant Medici. Quare tardiori ad seminandum permittendum, immo consulendum est, ut ante concubitum tactibus „ excitetur ad venerem, ut sic possit in ipso concubitu simul seminare: eius tamen rei nulla est necessitas, vel obligatio. Quare dum vir semen effundit, non „ tenetur feminæ seminationem expectare: neque culpæ saltem letalis reus erit „ vir prius tactibus incitans venerem, sciens ob id citius feminam seminare. Ita „ cum aliis *Sanchez cit. disp.* XVII. *num.* 8. *&c.* addens *num.* 2. Ubi vir, semine „ intra vas recepto, membrum virile extraxit, licet feminæ, quæ nondum effudit, tactibus se excitare, donec & ipsa seminet: quia hæc provocatio est actus „ coniugalis perfectio, & consummatio. Confirmatur, quia alias maximo, & evidentissimo periculo admittendi peccata mortalia esset exposita femina. *Hæc vita, & moribus vere virgineus, sed doctrina physicus Sanchez*, cui subscribunt „ expresse *Bonacina*, *Perez*, *Basil. Pontius*, *Dicastillo*, *Diana*, testans ita sentire „ *Lessium*, *Gobat*, merito reprehendens Stephanum de S. Paulo, scribentem oppositam sententiam esse *omnium* communiter. Certe hæc doctrina mihi non raro „ fuit necessaria in *Confessionali*. Similiter autem e contra neque etiam uxorem „ peccare, *si viro usum vasis concedat, ipsa vero animum ad alia convertat, ne „ concitetur ad seminationem, & sic impediatur generatio prolis ob supra dictam a-*

„ *li-*

„ *liquam iustam causam, docent ibidem Sanchez, Perez, Dicastillo, Escobar, & a-*
„ *lii cum Diana, Gobat.*"

XIII. Quæ ultimo loco distinto charactere signata docent Doctores citati, horridula mihi videntur. Cetera quæ rescripsi, prudentum Confessariorum iudicio subiicio. Non repugno, immo convenio, non esse coninges ad angustias redigendos; neque severitate nimia, quæ officium coniugale comitantur, metienda. Tactus, amplexus, & alia quæ præmittuntur, non voluptatis, sed necessitatis caussa, ad commovendum, accendendumque libidinosum ardorem in ordine ad congressum matrimonialem, sunt prorsus innoxia, non secus ac concubitus ipse: iisque uti possunt, & etiam interdum debent mulieres naturæ frigidioris, ne post concubitum acrioribus urantur ignibus, ut docent Theologi graviores. Ceterum peccant, & quidem mortaliter, dum prolis generationem impedire coniuges student.

XIV. Quæst. IV. *Qui amplexus, tactus, & oscula licita sint coniugatis?* Resp. Plura supra quam dici potest propudiosa docent Doctores recentes permulti. Aliqua ipsorum verbis, ut calamo meo consulam, transcribam. Omnes tamen absolute adfirmant, peccare mortaliter coniugatos, exercentes actus impudicos graviter honestatis naturalis confinia transilientes. Omnes in iisdem damnant gravissimi sceleris copulam sodomiticam in vase innaturali quocumque consummatam, vel inchoatam animo ibidem eam consummandi. Immo gravius & horrendius scelus istud est inter coniugatos, cum sit formale adulterium, sacramentum matrimoniale violans, quam inter solutos. Per vas innaturale intelligunt quamcumque corporis partem præter illam a natura destinatam ad generationem. Sigillatim plura explicant illi, a quibus ego abstinere decrevi; sed aliqua ipsorum verba concepta rescribam.

XV. P. D. Antoninus Diana Part. IV. tract. IV. resol. 221. *Væ, væ coniugatis, si vera esset opinio Paludani, Sylvestri, Rodriquez docentium, esse mortale, si coniuges inter se tangant, & osculentur pudenda propter solam impuritatem.* Et ut ab hoc *Væ* P. Diana subtrahat coniugatos, talia horrenda oscula, quæ neque Catullus, aut Iuvenalis, vel Ovidius permitterent, licita faciet?

XVI. P. Thomas Sanchez *Lib. IX. disp.* XVII. *num.* 5. „ Quod si vir in superficie „ tantum vasis præposteri uxoris fricaret sua verenda, vel in os eius intromitte- „ ret, cessante omni pollutionis periculo, non crederem esse mortale." Vita & moribus virgineum Sanchez cum P. Sporer agnosco; at virginea sane non est, neque pudica hæc ab eo tradita doctrina, quam neque scriptis consignare debuisset, neque a mortali culpa excusare. Quid de illo plusquam belluino congressu in ore peracto dicendum? Et tamen Filliucium *tract.* II. *cap.* IX. aliosque DD. modernos non pudet excusare coniuges in ore excipientes verenda, eadem lambentes, osculantes. Vah infanda, & putidissima monstra!

XVII. Disputant nonnulli Doctores moderni, an tactus, oscula &c. cum per-

iculo pollutionis præcise in petente, vel reddente, peracta, non caussa delectationis, sed amoris fovendi, sint licita? Adfirmat de more Sanchez *Lib. IX. disp.* XLV. *num.* 333. & cum ipso Filliucius, Zanardus, & alii, dummodo pollutio non intendatur, nec de ea habeatur complacentia. Communis & vera sententia, inquiunt Salmanticenses *num.* 86. negat. Quoniam, cum prævidetur pollutio, fit voluntaria in caussa, nempe in actibus voluntariis, unde proficiscitur.

XVIII. Similiter dissertant, num tactus libidinosi coniugatis liciti sint, quando sunt absentes, nec habere congressum valent. Si enim adstantes sint, convenit penes omnes eiusmodi tactus, amplexus, oscula ordinata ad eorum officium, quod exercere possunt, licita iisdem esse, dummodo semper absit pollutionis periculum. Contra, si absentes sint, tactus libidinosi cum semetipsis illiciti sunt illis, quemadmodum solutis: quia tactus libidinosi suapte natura inclinant ad pollutionem. Ergo peccant mortaliter in casu absentiæ tales actus exercentes.

XIX. Est ne mortalis culpa delectatio morosa de cogitatione concubitus habiti, vel habendi ab altero coniuge, quando talis copula haberi de præsenti nequeat? Negant Sanchez, Diana, Bonacina, Aversa, & alii plures. Adfirmant contra Sylvester, Basilius Pontius, Vega, Dicastillus, Rodriquez. Et hæc sententia probabilior est, quando delectatio est cum carnis commotione, alteratione spirituum, & partium titillatione; ut communiter est eiusmodi delectatio. Utique delectatio hæc respicit obiectum licitum honestumque; at cum copula, alioquin licita, hic & nunc sit impossibilis, ut supponitur, iam delectatio evadit vitiosa de præsenti. Quare laxa iudico quæ scribit P. Sporer *loc. cit. num.* 505. „ Licita est coniugibus „ delectatio morosa venerea, seu voluntaria admissio, approbatio, *ac veluti frui-„ tio delectationis venereæ* exurgentis in partibus verecundis ex commotione spi- „ rituum generationi servientium, ex copula coniugali tantum cogitata, *etiam al- „ tero coniuge absente*, vel alias ipsa copula impedita, *vel probibita*, seclusis sem- „ per tribus prædictis, periculo pollutionis, dubio de matrimonii valore, & voto „ castitatis. Communis DD. “ Doctores isti pugnantia loquuntur, & chimærica commenta somniant. Qua enim ratione a fruitione delectationis venereæ, exurgentis in partibus verecundis ex commotione spirituum, separant pollutionis periculum? Tali fruitioni venereæ voluntariæ cum alteratione spirituum, partiumque titillatione insitum est pollutionis periculum.

XX. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *a num.* 328. *usque ad num.* 350. more suo censum infarcit opinionum omnium quas in hac materia excogitarunt DD. moderni, præsertim Sanchez, Diana, Gobat, Mendo, Dicastillus, & alii similes. Nisi materia nimis lutulenta esset, rescribere voluissem talium contrariarum opinionum catalogum, ut novum haberent lectores argumentum Pyrrhonicæ methodi, quam frequenter sectatur Auctor iste. Sed sat est indicasse locum, ut quisque

rei

rei periculum facere queat. Piget enim diutius hoc in luto calamum detinere.

XXI. Quæst. V. *Licitum ne est eiicere fetum certis adhibitis remediis, quando absque evidenti matris periculo servari nequit?* Resp. Principio certum est, quod, si probabile periculum abortus per experientiam marito innotescat, vel uxorem abortui obnoxiam esse, si hac aut illa positura cum ea concumbat, mortiferus sit eiusmodi congressus. Deinde certum est, extra evidens periculum matris gravissime peccare illos qui abortum procurant, etiamsi fetus nondum sit animatus. Quoniam Tertullianus in *Apologetico cap.* IX. inquit: *Homicidii festinatio est prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet.*

XXII. Doctorum recentium aliqui docuerunt has duas sequentes theses, quas Innocentius XI. proscripsit. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Occidi posse hominem qui prævidetur infamator alicuius communitatis, docuerunt alii nonnulli Doctores recentes quorum similiter damnata doctrina est. Nequit ergo puella ad mortem, vel infamiam declinandam, abortum procurare fetus inanimis; immo neque ad vitandam infamiam, sive familiæ nobilis, sive sacri Gynecæi, licita est talis procuratio, cum intrinsecus mala sit; sive pharmaco indirecto, sive alio quocumque indirecto modo attentetur. Similiter nullo modo licet impedire fetus conceptionem. P. Sanchez, qui præ ceteris marium, feminarumque innumerabiles, & inexcogitabiles congressiones dispexit *Lib. II. disp.* XXII. docet, feminam vi oppressam posse continuo semen expellere, tamquam iniustum castitatis aggressorem, ad vitandam infamiam. Quam opinionem ego reputo falsam. Prægnantes procurantes abortum obnoxiæ sunt, sicut & ceteri qui operam conferunt, excommunicationi latæ a Sixto V.

XXIII. Alteram thesim proscripsit Innocentius XI. quæ est 35. *Videtur probabile omnem fetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primo incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Thesis hæc adeo inepta est, ut nemo Casuistarum illam propugnaverit; cum illam adscribat Caramuel in *Theolog. fund. num.* 1193. Marco Protomedico Pragensi. Seipsa evanescit, quin confutatione egeat. Qui procurant abortum fetus animati, peccant mortaliter; etiamsi alioquin periculum sit ne fetus simul cum matre moriatur: quoniam numquam licitum est innocentem occidere, ne quidem pro alterius vita præservanda. Nec est quod opponas, licitum esse occidere aggressorem: quia fetus in ventre matris non est aggressor eiusdem vitæ; cum a Deo in illo utero sit constitutus, & a natura formatus. Si fetus nondum animatus sit, licitum erit illum in extremo periculo eiicere, ut matris saluti consulatur; quemadmodum docent S. Antoninus *III. Part. tit.* VII. *cap.* II. *§.* 2. Sylvester verb. *Medicus quæst.* IV. Sanchez *Lib. IX. disp.* XX. Armilla verb. *Abortus*, Navarrus, Estius, & alii communiter.

C A-

CAPUT X.

Unde communiter procedat, plurima matrimonia gravissimis incommodis & ærumnis abundare. Nonnulla monita ad Confessarios, & Parochos.

I. Bonus Merbesius, Auctor gravissimus, ut ait Cardinalis de Aguirre, & sanioris doctrinæ prævalidus assertor, minime vero Rigorista (quidquid fabuletur Francolinus) nisi is Rigorista habendus sit qui laxa plurium Casuistarum paradoxa profligat, de *matr. quæst. ult.* plures assignat caussas cur matrimonia non pauca miseriis ærumnisque abundent.

II. Caussa princeps est, quod multi, Deo inconsulto, & solius vel avaritiæ, vel luxuriæ, vel ambitionis suggestione tantum negotium aggrediuntur. Sigillatim Hugo de Sancto Victore in epistola ad suum sodalem, fines quos permulti fœderis coniugalis ineundi sibi præstituunt, exponit, inquiens: *Ducuntur uxores hodie, non causa vitandæ fornicationis, sed causa luxuriæ; non causa prolis, sed causa pecuniæ. Divitiæ magis in uxoribus eligi solent quam pudicitia. Multi non oculis, sed digitis uxores ducunt; idest, non ducunt uxores ob virtutes quas in ipsis videant, sed ob pecunias quas numerare queant. Optima & sana res est, quam non avaritia conciliat, non luxuria copulat.*

III. Illi omnes qui saturandæ libidinis caussa matrimonia ineunt, in gravissimas se coniiciunt ærumnas. Venantur in hunc finem mulierculam pulchritudine ornatam, quæ instar Sirenis voce excantat, visu dementat, lenociniis, & blanditiis seducit. Antequam possideatur, suspiria excitat, flammas succendit; & vix possessa vilescit, sordetque amatori. Libido quippe, & dæmonis præstigia similia fœdera stringunt. In eiusmodi sponsos dæmon suam exercet tyrannidem. *Propter speciem mulieris multi perierunt .... Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt:* inquit Ecclesiastes *cap.* IX. ubi plura documenta saluberrima præbet.

IV. Non minus infelicia connubia sunt quæ divitiarum contrahuntur amore. Adolescentuli duo, Philosophi filiam sponsam ducere contendebant: quorum alter inops quidem erat, sed prudens, & bene moratus; alter optime nummatus, sed leviculus, & mentis sanitate laborans. Philosophus pauperi iuveni filiam in sponsam dedit, reiecto divite; & amicis factum exprobrantibus reposuit: *Malo dare filiam viro indigenti pecunia, quam pecuniæ indigenti viro.* Ethnicus ipse agnovit, optimam indolem, mentem sanam, iuvenem prudentem, puellam castam, verecundam, modestam, divitiis, nobilitati, titulis fulgidis in matrimonio ineundo præferendam esse.

V. Altera potissima caussa calamitatum, iurgiorum, rixarum quæ sociare matrimonia solent, sunt sacrilega flagitia quibus contaminati ad tam magnum sacramen-

mentum sponsi accedunt. Tot quippe propudiosa scelera perpetrare mutuo nupturientes non pauci solent sponsalium tempore, ut indigni sepae numero absolutione sacramentali sint vel ob habitus pravos, vel ob alia peccata commissa; quamvis ab aliquo Confessario minus cauto illam extorqueant. Sacramentum Eucharistiae sceleribus foedati percipiunt: & tandem ipsum magnum sacramentum matrimonii sacrilege celebrant. Quid ergo mirum, si eiusmodi matrimonia, quae non Christi caritas, non virtutis amor, sed carnis libido, sed avaritiae aestus, sed ambitionis spiritus stringunt, dissidia, iurgia, & schismata pariant?

VI. Tertia malorum caussa est, quod nec mulieres subditae viris esse velint, nec viri diligere uxores suas, ut convenit, soleant. Uxores parere maritis astringuntur, ut dominis, inquit *Ephes.* v. Paulus Apostolus. *Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae: ipse salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Verum cur mulieres hoc praeceptum saepe transgrediantur, ut plurimum in caussa mariti sunt, qui virtutum exemplo praeire feminis, qui christiana prudentia infirmioris sexus defectus perferre, qui divino amore prosequi uxores suas negligunt, contra eiusdem Apostoli mandatum: subdit enim continuo *ibidem* Paulus: *Viri diligite, uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea . . . . Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam. Quia membra sumus corporis eiusdem, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Verumtamen & vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virum suum.*

VII. Quis sacra quadam admiratione raptus, non obstupescit, hanc divini eloquii granditatem inaudiens, qua S. Paulus matrimonii dignitatem describit? Uxorem Ecclesiae, Christo maritum, & utriusque nexum coniunctioni Christi cum Ecclesia comparat Apostolus. Has sublimissimas matrimonii dotes si altius coniugatorum animis imprimere Parochi curarent, faustiora sane florerent Christianorum matrimonia. Si mariti hanc evangelicam doctrinam praesentem haberent, si eadem imbuti ad matrimonium accederent, si uxores suas, ut Christus Ecclesiam, spectarent; eas dillgerent, honorarent, custodirent ut castissimas sponsas. Et consequenter uxores revererentur maritos ut Christum, iisdem obedirent ut dominis, diligerent ut patres.

VIII. Quarta adulteriorum, rixarum, mutui odii caussa in coniugatis est hodierna illa pestifera, & gentibus omnibus hactenus inaudita corruptela promiscuarum

rum conversationum mulieres inter & viros, uxores inter & alienos maritos. Uxores illæ quæ solæ, maritis propriis neglectis, cum aliis viris conversantur, ludunt, saltant, tripudiant, non uxores, sed vilissima scorta, & de trivio meretriculæ sunt, quæ Christum, quæ Ecclesiam infamant, maritos dedecorant, familiarum successionem abrumpunt, & totam societatem perturbant. Nisi tollantur hæc promiscua virorum mulierumque commercia, frustra coniugiorum disciplinam reformandam confidimus. Omnium malorum caussa mariti sunt; sicut omnium communitatum relaxationes a Superiorum desidia, politica dissimulatione, carnali prudentia, & iniquitate proficiscuntur. Nolunt mariti suam coercere concupiscentiam; non sunt contenti proprii fontis potu, sed alienas lutulentas cisternas inquirunt: idcirco uxores in ordine continere nequeunt; sed pravis exemplis ad sua sectanda vestigia impellunt, atque eisdem habenas remittere coguntur. Quod si ipsi initio christiana gravitate, & prudenti regimine uxores suas, non verbis modo, sed operum etiam exemplis moderarentur, si easdem custodirent, eisdem providerent; subiectas, & obsequentes haberent. Sed, fracta prima domestici imperii rota, omnia in peius ruunt. Qui nupturi sunt, continenter meminerint Salomonis oraculi. *Pars bona mulier bona: in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis*: Eccl. XXVI.

IX. MONITUM primum quod Parochis, & Confessariis exhibeo, est, ut discant a Paulo Apostolo sermonis modum quo coniugatos alloqui & instruere debeant. Matrimonii evangelici sublimitatem, præstantiam, excellentiam, & privilegia gravi oratione exponant. Eiusdem Apostoli divina documenta interpretentur. Officii coniugalis castimoniam, honestatem, & sanctitatem declarent. Sæpe dictum Pauli intonent: *Sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii, sicut & Gentes quæ ignorant Deum*: ad Thess. IV. Perpetuitatem reciproci amoris, & mutui vinculi indissolubilitatem usque ad mortem congruis verbis repræsentent. Præveniant oppositionem discipulorum, qui cum audirent a Christo hanc matrimonii sublimitatem, & perpetuitatem, clamarunt: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud*. Matth. XIX. Ut vero facilius instruant, gratiam quam sacramentum istud producit, & istius gratiæ effectus, qui sunt ardorem libidinis temperare, concupiscentiam coercere, mutuum amorem nutrire, describant, extollantque. Heinc auditores facillime intelligent, in quo peccaverint, & a quibus abstinere debeant, ut caste & sancte iuxta Apostoli doctrinam exercere officium coniugale valeant. Plus scientiæ ex Pauli doctrina comparabunt Parochi pro coniugatorum instructione, quam si omnes disputationes excogitatas a Sanchezio, a Diana, a Gobatio, aliisque, memoria tenerent.

X. MONITUM secundum est, ut coniugum peccata oblique, & generatim perstrin-

ſtringant. S. Auguſtinus caſtiſſimis verbis ſub figura eorum qui intemperanter dapibus, alioquin licitis, ſeſe ingurgitant, omnia explicat. Quid magis patremfamilias dedecet quam proprii dolii vino ſe inebriari, & aſſidue in privata menſa voluptatibus indulgere? Cur ſepultus in inferno eſt dives cuius meminit Lucas Evangeliſta? An quia aliorum ſubſtantias devoraverit? An quia aliorum thalamos dedecoraverit? Nequaquam. Cur ergo? Quia æquo immoderatius rebus ſuis abutebatur & nimium deliciis ac voluptatibus operam dabat. Neque hæc Parochi applicabunt propudioſis coniugum moribus, ſed permittent ut auditores ipſi talia ſibi applicent. In hac enim materia communiter coniuges plus æquo acuti ſunt. Immiſceant Parochi Tobiæ, & alia Scripturarum vivida exempla. Caveant Parochi & Confeſſarii ne plus iuſto, aut minus caute exaggerent interdictum officium coniugale voluptatis cauſſa: ſi enim nimio zelo declamarent contra voluptatem quotidianam ciborum, deridendos ſe propinarent, & oleum operamque luderent. Omnia in Dei gloriam, & generis humani propagationem peragenda doceant: in ceteris prudentiam Pauli Apoſtoli imitentur, qui indulgentia diſſimulavit minora mala venialia. Cum enim officium iſtud exerceri abſque voluptate nequeat, imprudenter Parochi aut Confeſſarii agerent, ſi ſeverius in hoc voluptatis vitium declamarent; cum per indulgentiam id permiſerit Apoſtolus. Audi S. Auguſtinum *Lib. de bono coniugali cap.* XIII. inquientem: *Tam magnum eſt, ut multi hodie facilius ſe tota vita ab omni concubitu abſtineant, quam modum teneant non coeundi, niſi prolis cauſa, ſi matrimonio copulentur. Nempe multos habemus fratres, & ſocios, & cæleſtis hereditatis utriuſque ſexus continentes, ſive expertos nuptias, ſive ab omni tali commixtione integros. Nempe innumerabiles ſunt. Quem tandem audivimus inter familiaria colloquia, ſive eorum qui coniugati ſunt, ſive qui fuerunt, indicantem nobis numquam ſe coniugi eſſe commixtum niſi ſperando conceptum? Quod ergo præcipiunt coniugatis Apoſtoli, hoc eſt nuptiarum; quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, ſed ferunt.* Si id aſſecuti Parochi, & Confeſſarii fuerint, ut ſui auditores vera chriſtiani coniugii principia intelligant, & legem evangelicam impleant, & virtutum officia exerceant: ſi hoc, inquam, aſſecuti fuerint, ipſa interior virtus, probitas, & ſanctitas eloquenter docebit honeſtatem, puritatem, & caſtimoniam, qua congredi una coniuges debeant, quin opus ſit talia ex alto & palam iiſdem cum periculo aut deriſionis, aut aurium offenſionis inculcare. Neque heinc tamen inferas, minus improbandas, profligandaſque eſſe plurium recentiorum opinationes, quibus voluptati, & intemperantiæ coniugatorum frena laxantur. Et hæc de magno matrimonii ſacramento dicta ſunto.

LIBER

LIBER TERTIUS.

DE CENSURIS.

DISSERTATIO PRIMA.

DE CENSURIS IN COMMUNI.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex censura sit.

I. QUæst. I. *Quænam sit censuræ finitio?* Resp. Censuræ nomen varios excipit significatus. Officii nomen olim, & etiam nunc est. Apud Romanos *Censor* erat qui moribus populi corrigendis, reprehendendis, puniendisque invigilabat. Hinc Iuvenalis *satyr.* 11. dixit:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Vellicat Iuvenalis Censoris iniustitiam, qua in innocentes, aut ignorantia, vel simplicitate delinquentes severius animadvertebat, parcebat e contrario versutis, & inveteratis peccatoribus. Censura quoque accipitur pro iudicio, & sententia, quæ fertur contra, aut in favorem cuiuscumque rei.

II. *Censura*, de qua in præsentia sermo est, communiter describitur, quod sit *pœna ecclesiastica medicinalis fori exterioris, qua fidelis baptizatus privatur usu aliquorum bonorum spiritualium, ut a contumacia discedat.* Pœna nuncupatur, quia supponit culpam. *Medicinalis* vocatur, quia præter punitionem, ad rei emendationem infligitur. Dicitur *fori exterioris*, quia qui hanc pœnam infligit, iurisdictione in foro iudiciali & contentioso præditus sit oportet. Persona huic pœnæ obnoxia baptizata esse debet: quia Ecclesia suam exercere potestatem iure valet in solos fideles baptizatos. Heinc privat *usu aliquorum bonorum spiritualium*, quæ sunt propria fidelium. Excommunicatio privat etiam aliquo bono temporali; sed quatenus simul spirituale bonum est, & ad hoc ordinatur: conversatio enim cum fidelibus, qua privatur excommunicatus, bonum quoddam spirituale est, & ad emendationem rei directum: idcirco ultimo loco additur, *ut a contumacia discedat*, atque resipiscat, & ad meliorem frugem revertatur.

III. Quæst. II. *Quotuplex sit censura?* Resp. Communiter censura tribuitur in species tres, excommunicationem, suspensionem, & interdictum; ut perspicue decla-

claravit Innocentius III. cap. *Quærenti*, de verb. signif. ubi hæc habentur. *Quærenti, quid per censuram ecclesiasticam debet intelligi, cum eiusmodi clausulam in litteris nostris apponimus, respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi*. Irregularitas ex delicto non est pœna medicinalis, quæ auferri post emendationem delinquentis debeat, sed est mera pœna natura sua perpetua, quæ non aufertur post delinquentis correctionem, sicut aliæ censuræ; sed per solam dispensationem tollitur, & dicitur mera punitio. Similiter *depositio*, *degradatio* non infliguntur ad emendationem, ut reus desistat a contumacia: & ideo inter censuras non computantur. *Cessatio a divinis*, per quam prohibetur ne in tali loco divina celebrentur, non est censura, sed quoddam præceptum simile interdicto locali, ad retundendas iniurias Ecclesiæ irrogatas; ut habetur in *Clement. I. de sentent. excomm.*

IV. Censura respectu caussæ efficientis, alia est *ab homine*, alia *a iure* lata. Omnes utique censuræ ab homine infliguntur; nihilominus tamen quando Superior vi legis, aut statuti censuram infligit, dicitur *a iure* ferri. Quare Pontifices dumtaxat, & Concilia œcumenica pro universa Ecclesia, Episcopus in sua diœcesi ferre censuras a iure valent. Censuras vero *ab homine* omnes Superiores qui habent iurisdictionem ecclesiasticam in foro exteriori, infligere possunt. Hæc censura semel contracta durat etiam mortuo Superiore, usque dum obtineatur absolutio. Si vero non sit contracta, licet lata a Superiore fuerit, isto mortuo, aut per delictum privato iurisdictione, non durat, sed corruit. Quia hæc censura pendet a potestate Superioris. Ergo, hac ablata, vel suspensa, censura evanescit. Censura vero a iure lata semper durat, sicut lex.

V. Alia censura dicitur *generalis* lata in omnes qui v. g. furantur in tali loco: alia particularis, quæ particulari personæ infligitur. Dividitur tandem censura in *latæ sententiæ*, quæ ipso facto ligat ante iudicis sententiam, & in *sententiæ ferendæ*, quæ solum post iudiciis sententiam incurritur. Signa quibus dignoscitur, num censura sit *latæ sententiæ*, communiter hæc assignantur. *Confestim*, *statim*, *illico*, *ipso facto*, *prorsus*, *incontinenti*, sit excommunicatus, suspensus &c. Tunc vero reputatur esse ferendæ sententiæ, quando Superior dicit: *Præcipimus sub pœna excommunicationis*, *interdicti* &c. aut si de futuro exprimatur: *Excommunicabitur*, *suspendetur* &c. In dubio autem sit ne latæ, an ferendæ sententiæ, intelligendum est *ferendæ*, non *latæ*, censuram esse: quia in meris pœnalibus dubium benigne est interpretandum, ut communiter Theologi docent.

VI. Disputant Auctores, num hæc formula, *Anathema sit*, *sit excommunicatus*, contineat censuram *latæ*, aut *ferendæ sententiæ*. Communis sententia docet esse censuram latæ sententiæ.

CA-

CAPUT II.

De potestate Ecclesiæ ferendi censuras.

I. Veritas fidei est, definita in Concilio Constantiensi *sess.* VIII. & *sess.* IX. & habetur aperte in Scripturis, Ecclesiam censuras infligere posse. Nam *Matth.* XVI. & XVIII. dicitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis . . . Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus & publicanus*, idest segregatus ab omni commercio fidelium, & suffragiorum participatione privatus; quemadmodum infidelis ab omni communicatione cum Christianis in rebus ecclesiasticis seiunctus est. S. Paulus *I. Cor.* V. inquit: *Iudicavi tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.*

II. Veritas hæc ratione quoque constat. Nam quælibet Respublica bene instituta potestate prædita est puniendi, & pœnis coercendi delinquentes. Ergo potiori iure hac potestate ornata Ecclesia est, cum sit omnium Rerumpublicarum præstantissima. Ecclesia habet plenam potestatem administrandi sacramenta, & spiritualia bona, inquit Apostolus I. Cor. IV. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ergo potestatem habet privandi delinquentes contumaces eiusmodi bonis. Hæc potestas a Tridentino *sess.* XXV. *cap.* III. appellatur *nervus ecclesiasticæ disciplinæ*. Dicitur etiam *ensis* & *gladius Ecclesiæ*.

III. Lutherus, & Calvinus, quamvis concedant Ecclesiæ excommunicandi facultatem, negant tamen eidem potestatem privandi bonis spiritualibus, & interna suffragiorum communione: quia in spiritualibus nemo læditur nisi a seipso. Utique nemo lædi in spiritualibus propriis & privatis, ut in gratia, caritate, merito &c. potest, nisi a seipso: quia hæc Ecclesia non administrat. At lædi, & privari potest bonis communibus, nempe sacramentis, beneficiis, sacrificiis, suffragiis &c. quia horum administrationem bonorum Ecclesia habet a Christo Domino.

IV. Quæst. I. *Quinam habeant potestatem ferendi iure ordinario censuras?* Resp. In primis summus Pontifex iure ordinario potestatem habet respectu universæ Ecclesiæ, cuius est caput, ferendi censuras, easdem minuendi, augendi, immutandi: quia in universam Ecclesiam iurisdictione præditus est. Similiter Concilia generalia in universam Ecclesiam, provincialia in provinciam, & diœcesana in diœcesim hac eadem potestate gaudent. Deinde Cardinales hanc potestatem habent in Ecclesias proprii tituli. Item hac potestate ordinario iure fruuntur Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi in subditos propriæ diœcesis. Episcopi, quos *titulares* seu *in partibus* vocant, cum subditos non habeant, hac iurisdictione carent. Hac potestate fruuntur Episcopi, & Archiepiscopi confirmati, licet non sint consecrati. Hac potestate Episcopi iure divino ornati sunt, tametsi media electione, & confirmatione

tione Pontificis. Quapropter hac poteſtate neque a Pontifice privari abſolute valent. Hanc poteſtatem exercere in ſuffraganeos Archiepiſcopi nequeunt, niſi tempore viſitationis. Hanc eamdem poteſtatem habent Legati a latere in univerſam legationis provinciam. Item Vicarii Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum, quibuſcum unum tribunal conſtituunt. Mortuo Epiſcopo, ceſſat in eiuſdem Vicario talis poteſtas.

V. Prælati regulares, ut Generales, Provinciales, Rectores, Præpoſiti, Abbates, Priores, Guardiani, ſive ex privilegio, ſive ex natura rei hanc reipſa poteſtatem habent, maiorem, aut minorem iuxta cuiuſcumque Religionis leges, & conſuetudines. Tandem hac poteſtate præditum eſt Capitulum Eccleſiæ cathedralis, Sede vacante; cum tunc ſuccedat in locum defuncti Epiſcopi. Parochis hæc poteſtas communiter denegatur.

VI. Quæſt. II. *Quibus delegari hæc poteſtas valeat, & quomodo hæc poteſtas delegata acquiratur?* Reſp. Iure ordinario delegari hæc poteſtas valet etiam Clerico, nedum Sacerdoti cuilibet; dummodo Clericus non ſit coniugatus. An Pontifex ſummus feminis hanc delegare poteſtatem valeat, aliis diſputandum relinquo. Mea ſententia eſt negativa. Qui habet poteſtatem delegatam, nequit eam ſubdelegare, ut communis fert ſententia, niſi a delegante hoc expreſſum fuerit. Poteſtas delegata a ſummo Pontifice poteſt ſubdelegari vi privilegii a Sede apoſtolica conceſſi delegatis Pontificis. Expirat hæc facultas delegata, morte delegantis, aut revocatione eiuſdem. Tribunal ſacræ Inquiſitionis non amittit hanc poteſtatem morte Pontificis. Quando cauſſa a delegato inchoata legitime eſt, durat poteſtas, nec ceſſat morte delegantis.

VII. Hæc poteſtas ferendi cenſuras acquiritur per conſuetudinem legitime introductam. Hæc autem conſuetudo non ſolet eſſe reſpectu omnium cenſurarum. Quare ſi conſuetudine introductum ſit ut quis poſſit hanc cenſuram ferre, non ſequitur ut valeat infligere aliam. Si ſubditus unius Epiſcopi committat delictum in territorio alterius Epiſcopi, ab hoc puniri, & excommunicari poteſt: quia non ſubditus fit ſubditus ratione delicti, & illi foro ſubditur in cuius territorio patratum ſcelus eſt; ut colligitur ex cap. *Placuit* VI. *quæſt.* VI. niſi reus extra territorium exeat, antequam Epiſcopus cauſſam cognoſcat, & ſententiam ferat: quia extra ſuum territorium illum excommunicare non poteſt. Archiepiſcopus nequit ab Epiſcopo ſuffraganeo excommunicari, licet in eiuſdem territorio delictum committat: quia eſt illius Superior. Si vero Archiepiſcopus delictum patraret in territorio Epiſcopi ſibi non ſuffraganei, ab eo excommunicari poteſt: quia ratione delicti eſt illi inferior. Si tamen reus ſit exemptus ab epiſcopali iuriſdictione, ut ſunt Reges, Reginæ, eorumque filii, & Regulares, non ſubiacet excommunicationi Epiſcopi.

VIII. Nemo potest seipsum excommunicare, ut docet S. Thomas in *Suppl. quæst.* xxii. *art.* 4. quia, inquit, *nullus habet in seipsum, vel superiorem, vel æqualem iurisdictionem, & per consequens nullus potest seipsum excommunicare, vel superiorem, vel æqualem.* Obiecta quæ fieri possunt, ibidem diluuntur. Similiter nemo in caussa propria ferre censuram valet. Si tamen caussa sit adeo publica & manifesta, ut negari nequeat; tunc plures asserunt, ferri censuram posse, sicut & ad repellendam iniuriam quam irrogare subditus attentaret.

IX. Quæst. III. *Quibus dotibus præditus esse debet qui censuras infligit?* Resp. Requiritur ut sit baptizatus: quia qui non est intra Ecclesiam per baptisma, nequit exercere iurisdictionem, & munia ecclesiastica. Debet etiam esse Clericus, saltem prima tonsura insignitus, & non coniugatus. Docent plures, summum Pontificem conferre potestatem ferendi censuras homini laico posse. Requiritur etiam ut qui censuras fert, sit homo viator, exclusis Angelis bonis, & malis. Inepti quoque sunt ad censuras ferendas ebrii, amentes, pueri ante usum rationis, Episcopi excommunicati, hæretici, schismatici, suspensi, & istorum Vicarii, ac delegati. Debet tamen publice constare iudicem esse excommunicatum, denuntiatum, & non toleratum, ut careat potestate ferendi censuras. Si enim sit occulte excommunicatus, vel hæreticus Episcopus, ferre censuras valet. Disputant Auctores, num censura gravi metu extorta, sit valida. Negant aliqui; sed communis sententia adfirmat: quia metus gravis non impedit absolute libertatem. Quæ enim metu gravi fiunt, iure naturæ valida sunt, nisi iure positivo irritentur. Nullum autem occurrit ius positivum irritans censuras a iudice metu gravi coacto latas.

CAPUT III.

De forma & ritu ferendi censuras.

I. Convenit penes omnes, ferendas censuras esse aliquo signo exteriori, verbis, aut nutibus expresso. Absolute non requiruntur determinata verba, aut signa; sed sat est ea adhibere quæ sufficienter manifestent iudicis voluntatem, & speciem censuræ quæ infertur. Quare si iudex diceret, *Qui hoc fecerit, sit censura irretitus*, nihil efficeret. Disputant vero Auctores, num valida censura sit sub distinctione lata, ut si iudex dicat: *Nisi solveris quod debes, intra mensem, excommunico, vel suspendo te.* Plures adfirmant, & plures negant. At quemadmodum ineptus esset iudex qui tali uteretur forma; sic ineptirem ipse, si tempus tererem in futili controversia discutienda. Disputant quoque, an requirantur verba, aut sufficiant signa, vel scriptum: an, si iudex rogatus, utrum velit excommunicare Petrum, caput inclinare debeat. Sed similes disputationes superfluas existimo. Habent enim tribunalia suas præscriptas formulas pro infligendis censuris.

ris. Censuras sub conditione latas, validas asserunt, conditione expleta, nisi ante conditionis eventum fiat appellatio: tunc enim, etiam conditione impleta, nulla censura foret: quia appellatio reputatur antecedenter interposita. Si creditor protraheret terminum a iudice præscriptum, tunc debitor non incurreret censuram, etiam adveniente termino: quia sicut creditor remittere debitum, ita differre solutionis tempus valet. Si tamen neque adveniente termino a creditore protracto, debitor solveret, tunc censuram incurreret; quidquid in oppositum aliqui doceant.

II. Quæst. I. *Qui ritus servandus est in censura ferenda?* Resp. Innocentius IV. hanc præscribit formam in cap. 1. *Cum medicinalis*, de sent. excommunic. in VI. his verbis. *Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero huiusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus: super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas. Si quis autem iudicum huiusmodi constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis noverit se suspensum.*

III. Hæc necessaria sunt necessitate, inquiunt, præcepti ad accidentalem solemnitatem, secus ad substantialem valorem censuræ. Valida quippe censura esset, etiam scripto omisso, voce prolata; ut communiter Auctores docent. Quin addunt hanc solemnitatem non requiri neque vi præcepti, si censura lata a iure sit, vel ab homine per modum præcepti ad impediendum peccatum futurum. Observantiam vero talis præcepti tunc necessariam asserunt, cum iudex, cognita caussa, & citatione præmissa, sententiam fert. Observantiæ dictæ constitutionis obnoxii sunt etiam Prælati Regularium, nisi aliquo privilegio exempti sint.

IV. Quæst. II. *An præcedere censuram monitio debeat?* Resp. Adfirmant omnes, idque ex Evangelio colligitur. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus*: Matth. XVIII. & rursus Paulus II. ad Thessal. cap. III. *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & cum illo non commisceamini, ut confundatur.* Ratio quoque id evincit: quia censura non fertur nisi in contumaces, & inobedientes. Contumax autem & inobediens non dicitur qui prius monitus non fuit. Duplex distingui monitio solet: altera non canonica, quæ est ipsum præceptum iuris, vel hominis, aliquid sub pœna censuræ præcipiens, aut prohibens: canonica altera, & est illa quæ iuxta canones iudicis auctoritate reo intimatur personaliter coram testibus in scriptis, ut a culpa, quæ in ipsa monitione explicatur, resipiscat. Hanc monitionem ad censuræ valorem communis sententia asserit necessariam. Quia ferri censura nequit nisi in contumacem: contumax autem esse nequit, nisi sit admonitus. Bonacina cum aliis contendit, peccare qui-

dem iudicem, neglecta monitione, censuram ferentem, sed censuram valere? quam opinionem probabilem reputant Salmanticenses *tract.* x. *cap.* 1. *num.* 85. Disputant quoque, utrum necessaria sit monitio, quando delictum est notorium. Et distinguunt notorietatem delicti, quando scilicet notorium & publicum est, Petrum commisisse tale delictum, a notorietate contumaciæ, quando reus publice sub iuramento testatus est se repugnaturum præcepto Superioris, eiusque admonitioni. Omnes fatentur, monitionem præcedere censuram debere, etiamsi delictum notorium sit. Si vero notoria fuerit delinquentis contumacia, tum aliqui contendunt non esse necessariam admonitionem. Similiter quando lex, vel præceptum latum est sub pœna censuræ ferendæ, moneri transgressor debet, antequam in ipsum feratur censura, iuxta probabiliorem opinionem. Quando vero ius latæ sententiæ censuram infligit, tunc non requiritur admonitio præcedens.

V. Quæst. III. *Quot monitiones præcedere censuram debent?* Resp. Trina monitio præcedere censuram debet, vel una quæ tribus æquivaleat. Trina monitio tunc præcedit, quando separatim reus ter admonetur, tempore congruo pro unaquaque admonitione assignato. Hoc temporis intervallum, ut minus, duorum dierum esse debet. Tunc vero monitio una pro trina, seu æquivalens tribus dicitur; quando iudex assignat congruum tempus pro trina admonitione, puta sex, aut decem dierum, moneatque reum hunc esse ultimum, & peremptorium terminum. Tunc enim monitio est virtualiter triplex. Temporis intervallum dilatare, & restringere iudex poterit pro circumstantiarum diversitate. Si negotium urgens sit, & periculum in mora timeatur, poterit iudex intra eumdem diem, immo intra paucas horas, assignatis semper tribus intervallis pro trina monitione, tempus istud coercere.

VI. Monitio hæc a iudice, aut eiusdem nomine fieri debet vel in scriptis, vel voce coram testibus idoneis. Si ferenda censura sit contra plures, sat est ut fiat in Ecclesia coram populo. Si contra communitatem interdictum ferendum fuerit, non singuli, sed illi quorum culpa caussa interdicti est, monendi sunt: quia hi sunt contumaces in ordinem redigendi. Si censura particulari personæ infligenda sit, hæc monenda est. Si delinquens fraude & dolo declinare monitionem studeat, sufficit monitionem fieri aut ad illius domum, vel in Ecclesia, vel in loco publico. Fraus tamen manifestis indiciis patere debet. Quando semel in persona monitus est, aliæ duæ citationes, & monitiones fieri possunt in Ecclesia, ut in publico tribunali. Istæ tres admonitiones necessariæ sunt necessitate præcepti ad solemnitatem accidentalem, secus ad censuræ valorem. Peccaret propterea iudex qui sine evidenti & urgenti caussa hanc trinam monitionem omitteret. Nullam tamen esse censuram asserunt communiter Auctores, nisi trina canonica monitio præcedat, vel una pro tribus, quando iudex infligit excommunicatio-

tionem maiorem, aut suspendit, aut interdicit communicantem cum excommunicato a se; ut habetur cap. *Statuimus*, de sent. excommunic. in VI. Item quando delegatus qui sub tali conditione præmittendi trinam, aut unam pro trina, admonitionem, facultatem ferendi censuras accepit, omittit talem monitionem, nullam esse censuram docent.

VII. Quæst. IV. *Quæ aliæ conditiones servandæ sunt in censuris ferendis?* Resp. Diebus feriatis ferri censuræ non debent; cum cognitio causæ requiratur, quæ his diebus vetita est. Valida tamen erit, etiam his diebus lata, licet illicita. Immo licita etiam erit, si absque causæ cognitione per modum legis aut præcepti, aut si causæ cognitione die non feriato facta a Prælato, seu iudice feratur. Censura ligatus denuntiari debet. Si lata ab homine censura sit, ab eodem est denuntiandus reus, ut citius resipiscat: si inflicta sit a iure, denuntiatio fieri debet ab Ordinario loci in quo contracta censura est. In hoc tamen casu censuræ latæ a iure citandus est reus, antequam denuntietur, ad se defendendum: qui si delictum fateatur, & emendationem spondeat, a denuntiatione abstinendum erit.

VIII. Quæst. V. *An Superiores valeant extra proprium territorium censuras ferre?* Resp. Inter Superiores quidam sunt qui limitatum territorium non habent, ut Pontifex summus, qui cum sit supremus & universalis Pastor, in omnes fideles totius orbis potestatem habet ferendi censuras. Prælati quoque regulares non habent territoria definita. Episcopi, & ceteri omnes Superiores territoria limitata & definita habent. Quare isti extra proprium territorium nequeunt censuras ferre: quia in territorio alieno exercere iurisdictionem, & tribunal erigere nequeunt. Quando tamen causæ cognitio in proprio territorio præcessit, vel quando contumacia adeo manifesta est, ut causæ discussione non egeat, & monitio canonica facta sit, valide censuræ ferri possunt ab Episcopo etiam in alieno territorio degente. Censuras quoque ferre in alieno territorio Episcopus valet per modum statuti, vel præcepti ad evitanda futura delicta: quia tunc nulla requiritur causæ cognitio. Si Episcopus iniuste expulsus a propria diœcesi sit, in locis eidem propinquioribus iurisdictionem contentiosam in suos subditos exercere potest, petita ab eiusdem loci Ordinario licentia, licet non obtenta; ut habetur in Clementina *Quamvis* de foro competenti. Absolute vero censuras ferre Episcopus in alieno territorio potest, quando loci Ordinarius consentit: quia tunc potest etiam subditum alienum iudicare, nedum proprium: in hoc tamen casu partium consensus necessarius est.

IX. Disputant Theologi, utrum Episcopus valeat censuras infligere proprio subdito in proprio territorio delinquenti, si ad aliud territorium transierit. Probabilior, & communior sententia adfirmat: alioquin delicta impunita manerent, & frustranea esset ecclesiastica iurisdictio; cum iste reus non posset ab Episcopo alie-

no, in cuius territorio non peccavit, puniri. Nec urget paritas a Principe non valente castigare subditum in alieno statu petita. Quoniam Principes nequeunt punire subditos nisi per vim coactivam corporalem, quae fieri absque strepitu nequit, atque adeo sine tumultu, & pacis aliorum Principum perturbatione. Verum censura poena spiritualis est, quae absque vi, & strepitu ipso facto incurritur. Heinc potest Episcopus omnes Clericos subditos sub poena excommunicationis vocare ad Synodum dioecesanam: quam excommunicationem incurrent etiam Clerici degentes in alieno territorio, si parere recusarent. Si delictum inchoatum tantum sit in propria dioecesi, & consummatum in aliena, censura non incurritur. Episcopus infligit censuram in stupratorem. Subditus in hac dioecesi virginem tactibus impudicis, & osculis complectitur, eam extrahit a dioecesi, & in aliena dioecesi stuprum perpetrat. Iste non incurrit excommunicationem contra stupratores latam: quia censura fertur contra peccatum consummatum in proprio territorio.

X. Subditum in alieno territorio peccantem punire censuris Episcopus nequit: quia ratione delicti sortitur forum in quo patratur delictum. Si tamen redeat ad propriam dioecesim, & ibi coram Ordinario a parte laesa convincatur de furto commisso in alieno territorio; tunc censuris cogi potest ad restitutionem. Delicta in locis exemptis patrata, licet sint in dioecesi, nequeunt ab Episcopo talis dioecesis castigari.

XI. Alienum subditum in propria dioecesi delinquentem punire Episcopus valet ob rationem supra indicatam, quod delictum sortitur forum loci in quo committitur. Si tamen a territorio discedat, antequam caussa cognoscatur, non potest censuris irretiri. Excommunicatio lata per modum statuti ad praecavenda futura delicta, ut furta in loco sacro, ligat alienigenas in tali loco degentes cum animo ibidem maiori anni parte commorandi, secus si sint in transitu: quia talis lex rogata est in favorem territorii: idcirco obstringit omnes ibidem commorantes. Qui vero brevi ibidem degunt, non subiacent iurisdictioni talis Superioris, ut dictum est *Tom. VI. diss. de leg.* Si lex perpetua fuerit, & non revocata, ligat non modo subditos existentes tempore quo lata est, verum etiam futuros; ut per se notum est.

CAPUT IV.

De culpa ob quam censura ferri debet, & potest.

I. QUaest. I. *Ob quam culpam ferri censura debet?* Resp. Censura poena est: ergo culpam supponit. Porro cum sit poena ab Ecclesia lata, consequitur culpam debere esse contra Ecclesiae praecepta. Quare peccata praecise contra ius

ius divinum, & naturale, nisi ab Ecclesia etiam prohibeantur, non subiacent censuris Ecclesiæ; præsertim cum censuræ ferantur ad reprimendam contumaciam, & rebellionem contra Ecclesiam. Nec sat est rem aliquam vetitam ab Ecclesia esse, ut ferri censura possit; sed prohibita sit oportet sub pœna censuræ incurrendæ. Heinc infligi censura nequit propter peccatum omnino præteritum, vel præsens, nisi simul tractum habeat successivum; ut cap. *Ex parte* de verb. significat. statuitur. Ibi enim Pontifex enumerat caussas ob quas ferri censuræ possint, inquiens: *Qu a reus citatus noluit parere iudici, aut a commisso delicto iussus se emendare noluit*. Quamobrem non potest ferri censura in eum qui ieiunia Ecclesiæ fregit, qui Eucharistiam in Paschate non sumpsit, nisi habito respectu ad futuram transgressionem, quam quis continuare velit. Si enim resipiscat, non est contumax, atque adeo neque censura dignus; cum hæc sit pœna medicinalis, quæ sanitate habita superflua est.

II. Quæst. II. *An pro ferenda censura requiratur culpa & contumacia propria, an sufficiat aliena?* Resp. Nemo ligari censuris potest ob culpam alienam. Et loquendo de excommunicatione, & suspensione personali, manifestum est. Interdictum vero generale non tangit immediate innocentes, nisi quatenus connexionem habent cum sontibus, quorum pœna acerbior est, cum vident vel ipsos innocentes detrimentum pati propter propriam culpam.

III. Quæst. III. *Sufficit ne culpa venialis, an requiritur mortalis, ut ferri censura possit?* Resp. Excommunicationem minorem ferri posse ob culpam levem, communis est Auctorum sententia; cum reipsa infligatur ob civilem communicationem cum excommunicato vitando; quæ communicatio, nisi fiat in contemptum, non excedit venialem culpam. Censuræ vero maiores, ut excommunicatio maior, suspensio, & interdictum, cum sint pœnæ gravissimæ, infligi non possunt nisi ob culpam mortaliter gravem. Aliquando etiam suspensio ad breve tempus, & interdictum particularis personæ ad breve intervallum computari solent inter censuras minores; & tunc ob levem culpam potest interdum quis suspendi ab aliquo officii usu. Verum nunc sermo est de his censuris, excommunicatione maiori, suspensione, & interdicto, prout communiter accipiuntur, quatenus scilicet sunt pœnæ gravissimæ: quæ imponi nequeunt nisi ob gravem culpam. Ratio patet, quia repugnat æquitati inflictio gravissimæ pœnæ ob levem culpam: & potissimum cum pœna medicinalis est. Quæ ergo excusant a commissione letalis culpæ, excusant quoque ab incurrenda censura.

IV. Obiicies. Sæpe Prælati sub censura excommunicationis, vel suspensionis prohibent, & præcipiunt rem ex se levem, & fere indifferentem. Præcipiunt ut Clerici prodeant in publicum veste talari sub pœna suspensionis. Vetant Prælati regulares ingressum in cellam alterius, vel in illam domum sub pœna excommu-

 ni-

nicationis. Hæc omnia levia sunt. Resp. Materia levis esse potest tum in se; tum in ordine ad finem: & tunc nullo modo sub gravi censura prohiberi potest. Interdum est levis in se, sed, fine, & circumstantiis spectatis, est magnopere gravis. Et tum, quando aliquid a Superiore prohibetur expresso præcepto censura adiecta, illius transgressio mortalis est, & censura incurritur. Ad Superiorem autem attinet iudicare, quando nec ne talis materia magnopere conducat ad finem boni regiminis, ad vitandum scandalum, ad impedienda absurda. Quamobrem dum reipsa Prælatus præceptum imponit, & censuram fert, tenentur subditi observare præceptum, nisi censuram incurrere velint. Censura enim adiecta manifestat gravitatem præcepti, præsertim si censura sit latæ sententiæ. Si enim præceptum adiunctam habeat censuram ferendæ sententiæ, & non contineat clausulam, *quod absque ulla monitione talis censura possit a iudice applicari*, non obligat sub mortali, ut communiter Auctores docent: quia quando deest hæc clausula, lex requirit monitionem; dum autem monitionem postulat, & materia de se levis est, tunc signum præbet quod nolit sub gravi obligare. Post monitionem autem tunc præceptum sub gravi astringeret, & transgressor censuram incurreret. Si vero præfata clausula inserta esset, tum ipsum præceptum esset admonitio, & obligaret sub gravi; & violator obnoxius censuræ foret, ut communis sententia docet.

V. Quæst. IV. *An ob actum internum ferri censura possit?* Resp. Negant omnes: quia licet potestas Ecclesiæ sit spiritualis; exercetur tamen per homines, qui interiores actus humanos dignoscere nequeunt. Quare ob hæresim pure mentalem, nulloque signo exteriori manifestatam, excommunicatio non contrahitur. Si tamen homo illam manifestaret, tametsi solus in cubiculo clausus, seiunctus ab hominum consortio, censuram incurreret: quia tunc hæresis esset utique occulta, sed simul sensibilis & externa. Contra, si quis exerceret actum externum idololatriæ, vel hæresis absque actu interno, & animi assensu, non incurreret reipsa excommunicationem in foro interiori, quamvis in foro exteriori ut excommunicatus haberetur, si innotesceret. Si Ecclesia præciperet actionem exteriorem, ad cuius substantiam non attineret actus internus, qui hanc actionem exteriorem poneret animo alio distracto, liber ab excommunicatione esset. Quando tamen actus interior necessario connexus est cum exteriori, ut attentio mentis cum oratione vocali, tunc qui omitteret actum internum, licet poneret externum, censuræ obnoxius foret, ut alibi dictum est: quoniam tametsi Ecclesia potestate careat directa in actus internos, dum tamen præcipit externos, indirecte iubet internos qui cum externis coniuncti sunt, aut tamquam caussa cum effectu, aut tamquam effectus cum caussa. Hac ratione Ecclesia punit simoniam interiorem connexam cum exteriori largitione; excommunicationem contorquet

in

in Inquisitores qui odio, aut amore lucri aliquid faciunt, vel omittunt. Si tamen ex hoc odio, vel amore non erumpant in actus exteriores iniustos, non incurrunt excommunicationem; neque eam contraherent, si ex odio iustitiam exteriorem exercerent.

VI. Obiicies. Ecclesia 1. dispensat in voto mero interno. 2. Reservat plura peccata interna. 3. Definit aliquid de fide, obligatque ad actum interiorem, quo eidem assensus præbeatur. 4. Punit hæreticum occultum. Resp. ad 1. Dispensat in votis quæ sibi manifestantur. Ad 2. Reservatio non est actus iurisdictionis, quæ directe tendat in actus internos; sed directe limitat iurisdictionem Confessarii, ne valeat remittere peccata sibi manifestata. Ad 3. Propositio definita exterior est, quam actu interiori credere fidelis obstringitur iure divino; & Ecclesia in solum exteriorem assensum, vel dissensum iudicium fert. Ad 4. Delictum exterius natura sua sensibile est, & aptum ut puniatur: idcirco Ecclesia imponit excommunicationem a iure contra hæresim occultam.

VII. Peccatum exterius, propter quod censura infligitur, debet in suo genere esse consummatum, ut iam supra indicatum est: v. g. si stuprum sub censura prohibeatur, intelligitur copula consummata: quia in meris pœnalibus odia sunt restringenda. Quod intelligitur, nisi lege aliud exprimatur: si enim lex declaret se velle punire conatum, & quamlibet malitiam attentatam, iam non est necesse ut peccatum in tali genere sit consummatum.

VIII. Quæst. V. *Utrum censura lata contra executores criminis comprehendat etiam mandantes, & consulentes?* Resp. Communis sententia negat mandantes, vel consulentes comprehendi in censura lata, sive a iure, sive ab homine, nisi in præcepto expresse, aut implicite, seu in generali aliqua clausula nominati intelligantur. Ratio nititur communi illi principio, quod odia sint restringenda in puris pœnalibus. Deinde quia quando Superiores volunt istos comprehendere, id in lege, aut præcepto exprimunt, inquientes aut expresse, *quod mandans, aut consulens homicidium sit excommunicatus*, aut alia generali expressione: *Occisor, aut qui quacumque ratione homicidii caussa extiterit, sit excommunicatus*. His clausulis uti Superiores solent, quando mandantes, consulentes, cooperantes sub censura concludere volunt. Ergo quoties has clausulas negligunt, soli factores, non consultores, aut mandantes censura configuntur. Nec est quod opponas: *Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur*. Quoniam axioma istud significat, quod reipsa tam agentes, quam consentientes eadem pœna plecti valeant: & apud Deum reipsa hoc contingit. At non inde sequitur quod, si Ecclesia non infligat pœnam, debeat illam reus subire. Posset Ecclesia ipsum homicidii actorem ab censuræ pœna immunem relinquere: ergo quando consentientis, mandantis, consulentis non meminit, nullo modo illum censura ligare intendit.

IX.

IX. Quæst. VI. *Qui consulunt homicidium homini parato ad illud patrandum, subiacent ne censuræ, si in lege consulentes nominati sint?* Resp. Si consilium acuit, incitat, aut sollicitat occisorem, vel alium ad exequendum opus censuræ obnoxium, tum mandantes, & consulentes irretiri censura adfirmant omnes. Salmanticenses *tract.* x. *cap.* 1. *punct.* 12. *num.* 147. cum aliis multis docent, quod dum consilium aut mandatum est simplex, seu dum mandantes & consulentes probabiliter existimant proprium consilium, vel mandatum non influxisse in opus, non auxisse voluntatem occisoris, sint a censura liberi. Quia, inquiunt, non incurrit censuram qui non influit in opus prohibitum. In nostro autem casu, subdunt, consulens, & mandans non influit in opus. Ergo &c. Idque confirmant, quia si mandatum, vel consilium sit bonum, etiamsi opus sub censura vetitum sequatur, non contrahitur censura; ut si quis parato occidere Clericum consuleret ut tantum eum percutere contentus esset.

X. Hæc opinio mihi videtur arbitrarium commentum; & præcisio non augendi voluntatem, non influendi in opus &c. est pura chimæra. Nam eo ipso quod quis consulat, vel mandet occisionem, quamtumvis paratissimus sit occisor, natura sua auget, roborat, animat, confirmatque eiusdem voluntatem ad opus patrandum. Neque humanæ cognitioni subiacet vis istius consilii, vel mandati. Quis discernere valet, utrum aliquando hoc consilium, vel mandatum nihil omnino conferat in opus vetitum; cum natura sua habeat inflammare, incitare, animare, confirmare occisorem ad scelus committendum? At nos, inquiunt Salmanticenses, loquimur in hypothesi in qua reipsa consilium, vel mandatum non influat in opus. Et ego repono, hanc hypothesim, & præcisionem esse puram putamque chimæram. Quoniam cum consilium, vel mandatum natura sua pariat indicatos effectus in homine etiam paratissimo ad occisionem, inepte, & futiliter asseritur, consilium, vel mandatum esse simplex, & expers influxus in opus. Ecclesia subiicit censuræ mandantes, & consulentes homicidium, furtum in loco sacro &c. Neque Ecclesia, neque homines ulli expendere, & trutinare possunt aut quantitatem influxus, aut num reipsa nec ne quidquam impulsus contulerit mandatum, vel consilium in opus vetitum. Natura sua, ut dixi, consilium, vel mandatum aliquid in voluntate executoris operatur. Num aliquando parum, aut nihil operetur, fugit humanæ mentis aciem. Quod aiunt Salmanticenses, mandantem, & consulentem non incurrere censuram, si consilium vel mandatum bonum sit, etiamsi executor committat opus vetitum, dignum non est stantis Theologis ratiocinium, quod seipso suam futilitatem patefacit. Nam consilium bonum natura sua retrahit a malo, non influit in illud.

XI. Quæst. VII. *An si consulentes, vel mandantes revocent consilium, & mandatum ante executionem sceleris, immunes a censura sint?* Resp. Duplici in statu dispu-

disputatur proposita quæstio, quia duplici modo revocari consilium, vel mandatum potest. 1. quando mandatario & executori qui consilium accepit, comperta est revocatio consilii vel mandati. 2. quando talis revocatio non innotescit executori. Deinde discrimen animadvertendum est consulentem inter & mandantem. Mandans producit deliberationem, puta homicidii, per solum imperium in mandatario. Consulens vero generat voluntatem in executore mediis rationibus, quæ mentem imbuunt. Illum edocet, instruit, persuadet. Semina persuasionis iacit in illius animum, quæ suapte natura postea movent & urgent. Heinc est quod plures Theologi doceant, mandantem post revocationem notam mandatario ad nihil teneri, immunemque esse a censura, secus consulentem. Alii tamen hoc discrimen reiiciunt, saltem quantum ad censuram incurrendam. Convenit penes omnes, revocationem languidam, inefficacem, minus sinceram nullo modo liberare sive mandantem, sive consulentem a censura, aliisque oneribus restitutionis &c. Quibus delibatis, duplicem de hac controversia sententiam refero.

XII. Prima sententia defendit, neque mandantem, neque consulentem, qui sincero animo, & omni virium conatu, nihil omittens eorum quæ ad impediendum effectum conducunt, studet revocare mandatum vel consilium, si id innotescat executori, incurrere censuram. Quoniam tum si mandatarius exequatur delictum, id unice ex eiusdem malitia proficiscitur. Hanc opinionem propugnant Salmanticenses *tract.* x. *cap.* 1. *punct.* 10. *num.* 150. & pro eadem citant Antonium a Spiritu sancto, Comeium, Palaum, Avilam, Suarez, Laymanum, Gibalinum, Tabienam, Dianam, & alios. Quoniam, inquiunt, Ecclesia non intendit punire nisi rebelles & contumaces. In hoc casu consulentes, & mandantes non sunt rebelles, neque contumaces: ergo non ligantur censura. Aliqui tamen horum Auctorum de mandante loquuntur, ut advertunt ipsimet Salmanticenses, secus de consulente. Hæc ratio non videtur urgere. Nam consulentes & mandantes rebelles & contumaces fuerunt, dum consilium vel mandatum dederunt. Quare si rebellionem, & contumaciam deponant, dum consilium, & mandatum revocant, non debent nova censura irretiri; at sequi non videtur, obnoxios eos non esse censuræ ob rebellionem & contumaciam habitam in consilio dando, & mandato imponendo.

XIII. Secundam opinionem oppositam defendunt Molina *Tom. IV. de iust. disp.* lii. Coninch. *de cens. a num.* 180. Navarra *cap.* lvii. *num.* 253. Bonacina *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 7. Hic tamen de solo consulente loquitur. Hæc est illorum ratio. Licet revocetur consilium, vel mandatum sincero animo, omnique meliori modo, si tamen voluntas executoris, concepta vi consilii, aut mandati, perseverat, uti revera perseverat, quoties reipsa Clericus percutitur, homicidium patratur, iam mandans, vel consilium præbens influit in scelus: ergo incurrit excommunicationem,

nem, si sit percussus Clericus; vel irregularitatem ex delicto, si secutum fuerit homicidium. Mandatarius, vel consultus nullam ex se voluntatem habebat sceleris patrandi. Hanc deliberationem unice concepit vi mandati, vel consilii. Ergo si hæc deliberatio delictum exequitur, tota refunditur in consulentem, vel mandantem. Hoc autem evidentius patet respectu consulentis, qui talia persuasionis semina iacere potuit, & tanta rationum efficacitate convincere executorem, dum consilium dedit, ut rationes, quibus revocare consilium studet animo sincero, & efficaci, languidæ & minus aptæ appareant executori sceleris. Porro si quis ponat caussam, & ex quadam morali necessitate consequatur effectus, caussa eiusmodi effectus reputatur. Nam semel consilio, vel mandato dato homini facinoroso, non manet amplius in voluntate consulentis, vel mandantis impressionis factæ revocatio. Qui venenum mortale porrigit, etsi illum pœniteat ante mortis eventum, non propterea liber a censura evadit, ut mox dicam. Nam consiliator talem imprimere persuasionem potest, quæ nullo modo queat a consulente revocari. Et hoc patet in casu nostro, in quo reipsa consulentes, & mandantes nequeunt revocare executorem, cui consilium dederant, a scelere. Prævidere tenentur consulentes, & mandantes, sæpe non esse in propria potestate consilii, vel mandati revocationem. Porro qui ita ponunt caussam alicuius sceleris, quam pro libito revocare nequeant, si effectus sequatur illis imputatur. Siquidem quod eam revocare non possint, ab illis proficiscitur.

XIV. Secundæ huius opinionis argumenta videntur urgentiora. Quid, si revocatio consilii, vel mandati mandatario, sive executori non fiat nota? Mandatarii, vel qui consilium acceperunt ad Clericum verberandum, ad hominem occidendum, illico abierunt ad scelus patrandum. Pœniret consulentes, & mandantes consilii, vel mandati: nullum non movent lapidem ut revocent consilium, aut mandatum; sed priusquam revocatio ad executorum notitiam perveniat, delictum patratum est. Et idem est, inquiunt Salmanticenses *num.* 152. de eo qui venenum dedit, & antequam occisio sequatur, retractavit animum, & quibus modis potuit, effectum impedire curavit.

XV. Etiam de hoc puncto duplex est sententia, & utraque, inquiunt *loc. cit.* Salmanticenses, satis probabilis. Opinionem negantem ipsi amplectuntur, pro qua citant perdoctos Salmanticenses Scholasticos *tract.* XIII. *disp.* V. Antonium a Spiritu sancto, Filliucium, Tabienam, Castropalaum, & alios. His argumentis hanc probare opinionem student. 1. Qui in principio navigationis proiicit Breviarium in mare, non peccat in sequentibus omissionibus. Qui in febrim incidit culpa sua, prævidens se plura ieiunia quadragesimalia omissurum, non peccat, quando urget præceptum, si voluntatem retractavit. 2. Censura est pœna medicinalis, non ad

pu-

punitionem, sed emendationem inflicta. 3. Censura requirit contumaciam in persona subiicienda censuræ.

XVI. Recensitam opinionem ut falsam reiicio. Quandoquidem dum revocatio mandatarium, vel consilii susceptorem latuit, perinde est, ad effectum quod attinet, ac si facta non fuisset. Consilium ergo, & mandatum tum physice, tum moraliter influunt in effectum. Quid? Venenum, ut exemplo utar Salmanticensium, propinasti; mortem impedire nequis: & delictum, pœnaque censuræ, imposita propinantibus venenum, tibi non imputantur? Pugnant hæc cum communi sensu. Nec est quod opponas, consiliatorem, & mandantem media revocatione, & pœnitentia constitutos in gratia esse. Quoniam nimis inepta, & vana est oppositio isthæc. Quid enim prohibet, aliquem esse in gratia, simulque excommunicatum? An excommunicatio impedit ne homo in gratiam restituatur? Sint ergo consulentes, & mandantes per revocationem præfatam constituti in gratia: propterea ne a subennda censuræ pœna ob flagitium, ad quod patrandum consilio, vel mandato induxerunt facinorosum sicarium, immunes sunt?

XVII. Argumenta Salmanticensium, & aliorum pro opposita opinatione nullius momenti sunt. Ad 1. Qui principio navigationis proiicit Breviarium, prævidens futuras omissiones, scelus committit quod virtualiter in se continet easdem omissiones. Pœnam incurrit, non quia actionem retractavit, sed quia illam posuit. Similiter qui consulit, qui mandat homicidium, aut Clerici percussionem, pœnam censuræ incurrit ob consilium, ob mandatum datum, vi cuius scelus committitur. Consulens, aut mandans, revocando mandatum consiliumve, reconciliatur cum Deo: propterea ne a subeunda pœna ob scelus debita liber evadit? Retractat consilium, vel mandatum, antequam scelus perpetretur. Quid inde? Impedit ne hæc retractatio ne delictum sequatur? Nequaquam. Quis in caussa est ne delictum impediatur? Consilium, aut mandatum impositum. Mandantes ergo, & consulentes in caussa sunt cur impediri effectus nequeat. Propinasti venenum: te pœnitet, antequam mors sequarur: & continuo liber a censura evadis? Expende huius opinionis laxitatem. Venenum mortiferum est caussa omnino necessaria, qua posita, necessario sequitur effectus, qui amplius non pendet a voluntate propinantis. Et moderni DD. contendunt, liberum a censura propinatorem veneni mortalis, si ante mortem retractet voluntatem traditi veneni? An non prævidit, aut prævidere non debuit propinator veneni, impotentem se futurum ad impediendam mortem, propinato semel veneno? Porro si Salmanticenses liberant a censuræ pœna eum qui venenum mortale porrigit, potiori sane iure liberare debent consulentem, & mandantem; cum executores sceleris non sint caussæ necessariæ, ut venenum, sed liberæ. At nos dicimus duo. Primum, evidentius quidem subiacere censuræ illum qui propinat venenum mortale, licet retractet ante eventum mortis pravam volun-

luntatem: quia libere se constituit in hac impotentia impediendi effectum. Alterum, consulentem, & mandantem similiter censuram, licet non ita evidenter, ut propinator veneni, contrahere, dum eorum retractatio non pervenit ad notitiam executoris: quia ipsi consilium, vel mandatum tradentes in caussa sunt cur revocatio non prosit.

XVIII. Ad 2. dico censuram esse pœnam medicinalem. Ergo, inferunt Salmanticenses, non ad punitionem, sed ad emendationem ordinatur. Consequentia evidenter vana est. Est pœna? Ais. Ergo punit; at simul puniendo sanat. An quia ad emendationem ordinata est, non affligit, non plectit, non castigat? Emendat puniendo, sanatque affligendo. Inepte ergo ex hoc quod censura pœna medicinalis est, inferunt moderni DD. citati, non punire. Pessime vero heinc inferunt, non incurri a consulente, & mandante hanc pœnam, propterea quod pœna medicinalis sit, quando retractant ante eventum sceleris consilium, & mandatum. Cur hoc? Quia, inquiunt, *non est opus valentibus medico, sed male habentibus*. Acutissime. Separant punitionem a sanatione. Censura duo præstat, ut dixi: punit, & sanat. Medicina est, non modo sanans morbum contractum, sed præservans a futuro relapsu & delinquentes, & ceteros alios. Idcirco publice ad terrorem, & aliorum correctionem inuritur. Ad 3. dico, censuram contumaciam requirere. Et revera qui consilium præbet, & qui mandat executionem sceleris prohibiti, contumaces sunt; & ob hanc contumaciam pœnam incurrunt. Resipiscunt revocando consilium, vel mandatum. Ergo contumaces non fuerunt? Ergo contumaces, dum retractant, non sunt; at contumaces consulendo, vel imperando fuere. Idcirco concludimus, consulentem præsertim, sed etiam mandantem, effectu secuto, & censuram incurrere, & ad restitutionem obtringi damnorum.

XIX. Quæst. VIII. *Quæ conditiones requirantur ut quis possit censuris plecti?* Resp. Quinque communiter Auctores requirunt conditiones. 1. quod sit homo. 2. quod sit subditus. 3. quod sit baptizatus. 4. quod sit ratione præditus. 5. quod sit persona determinata. Prima ergo conditio est, quod sit homo: ideo bruta non subiacent censuris, sed execrationibus, & detestationibus. Debet etiam esse homo viator. Mortui enim proprie non excommunicantur, sed solum indirecte, quatenus prohibentur fideles ne eos in loco sacro sepeliant, ne pro iisdem suffragia offerant. Altera conditio est ut sit subditus, qui censuris ligari debet. Disputant Auctores, utrum Romanus Pontifex, qui nemini subest, excommuuicationis pœnæ obnoxius esset, in hypothesi quod in hæresim incideret. Negant aliqui, aientes deponendum primum a Concilio generali esse, postea censuris configendum. At, inquiunt alii, si deponi a Concilio in casu hæresis potest, potiori iure excommunicari valet. Et hoc colligunt ex cap. *Papa*, dist. xx. ubi statuitur, Papam non posse a Concilio iudicari, & condemnari, nisi a fide desciscat. Hanc sententiam defendunt Cardinalis

nalis de Turrecremata *Lib. IV. Sum. part.* II. *cap.* XVIII. & XIX. Sotus in *IV. dist.* XXII. *quæst.* II. *art.* 2. & communiter Theologi. Tertia conditio postulat, censuris plectendum debere esse baptizatum: quia qui sunt extra Ecclesiam, eiusdem legibus non sunt subiecti, ut supra dictum est. Quarta conditio postulat rationis usum: ideo neque perpetuo amentes, neque pueri ante rationis usum sunt censuris obnoxii, quia nequeunt peccare. Impuberes vero subiacent censuris: quidquid in oppositum aliqui dicant. Ultima conditio exigit ut sit persona determinata, quæ excommunicari possit. Quare excommunicatio ferri nequit in communitatem, collegium, vel civitatem, ut in cap. *Romana* de sentent. excom. in VI. habetur. At nonne communitas, civitas, regnum subiacent suspensioni, & interdicto? Respondet in *Suppl. quæst.* XXII. *art.* 5. *ad* 2. S. Thomas. *Suspensio non tanta pœna est, quanta excommunicatio: quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati. Unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur; sicut & totum regnum ponitur sub interdicto pro peccato Regis. Et ideo non est simile de excommunicatione, & suspensione.* Si omnes alicuius communitatis iuridice deprehenderentur rei, posset a Pontifice summo excommunicari tota communitas. Ceteri Superiores debent singulos eiusdem communitatis, posito quod sint contumaces, & servato iuris ordine, excommunicare. Nequeunt enim isti unica sententia totam communitatem censura plectere. Sed non vacat hæc discutere, cum numquam contingant.

XX. Quæst. IX. *Quis ne potest propter unum delictum a pluribus iudicibus excommunicari?* Resp. Unum posse pluribus censuris ligari, adfirmant omnes. Qui est excommunicatus, potest suspendi, & interdici; immo propter diversa delicta potest iterum atque iterum excommunicari. Et si ab una absolvatur, manet altera ligatus, donec ab hac quoque liberetur. Qua de re lege S. Thomam *loc. cit. art.* 6. *ad* 2. Potest simul quis a diversis iudicibus excommunicari propter idem delictum; puta, cum Pontifex prohibet furtum sub excommunicatione, & simul hoc idem prohibet Episcopus. Idem delictum potest prohiberi excommunicatione lata a iure, & ab homine. Potest quis excommunicari ab Episcopo originis, domicilii, & a Pontifice. Quoniam licet excommunicatio privet omnibus bonis, & ex hac parte non detur magis & minus; nihilominus datur diversa contumacia, & inobedientia contra diversa præcepta: & ideo nisi ab omnibus absolvatur, semper ligatus excommunicatione manet, inquiunt communiter Auctores. Verum in praxi nullus reus propter unum delictum excommunicatur nisi unica excommunicatione. Heinc qui ad Saracenos arma defert, unam incurrit excommunicationem; tametsi excommunicatio hæc lata sit tum ab Alexandro III. tum a Clemente III. quia posterior innovatio prioris est.

XXI. Plura disputant Auctores, an toties multiplicetur censura, quoties repetuntur transgressiones contra præceptum censuram continens. Et communiter respon-

pondent, quod si transgressiones sint formaliter interruptæ, ut si quis hodie percuteret Clericum, & post hebdomadam iterum eumdem, vel alterum Clericum verberaret, multiplicaretur censura iuxta multiplicationem formalem transgressionum. Quid, si unus homo eodem actu plures Clericos percuteret? Plures contendunt, hunc percussorem unicam incurrere excommunicationem. Alii defendunt non unam, sed plures talem percussorem excommunicationes contrahere: quia sicut committeret tria peccata, si occideret unico actu tres Clericos, sic triplicem incurreret excommunicationem. Hæc secunda videtur probabilior. Et sane hunc triplex scelus, seu unum æquivalens tribus patrare certum est. Ergo triplicem meretur pœnam.

CAPUT V.

De caussis a censura incurrenda excusantibus.

I. Necessitas agendi contra præceptum, sicut excusat a culpa, ita eximit a censura. Quare si vetitum die festo esset operari sub excommunicatione, illa necessitas quæ licitum opus redderet, a censura quoque liberaret. Si esset excommunicatio latæ sententiæ contra furantes, vel non restituentes, materiæ parvitas, inadvertentia, impotentia solvendi, & alia similia quæ excusarent a culpa contra præceptum, eximerent quoque a censura, quæ contrahi sine culpa nequit.

II. Excusat quoque a censura incurrenda defectus potestatis in iudice: ut si lata esset censura in personam non subditam; si subditus interponeret appellationem tempore opportuno; si censura lata esset ad instantiam partis, & hæc remitteret debitum, aut protraheret solvendi terminum. Si iudex auctoritate careat, aut eam ligatam habeat; si assumptus ad aliam dignitatem sit; si omittat formam substantialem a iure præscriptam in ferenda censura: hæc omnia excusant a censura incurrenda. Quare ad septem capita revocare Auctores solent caussas a censura excusantes, suntque. 1. censuræ inanitas. 2. iniustitia caussæ. 3. hominis innocentia. 4. ignorantia. 5. impotentia. 6. metus. 7. necessitas.

III. Quæst. I. *An ignorantia excuset a censura contrahenda*? Resp. Nota est partitio ignorantiæ iuris, facti, & pœnæ; in vincibilem, invincibilem, crassam, affectatam, & supinam. Ignorantia iuris laborat qui ignorat legem prohibentem, vel præcipientem. Laborat ignorantia facti qui e. g. ignorat esse Clericum quem percutit. Ignorantia pœnæ est, dum quis nescit pœnam adiectam tali crimini. Scis prohibitam esse Clerici verberationem, & quem verberas esse Clericum; at ignoras huic illicitæ percussioni clericali adiectam esse pœnam. Invincibilis est quæ superari humana industria non potest: contra vincibilis dicitur quæ superari valet. P. Viva *quæst. 1. de Cens. art. 6. num. 7.* cum Probabilistis distinguit vincibilem in

in culpabilem, & in inculpabilem. Vincibilem culpabilem vocat, quando quis potest eam superare, & credit se obstringi ad diligentiam adhibendam, qua illam superet, & veritatis notitiam acquirat. Vincibilem inculpabilem illam appellat quam superare quis adhibita diligentia valet, sed credit se non teneri ad hanc diligentiam adhibendam, ut veritatem assequatur: & ideo tranquille, & suaviter versatur in his suæ incusfpatæ ignorantiæ tenebris. Hæc ignorantia vincibilis innoxia & malitiæ expers, nova, monstrosa, inaudita ante Probabilismi natalitia semper fuit. Quisque iudicare poterit se non astringi ad studium, industriamque adhibendam, qua, pulsa ignorantiæ caligine, lucem aspiciat veritatis. Verum hanc monstrosam ignorantiam *Tom. II. Appar.* penitus profligo. Hæc ignorantia vincibilis alia est affectata, dum quis studiose ignorare vult quod scire tenetur. Alia est crassa, dum quis ex quodam torpore negligit veritatis inquisitionem. Alia dicitur supina, cum quis variis distentus negotiis omittit investigare id quod scire tenetur. Denique alia est antecedens, quæ est caussa actus. Alia concomitans, quæ non est caussa actus, & sine qua actus fieret; ut quando quis ita est affectus odio contra Clericum, ut occidens hominem, qui vere est Clericus, sed ab ipso revera ignoratus, illum occideret, si agnosceret.

IV. Ignorantia invincibilis sive iuris, sive facti, sicut excusat iuxta omnes a culpa, ita eximit a censura. Probabilistæ vocant ignorantiam invincibilem etiam illam qua quis, reiecta verisimiliore sententia, amplectitur minus verisimilem. Verum hoc paradoxon *loc.cit.* reieci. Similiter ignorantiam vincibilem venialiter excusare a censura communiter docent Theologi: quia ad contrahendam censuram culpa mortalis requiritur. Ignorantia tamen iuris in foro exteriori non præsumitur, nisi probetur, ut cap. *Ignorantia* de reg. in VI. dicitur. *Ignorantia facti excusat, non autem iuris*. Qui scit homicidium esse iure divino vetitum, ignorat vero invincibiliter legem ecclesiasticam sub censura illud prohibentem, non incurrit censuram iuxta plurimos; licet peccet contra ius naturale & divinum. Similiter si quis sciret legem ecclesiasticam prohibentem v. g. ingressum in monasterium Monialium, & ignoraret invincibiliter huic ingressui annexam esse censuram, illam non incurreret, ut docent plurimi; quamvis mortaliter peccaret contra eamdem legem, quam non ignorat. Et rationem indicatam assignant, quia ad censuram contrahendam necessaria est contumacia, quam præcedere admonitio debet. Pœna enim censuræ differt ab aliis pœnis latis sive a foro civili, sive a foro ecclesiastico, quæ contrahuntur, etiamsi ignorentur, quando nota lex est. Quare homicida, quem non latet lex prohibens, obnoxius est capitali supplicio, etiamsi hanc pœnam ignoret. Similiter qui sciret legem ecclesiasticam prohibentem talem actum, incurreret irregularitatem ex delicto, quamvis talem pœnam ignoraret; contra si ius ecclesiasticum ignoraret invincibiliter, sicut esset immunis a culpa,

ita liber esset ab irregularitate ex delicto: quia irregularitas non est censura quæ requirat contumaciam. Aliqui contendunt, ignorantiam mortaliter vincibilem excusare a censura, dummodo non sit crassa, & supina. Sed hæc opinio mihi falsa est.

V. Plures, & graves Theologi docent, ignorantiam invincibilem solius censuræ, latæ per legem universalem Ecclesiæ, aut canonem universalem, non excusare ab ea incurrenda illum qui scit legem eamdem. Id colligunt ex cap. *Ut animarum*, tit. de Constit. in VI. ubi hæc habentur. *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, & affectata*. Ubi glossa v. *Statuta* hæc subdit. *De generalibus ergo statutis canonum, vel legum non loquitur, quæ ab omnibus sciri, & custodiri debent*. Verum hinc consequi dumtaxat videtur, facilius statuta particularia ignorari posse quam leges universales Ecclesiæ. P. Antoine fuse hanc quæstionem versat; sed, ut mihi videtur, non satis perspicue. Paucis rem absolvo. Admissa hypothesi, quod ignorantia censuræ esset prorsus invincibilis, licet latæ a lege universali, non contraheretur. Verum quia non ita frequenter occurrit ignorantiam censuræ, annexæ legi universali, esse invincibilem, ideo facile ab ea exempti reputandi non sunt eiusdem legis transgressores. Quis a censura eximeret illum qui duellum committeret, sciens ab Ecclesia prohibitum esse, quia ignorat huic prohibitioni annexam censuram? Quia ergo difficile est dari ignorantiam vere invincibilem talis censuræ, idcirco eiusmodi ignorans, si esset in casu, petere absolutionem deberet.

VI. Quando in lege dicitur, *Qui scienter hoc fecerit, qui facere præsumpserit, qui temerarie id fecerit*, tunc ratione eiusmodi clausularum ignorantiam vincibilem excusare a censura, communiter Auctores docent: quia per tales clausulas lex maiorem notitiam requirit quam illa quæ in aliis legibus, his clausulis carentibus, exigi solet. Plures contendunt, vel ipsam ignorantiam affectatam excusare a censura: quam opinionem defendunt Salmanticenses *num.* 199. ut probabiliorem; sed graviores Theologi, quos inter Doctor eximius Suarez *disp.* IV. *sect.* X. reiiciunt ut falsam: & merito, quia ignorantia affectata æquivalet scientiæ; & ideo homo eam eligit, ut liberius & impudentius peccet. Falsa ergo & laxa est opinio Salmanticensium, & aliorum.

VII. Quæst. II. *An metus gravis, cadens in virum constantem, excuset a censura?* Resp. Si res quæ sit ob metum gravem cadentem in virum constantem sit prohibita dumtaxat iure ecclesiastico, quod non obligat cum gravi damno; tunc sicut metus iste excusat a peccato, ita etiam excusat potiori iure a censura. Si res prohibita esset iure divino, & præcepto ecclesiastico infligente censuram, metus gravis non excusaret a peccato contra legem; excusaret tamen a censura incur-

currenda. Quare occidens Clericum metu gravi perculsus, peccaret mortaliter contra ius divinum & naturale; at non incurreret excommunicationem ob rationem datam, quod præcepta ecclesiastica non obligent gravi detrimento imminente. Si quis vero cogeretur gravissimo metu violare legem ecclesiasticam, continentem censuram, in contemptum eiusdem, non excusaretur a peccato, neque a censura. Cogitur quis manducare carnes die veneris, sub censura prohibitas; cogitur percutere Clericum, Prælatum in contemptum Ecclesiæ, & Ordinis ecclesiastici: hic & peccaret mortaliter, & censuram incurreret: quia mortem potius subire astringeretur quam in contemptionem Ecclesiæ legem violare.

VIII. Quæst. III. *Quomodo se gerere debeat qui dubius est, sit ne censura irretitus?* Resp. S. Thomas *quodlib.* IV. *art.* 14. hanc doctrinam assignat. *Dicendum, quod dubitatio de excommunicatione aliquorum aut præcedit sententiam iudicum, aut sequitur. Si præcedit, puta cum nondum est declaratum per iudicum consensum aliquos esse excommunicatos, non sunt vitandi, quousque certo iudicio terminetur. In hoc enim casu certum est quod in mitiorem partem interpretari debemus: unde in Deut.* XXVII. *dicitur:* Si difficile. *&c. Sed si ambiguum oriatur post concordem iudicum determinationem, magis standum est sententiæ iudicum.*

IX. Ad propositum quæsitum respondeo. Qui dubitat, an iudex protulerit nec ne sententiam censuræ, iudicare debet non esse latam: quia hoc in casu, inquit Angelicus, mitior pars est amplectenda. Qui certus est, censuram esse latam, sive a iure, sive ab homine, dubitat vero, an illam incurrerit, tenetur se gerere tamquam si censura irretitus esset, donec aut dubium deposuerit, aut a censura absolutus fuerit, ob rationem generalem, quod in dubio tutior pars est eligenda: alioquin se exponeret peccandi periculo censuram violando. Probabilistæ, quorum opiniones colligit P. La-Croix, defendunt oppositum. Salmanticenses *num.* 109. docent, eum qui dubitat, an percussio Clerici fuerit nec ne gravis, non astringi se reputare ut excommunicatum: quia, inquiunt cum aliis Probabilistis, *melior est conditio possidentis*. Hic possidet ius communicandi cum aliis fidelibus, & recipiendi sacramenta. Ergo hoc iure privari non debet ob dubitationem. Hæc argumentatio falsa est: quia possessio legis est ante possessionem libertatis. Ergo possessio stat pro lege. Alibi ex instituto probabilisticum principium labefactare studui.

X. Quæst. IV. *Quomodo se gerere debet innocens qui secundum allegata, & probata in tribunali damnatur, & excommunicatur ut nocens?* Resp. Communior sententia docet, hunc coram Deo excommunicationem non incurrere: quia cum caussa propter quam censura lata est, sit omnino reipsa falsa, ut supponitur, consequitur etiam censuram apparentem dumtaxat esse. Nec Ecclesia intendit punire innocentes. Addunt vero, hunc innocentem coram illis qui conscii excommuni-

 ca-

cationis sunt, & incerti de eiusdem innocentia, debere se gerere ut censura irretitum: [quia sententiæ iudicis validæ & legitimæ, tametsi reipsa iniustæ, parendum est, tum ad evitandum scandalum, tum in obsequium auctoritatis Superioris. Unde inferunt hunc peccare, si actum sui ordinis publice exerceret ob scandalum quod præberet resistendo legitimæ potestati imperanti; secus, si id ageret privatim, & coram iis solis quibus comperta est eiusdem innocentia.

XI. Probabilius est hunc innocentem debere & a receptione, & ab administratione, & ab externa communicatione cum fidelibus abstinere. Quoniam sententia ex forma iudicii legitima est, iusta, & valida, quamvis iniusta ob criminis falsitatem. Ita S. Thomas in *Suppl. quæst.* XXI. *art.* 4. docet his verbis. *Dicendum, quod excommunicatio potest dici iniusta dupliciter. Uno modo ex parte excommunicantis; sicut cum ex odio, vel ex ira aliquis excommunicat: & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamvis ille qui excommunicat, peccet: quia iste iuste patitur, quamvis ille iniuste faciat. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis; vel quia causa excommunicationis est indebita; vel quia fertur sententia, iuris ordine prætermisso: & tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam esse faciat, non habet effectum, quia non est excommunicatio: si autem talis error non annullet sententiam, habet effectum suum; & debet excommunicatus humiliter obedire (& erit ei ad meritum) & vel absolutionem petere ab excommunicatione, vel ad superiorem iudicem recurrere: si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque quod sit debita causa ex parte excommunicantis, quæ non est debita ex parte excommunicati; sicut cum aliquis pro falso crimine in iudicio probato excommunicatur: & tunc, si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.*

XII. Hoc idem confirmat S. Gregorius *hom.* XXVI. *in Evang.* inquiens: *Utrum iuste, an iniuste obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec Pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne, etsi iniuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia culpa, quæ non erat, fiat.* Magnipendenda, & altius meditanda sunt hæc S. Gregorii verba. Omnis Superioris censura timenda est, quamtumvis iniusta, ne culpa, quæ non erat, tumida superbia resistendo committatur; atque humili patientia sustinenda ob bonum publicum, & in aliorum criminum vindictam, donec vel iudici excommunicatori manifestetur propria innocentia, vel ad iudicem superiorem appelletur. Plura hic de appellatione dicenda forent; sed hæc ad forum contentiosum pertinent, idcirco missa facio. Indicem opinionum texit P. La-Croix *Lib. VII. a num.* 105.

105. Verum talium opinionum recensio his qui foro dant operam, parum, aliis nihil inserviunt.

XIII. Paschasius Quesnellus has sequentes theses evulgavit, a CLEMENTE XI. in constitutione *Unigenitus* proscriptas num. 90. 91. 92. Num. 90. *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius corporis*. Pastores a Christo Domino, non a consensu Ecclesiæ potestatem habent ligandi, & absolvendi. Num. 91. *Excommunicationis iniustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro, numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per caritatem affixi sumus*. Sententia excommunicationis lata a Pastoribus Ecclesiæ, sive iusta, sive iniusta, semper timenda est. Num. 92. *Pati potius in pace excommunicationem, & anathema iniustum, quam prodere veritatem, est imitari S. Paulum : tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem*. Omnis innocens curam de bono nomine habere debet, & suæ famæ consulere, atque publicum scandalum declinare.

CAPUT VI.

De absolutione a censuris.

I. QUæst. I. *An qui irretitus censura est, teneatur sub mortali, quamprimum potuerit, absolutionem petere, & sollicitare?* Resp. Adfirmant mollioris Ethices patroni. Salmanticenses *tract.* x. *cap.* 11. *part.* 1. *num.* 1. hæc docent . „ Qui „ potest absolvi, & differt, peccat magis minusve iuxta dilationem interpositam : „ & *quælibet dilatio est* mortalis ex genere suo, nisi ob parvitatem materiæ, vel „ ex aliis capitibus excusetur." Utroque pollice subscribo huic opinioni, ex qua, quam falsa, quam laxa sit plurium recentiorum altera sententia de dilatione conversionis peccatoris in Deum, evidenter colligo. Quælibet dilatio procurandæ absolutionis a censura ecclesiastica, quæ aliquorum spiritualium bonorum usu privat, est ex genere suo peccatum mortale : & dilatio petendæ absolutionis a peccato mortali, quod privat æterna vita, quod detrudit in orcum, a peccato mortali immunis est? Reconciliationis cum Ecclesia dilatio non vacat gravi culpa : & dilatio reconciliationis cum Deo cuiusque culpæ expers est? Segregatio a fidelium consortio, a participatione sacramentorum percellit sensus, terrorem incutit, animum perterrefacit : segregatio autem a Deo, a consortio Angelorum, destinatio ad habitandum cum diabolis, quia remota a sensibus, non excitat, non urget non pungit? Sic est. Ita comparati a natura sumus, ut quæ sub sensus nostros cadunt, & præsentia sunt, nos moveant, & urgeant ; quæ vero remota a sensibus sunt, licet longe graviora, licet funestiora, & magis formidanda, nullam,

aut parvam ingerant animis nostris impressionem. Verum de hoc plura dixi *Tom. IX. diss. 1.* quæ ibi legere poteris.

II. Quæst. II. *Quotuplex sit absolutio a censuris?* Resp. Absolutio alia est absoluta, qua absolute a vinculo reus solvitur. Alia conditionata, quæ a conditione vel præterita, vel præsenti pendet; ut si dicatur, *Si satisfecisti parti*, *si satisfeceris*. Alia absolutio vocatur ad *cautelam*; ut cum quis dubitat se esse censura affectum, quæ absolutio impertiri a quocumque Confessario potest, facta promissione de præstanda parti satisfactione, vel de adeundo Superiore, veritate comperta. Alia vocatur ad *reincidentiam*, seu cum pœna relabendi in eamdem censuram, nisi quod imponitur, egerit ille qui absolvitur. Alia est ab uno determinato effectu, relictis aliis; ut quando Pontifex absolvit, habilemque reddit aliquem ad obtinendum beneficium, aliudve privilegium. Sine harum absolutionum aliqua, censura non aufertur neque per mortem Superioris illam ferentis, neque per mutationem territorii, neque per mortem excommunicati. Et contraria opinio damnata est ab Alexandro VII. in hac 44. proposit. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessat censura.* Quare nec satisfacta parte, vel secuta emendatione delicti, aufertur censura absque absolutione. Docent plures, absolutionem a censura impertiri posse sub conditione de futuro, sicuti sub conditione ligari homo potest. Verum usus iste absolutionis a censura sub conditione communiter reprobatur.

III. Quæst. III. *Quæ forma servanda sit in absolutione a censura?* Resp. Verbis congruis præscriptis in ritualibus libris exprimi hæc absolutio debet. Si qui petit absolutionem, exprimat censuram a qua vult absolvi; sat est absolute loquendo ut Confessarius dicat, *Absolvo te.* Si vero non petenti impertiatur absolutio, exprimi censura in genere, vel in specie debet a qua absolvitur, ut communiter Auctores docent, addentes in casu urgenti absolvi etiam absentem posse, sicut excommunicari. Verum reo præsenti regulariter impertienda absolutio est, ut sit licita.

IV. Quæst. IV. *Est ne in iure aliqua solemnitas servanda in absolutione a censuris?* Resp. Solemnitas servanda in absolutione a censuris habetur in cap. *Per tuas*, de sent. excom. Requiritur 1. ut ligatus censura pœnitentia contritus petat absolutionem. 2. Iuramentum præstare debet de non committendo in posterum delicto censuræ obnoxio. 3. Præcedat oportet satisfactio, aut condonatio partis, si cum damno alterius contracta censura fuit. 4. Sacerdos qui absolvit, recitare debet unum ex Psalmis pœnitentialibus, & tunc flagellis cædere excommunicatum. Solemnitates istæ non solent, saltem omnes, observari, cum ad absolutionis valorem non pertineant. Iuramentum enim neque ab impubere, neque ob quodcumque delictum, sed tantum ob enorme exigitur. Circa tertiam conditionem advertunt

tunt Theologi, quod si pars læsa, ut in percussione Clerici, in furto &c. nollet æquam satisfactionem acceptare, absolvi reus posset: quia per ipsum non stat ne iusta ponatur compensatio. Quarta conditio communiter in foro conscientiæ non est observanda, quando absolutio in publico datur, ut vitetur scandalum, & infamia. Adhibenda est talis formula in solemni absolutione, ut satisfiat Ecclesiæ.

V. Disputant Theologi, valida ne sit absolutio impertita, parte læsa non satisfacta, satisfactione aut reali, aut pignoratitia. Affirmant multi, sed peccare mortaliter absolventem aiunt, & restitutioni obnoxium esse. Acrius dissident, quando in Bulla Iubilæi, vel in alio privilegio conceditur facultas absolvendi a censuris his clausulis, *Satisfacta parte, aliter absolutio non teneat*, num valeat absolutio, si vel ex oblivione, vel ex malitia absolvendi omittatur partis satisfactio. Et primum si absolvendus reipsa impotens omnino sit, valere absolutionem communiter adfirmant: exclusa impotentia, si adiectæ sint ambæ clausulæ, omnes adfirmant absolutionem esse nullam. Si vero adiecta sit prima clausula, *Parte satisfacta*, & non secunda, *Aliter absolutio non teneat*, multi defendunt absolutionem esse validam; alii negant: & hæc secunda opinio probabilior videtur. Arbitraria enim est interpretatio Auctorum prioris sententiæ, quod hæc conditio, *Satisfacta parte*, apponatur, ut licita, non ut valida sit absolutio.

VI. Quæst. V. *Quæ conditiones requirantur in absolvendo a censuris, ut valide, & licite fiat absolutio*? Resp. Convenit penes omnes, posse censuris affectum valide absolvi, etiam invitum & repugnantem, nedum nescientem, & non petentem; ut docet S. Thomas in *Suppl. quæst.* XXIV. *art.* 2. his verbis. *Dicendum, quod malum culpæ, & pœnæ in hoc differunt, quod culpæ principium est in nobis, quia omne peccatum voluntarium est; pœnæ autem principium quandoque extra nos est: non enim requiritur ad pœnam, quod sit voluntaria; immo magis est de ratione pœnæ quod sit contra voluntatem. Et ideo sicut peccata non committuntur nisi voluntate; ita non remittuntur alicui invito. Sed excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest, ita etiam invitus ab ea absolvi poterit.*

VII. Duplicem tamen repugnantiam Auctores distinguunt: alteram non recedendi a peccato, & contumacia, ob quam lata censura est; alteram non petendi absolutionem, licet a peccato emendatus reus sit. In priori casu, si peccatum habeat tractum successivum, ut hæresis, furtum &c. non posse absolvi invitum aiunt, nisi ab eo qui supra ius & præceptum potestatem habet. Si vero peccatum completum sit, ut fornicatio, blasphemia, & alia peccata præterita, tunc absolvi posse docent etiam invitum a censura lata sive a iure, sive ab homine: similiter illum qui emendatus a peccato non vult absolutionem petere, absolvi posse defendunt. Advertunt tamen, tunc absolutionem impertiendam dumtaxat esse, quando prævidetur magis medicinalis & utilior quam censura.

VIII. Quæst. VI. *An quis absolvi possit ab una, secus ab aliis censuris eiusdem, aut diversæ rationis?* Resp. Adfirmat S. Thomas in *Suppl. quæst.* XXIV. *art.* 3. his verbis. *Dicendum, quod excommunicationes non habent connexionem in aliquo: & ideo possibile est quod aliquis ab una absolvatur, & in altera remaneat. Sed circa hoc sciendum est, quod aliquis quandoque est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab uno iudice: & tunc quando absolvitur ab una, intelligitur ab omnibus absolvi; nisi contrarium exprimatur; vel nisi cum quis absolutionem impetrat de una tantum causa excommunicationis, cum tamen pluribus excommunicatus sit. Quandoque autem est excommunicatus pluribus excommunicationibus a diversis iudicibus: & tunc absolutus ab una excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera; nisi omnes alii ad petitionem eius absolutionem ipsius confirmaverint; vel nisi omnes demandent uni absolutionem.*

IX. Si absolvens habeat facultatem absolvendi ab omnibus censuris, unica, inquit Angelicus, absolutione præstare id valet. Si vero tali careat potestate, tunc absolvi oportet ab altero qui ea præditus sit. Si tamen reus pluribus irretitus censuris unam dolose manifestet, occultatis aliis, non est existimandum Confessarium velle absolvere ab omnibus, nisi id exprimat. Si tamen reus ex oblivione aliquam omittat, & non ex dolo, & Confessarius, seu iudex generaliter absolvat, tunc existimandum est, nisi aliud constet, eum ab omnibus absolvere velle. Quando quis ab habente potestatem absolvitur illis verbis generalibus, *Absolvo te ab omnibus censuris* &c. & tunc non recordetur reus peccati, nec censuræ, si postea recordabitur, obstringetur utique peccata oblita iterum confiteri, a quibus poterit absolvi a quocumque Confessario; non vero debebit iterum absolvi a censuris oblitis: quia ab his absolutus iam fuit, cum hæc absolutio a censuris a voluntate absolventis præditi facultate pendeat, non a notitia illarum, sicut absolutio a peccatis. Heinc tempore Iubilæi aliquis absolutus generaliter ab omnibus censuris, licet oblitus fuerit alicuius, manet absolutus; & a peccato oblito, cui annexa censura erat, absolvi poterit a quocumque Sacerdote; nisi tamen aliqua ex censuris habeat coniunctum onus satisfaciendi, & compensandi partem læsam. Si enim absolvendus celaret caussam motivam absolutionis, puta se satisfecisse parti, cui non satisfecit, vel recessisse ab hæresi, a qua reipsa non recessit, nulla foret absolutio.

C A-

CAPUT VII.

De iis qui possunt a censuris absolvere. De censuris reservatis summo Pontifici, a quibus earum absolvere Episcopi queant.

I. QUæst. I. *Quid requiritur ut quis valeat a censuris absolvere?* Resp. Ea omnia requiruntur quæ supra *cap.* 11. dixi necessaria esse ad censuras ferendas, videlicet quod sit homo baptizatus, clericali ordine insignitus, ratione & iurisdictione legitima præditus, aut ordinaria, aut delegata, quod in subditos illam exerceat libere, non metu coactus. Quæ omnia pervia sunt. Omnes ergo illi qui instructi sunt potestate ferendi censuras, valent ab eisdem absolvere suos subditos. Et hoc præstare Episcopus valet etiam in alieno territorio, in quo sicut valet proprium subditum absolvere in foro conscientiæ, ita & sine strepitu a censura in eumdem lata. Si tamen illius subditus, in alieno territorio degens, esset ab Episcopo talis territorii excommunicatus per sententiam peculiarem, non posset rediens ad proprium territorium a suo Episcopo absolvi absque licentia Episcopi a quo fuit excommunicatus; posset vero, si solum per sententiam generalem fuisset censura irretitus.

II. Quæst. II. *Qui habet potestatem absolvendi a casibus reservatis, potest ne absolvere a censuris?* Resp. Affirmant omnes: quia absolutio a censuris præcedere absolutionem a reservatis, quibus annexæ censuræ sunt, debet. Docent quoque per facultatem concessam in Iubilæo, vel in alio privilegio absolvendi a censuris reservatis summo Pontifici, absolvi quoque posse excommunicatum denuntiatum nominatim sive a iure, sive ab homine, si tamen prius satisfecerit.

III. Quæst. III. *An Parochi, & alii Confessarii ordinarii, qui valent absolvere a peccatis mortalibus, possint absolvere a censuris a iure latis, & non reservatis?* Resp. Aliqui negant, quia necessaria est iurisdictio in foro contentioso, qua destituti Parochi, & alii Confessarii sunt, ad hanc absolutionem impertiendam. Sed communior sententia affirmat: & hoc Auctores colligunt ex cap. *Nuper* XXIX. de sent. excom. ubi Innocentius III. ait: *In secundo vero casu a suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri. Quamvis enim & tunc non iuris, sed iudicis sententia sit ligatus; quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Hic clare indicatur, quemlibet Confessarium posse absolvere a censuris non reservatis. Hanc doctrinam fusius explicat in *Suppl. quæst.* XXIV. *art.* 1. S. Thomas his verbis. *Dicendum, quod a minori excommunicatione quilibet potest ab-*

sol-

solvere qui potest a peccato participationis absolvere : si autem sit maior , aut est lata a iudice ; & sic ille qui tulit , vel eius Superior potest absolvere : vel est lata a iure ; & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos potest absolvere , exceptis sex casibus , quos sibi iuris conditor , scilicet Papa , reservavit . Primus est, quando aliquis iniicit manus in Clericum , vel in Religiosum . Secundus est de illo qui frangit Ecclesiam , & est denuntiatus . Tertius est de illo qui incendit Ecclesiam, & denuntiatus est . Quartus est de illo qui in divinis communicat scienter excommunicatis nominaliter a Papa . Quintus de illo qui falsificat litteras Sedis apostolicæ. Sextus de illo qui excommunicatis in crimine communicat . Non enim debet absolvi , nisi ab eo qui excommunicavit , etiamsi non sit eius subditus : nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum absolveretur ab Episcopo , vel a Sacerdote proprio , præstita iuratoria cautione , quod parebit mandato illius iudicis qui sententiam tulit . A primo autem casu octo excipiuntur . Primus est in articulo mortis , in quo a qualibet excommunicatione potest quis a quolibet Sacerdote absolvi. Secundus, si sit ostiarius alicuius potentis, & non ex odio, vel proposito percussit. Tertius , si percutiens sit mulier . Quartus si sit servus, & dominus læderetur de eius absentia , qui non est in culpa . Quintus, si Regularis Regularem percutiat ; nisi sit enormis excessus . Sextus, si sit pauper . Septimus, si sit impubes , vel senex, vel valetudinarius. Octavus, si habeat inimicitias capitales . Sunt etiam alii septem casus, in quibus percutiens Clericum excommunicationem non incurrit . Primo, si causa disciplinæ, ut magister , vel Prælatus , percusserit . Secundo, si iocosa levitate. Tertio, si invenerit eum turpiter agentem cum uxore , vel matre , vel sorore , vel filia . Quarto, si statim vim vi repellat . Quinto, si ignoret eum esse Clericum . Sexto, si inveniat eum in apostasia, post trinam admonitionem . Septimo, si transferat se Clericus ad actum penitus contrarium; ut si fiat miles, vel ad bigamiam transeat.

IV. A censuris reservatis in iure ille dumtaxat absolvere potest qui eas tulit , aut superior , aut successor, aut ab eodem delegatus . Quamobrem a censuris reservatis Pontifici solus Pontifex, a reservatis Episcopo solus Episcopus absolvere valet . Quoniam eadem est absolvendi, & ligandi potestas; & eius est absolvere cuius est ligare. In articulo mortis, ut alias dictum est, quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus , absolvere ab omnibus censuris valet ; ut Tridentinum declaravit *sess.* IV. *cap.* VII. Et cuilibet Confessario eadem facultas conceditur absolvendi, quando est impossibilis, aut valde difficilis accessus ad Superiorem, cui reservatæ censuræ sunt ; ut habetur cap. *Nuper a nobis* XXIX. de sent. excomm. his verbis . *Verum si difficile sit ex aliqua iusta causa quod ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo ut (præstita iuxta formam Ecclesiæ cautione quod excommunicationis mandato parebit) a suo absolvatur Episcopo , vel proprio Sacerdote.* In his tamen casibus, nempe in periculo mortis, aut ratio-

ne

ne impedimenti, Confessarius debet ab eo quem absolvit, iuramentum exigere, quod, cum potuerit, se Superiori præsentabit. Quod si omittet opportunitate data exequi, in eamdem censuram reincidet: & quamvis Confessarius vel ex ignorantia, vel ex oblivione omittat imponere hoc onus comparendi, cum pœnitens potuerit, coram Superiore; nihilominus pœnitens tenetur comparere: quia hoc debitum non a Confessario, sed a iure pendet. Quando tamen absolvitur a reservatis quibus annexæ censuræ non sunt, nullum est comparendi debitum.

V. In controversiam Theologi vocant, num in mortis periculo non Sacerdotes modo, verum etiam Clerici, vel ipsa prima tonsura insigniti, & laici ipsi valeant a censuris absolvere. Adfirmant aliqui; sed probabilius graviores Theologi negant: quoniam nullo iure concedi legitur sive Clericis, sive laicis facultas ista.

VI. Quæst. IV. *Quis valeat absolvere a censuris latis ab homine?* Resp. A censura quæ fertur particulari sententia contra determinatam personam, ille tantum absolvere potest a quo fertur, vel Superior, vel delegatus. Idem sentiunt plures, si censura lata sit ab homine per modum sententiæ generalis, præcepti, vel statuti ad futura delicta evitanda. Sed probabilius alii docent, ab his censuris non reservatis, licet latis ab homine, posse quemlibet Confessarium absolvere, sicut a censuris latis a iure. Quoniam, inquiunt, censuræ istæ ab homine per sententiam generalem in omnes *qui tale delictum commiserint, qui non manifestaverint* &c. non determinando personas, se habent ad modum censuræ latæ a iure, nullo alio discrimine habito, nisi quod latæ ab homine cessant morte Superioris illas infligentis. Ergo sicut quilibet Confessarius valet absolvere a censuris latis a iure non reservatis; ita potest absolvere ab eiusmodi censuris latis ab homine, quæ similes sunt censuris latis a iure.

VII. Quæst. V. *Quænam sunt censuræ, & casus reservati Pontifici summo, a quibus Episcopi iure ordinario absolvere possunt?* Resp. Primo absolvere Episcopi iure ordinario valent a censuris reservatis summo Pontifici contractis ex delicto occulto. Secundo a censuris contractis ob delicta publica, quando urget gravis necessitas, quæ valde difficilem reddat accessum ad Pontificem summum. De primis censuris hæc Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.* VI. *de resor.* statuit. *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ ei tantum, & non eorum Vicariis, sit permissum.*

VIII.

VIII. Doctores moderni olim disputarunt, num hæc facultas, Episcopis a Tridentino concessa, fuerit revocata per bullam Cœnæ, quantum ad casus in eadem contentos. Adfirmabant alii, negabant plures. Sed Alexander VII. hanc *num. 3.* thesim damnando litem sustulisse videtur. *Sententia asserens, bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occulis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Iulii in Consistorio sacræ Congregationis Eminent. Cardinal. visa, & tolerata est.*

IX. Etiam post hanc damnatam thesim disputant moderni Doctores, num reipsa per hanc thesim damnata sit sententia docens, posse Episcopos vi Tridentini, non obstante bulla Cœnæ, absolvere ab hæresi, & ab aliis criminibus in ea Bulla contentis, dummodo sint occulta. P. Dominicus Viva in hanc thesim *3. Alex. VII. num. 3. in Trut.* refert DD. alios adfirmantes, alios negantes. Qui negant, aiunt, in hac thesi damnari solum, quod præfata sententia fuerit in Consistorio Cardinalium expensa, & tolerata. Hoc factum reiicitur. Ceterum sententia remanet in sua probabilitate. Præsertim quod Tridentinum non tradat Episcopis hanc facultatem, cum illam habeant a iure; sed solum declaret non esse talem facultatem Episcopis ademptam, seu coarctatam relate ad casus ibidem expressos. Præterea in thesi proscripta nulla sit Episcoporum mentio. Et cum isti sint Apostolorum successores, & ampla in propria diœcesi præditi facultate, hac privati præsumi non debent, nisi summus Pontifex expresse & manifeste declaret se velle hac potestate Episcopos privare. P. Viva *loc. cit.* refert ex Toleto, Ugolino, Guittierez, & aliis apud Sanchez, S. Pium V. Gregorium XIII. Clementem VIII. declarasse, non posse amplius Episcopos uti ea facultate a Tridentino concessa. Quare concludit, bullam Cœnæ facultati illi derogare.

X. Absit ut meum iudicium super hac controversia feram, cum hæc non pendeat a Theologorum ratiociniis. Plures recentes Theologi citant declarationes pontificias, bullas, constitutiones, quin illarum verba rescribant, nec in quo Bullario reperiantur, indicent. Porro ego nullam adhibere possum fidem his plurium recentium citationibus, quoties solida documenta non adducunt, quæ prudentem assensum mereantur. Quare hanc controversiam illis quorum interest, dirimendam relinquo.

XI. Quid nomine delicti occulti intelligatur, Theologi disputant. Et communiter docent, illud delictum occultum dici quod aut deductum non est ad forum contentiosum, aut notum non est maiori parti viciniæ, parochiæ, provinciæ, monasterii &c. Quare licet per testes probari possit, si tamen non est, ut indicavi, notorium, famosum, vel deductum ad forum contentiosum, adhuc occultum volunt. Tunc vero deductum ad forum contentiosum asserunt, quando delatum

fue-

fuerit, & per unum solum testem probatum. Si vero reus accusatus se purgaverit in foro, etiam per falsos testes, & via iniqua, & absolutus in tali foro sit; concludunt tunc posse hunc reum ab Episcopo, habente facultatem super delictis occultis, absolvi. Quoniam tunc delictum perinde est ac si deductum non esset ad forum contentiosum; atque adeo occultum reputandum est. Ita docent *Navarrus*, *Bonacina*, *Sanchez*, *Coninch*, & alii, quos referunt, & sequuntur Salmanticenses *tract.* x. *cap.* 11. *punct.* 6. *num.* 59. *&* 60.

XII. Si reus punitus sit in foro contentioso, & iudicium finitum, poterit ne Episcopus eum a tali delicto, in foro idoneis testibus probato, absolvere? Adfirmant ibidem *num.* 62. Salmanticenses, qui citant Reginaldum, Avilam, Sanchez, Leandrum, & Antonium a Spiritu sancto. Quoniam, inquiunt, Tridentinum solum excipit delictum deductum ad forum contentiosum, & quamdiu lis in eodem pendet, non vero quando ea finita est. Siquidem finis Concilii est conservare iudicum auctoritatem, & iurisdictionem, & scandalum vitare. Nihil autem detrahitur iudicum auctoritati, cum lis finita est, & iudicium consummatum. Hæc mihi videntur arbitraria, quæ manifeste adversantur ipsi Concilio. Nam iuxta omnes delicta deducta ad forum contentiosum sunt publica, ut fatentur ipsi Salmanticenses. In hoc foro probantur idoneis testibus, & per sententiam iudicum declarantur vera & manifesta, atque, ut alia delicta, pœna plectuntur. Et tunc desinunt esse publica, quia iudicium finitum est? Hoc commentum est inauditum. Immo tunc nota sunt notorietate iuris, & facti. Minus quoque probabilem existimo alteram opinionem, quam ibidem docent cum aliis Salmanticenses, videlicet quod quando delictum in uno loco est publicum, & in alio occultum, si illuc se reus transferat, possit ab Episcopo eiusdem loci absolvi; si tamen locus sit ita distans, ut timor absit ne ad eumdem locum delicti fama perveniat. Nam cum delictum absolute publicum sit, per accidens est quod in alio loco non sit manifestum, quantum saltem attinet ad absolutionem dictam.

XIII. Secundo in casibus reservatis summo Pontifici absolvere Episcopi valent, cum impossibilis, aut valde difficilis est accessus ad summum Pontificem. In hoc eventu absolvere Episcopi valent ab omnibus censuris, & casibus Sedi apostolicæ reservatis, etiam in bulla Cœnæ contentis, etiam hæresi, sive delicta publica sint, sive occulta, ut communiter Auctores docent. Tunc autem reputatur aut impossibilis, aut valde difficilis accessus ad Sedem apostolicam, seu ad Pontificem, quando sit periculum mortis, læsionis, gravis infirmitatis in via, gravis debilitas, ætas senilis, aut iuvenilis, exercendi officii alterius potestati subiecti necessitas, obligatio alendi filios, & filiorum obediendi parentibus, sexus femineus: hæc sunt impedimenta quæ valde difficilem reddunt accessum ad Pontificem

ficem iuxta communem sententiam. Addunt Salmanticenses cum pluribus aliis; istos legitime impeditos neque per epistolam, neque per procuratorem obstringi se praesentare summo Pontifici pro absolutione obtinenda; cum iura non aliud exigant nisi ut se Episcopo proprio sistant, a quo absolvantur. Addunt tamen, Episcopum, vel alium Sacerdotem, in articulo mortis absolventem eiusmodi reos, praeceptum ipsis imponere debere ut data opportunitate se praesentent. Verum si senes sint, si feminae, si moniales, haec opportunitas numquam occurret: ideo istis comparendi onus non esse imponendum videtur.

XIV. Quaest. VI. *Quam facultatem habeant Praelati regulares absolvendi subditos suos a casibus, & censuris summo Pontifici reservatis?* Resp. Omnes percupiunt distinctam decisionem casuum, & censurarum reservatarum, a quibus Praelati regulares absolvere & proprios subditos, & alios valeant. Sed frustra hanc enucleatam, & perspicuam decisionem a Theologis expectant. Moderatores sacrorum Ordinum regularium sollicitare, & urgere deberent, ut ipsi a S. Sede apostolica implorarent, & obtinerent praecisam & evidentem declarationem concessae, aut non concessae facultatis. Quid enim decidere Theologi valent super privilegiis quae vel citantur, & non inveniuntur, aut si inveniuntur, fuerunt revocata, aut in controversiam adducitur, fuerint nec ne revocata. Pauca delibabo quae communia sunt apud Auctores.

XV. P. Dominicus Viva *quaest.* 11. *cap.* 11. *num.* 6. docet, communius Auctores defendere, Regulares posse absolvere ab omnibus casibus Sedi apostolicae reservatis, exceptis casibus bullae Coenae, & sex Clementis VIII. in Italia extra Urbem, qui sunt 1. Violatio clausurae Monialium ad malum finem. 2. Percussio Clerici. 3. Simonia realis. 4. Confidentia beneficialis. 5. Pugna duellistica. 6. Violatio immunitatis ecclesiasticae.

XVI. Cui vero conceditur facultas absolvendi a casibus Papae reservatis, conceditur simul facultas absolvendi a censuris eidem reservatis: quia peccata, inquiunt, reservantur Papae ratione censurae. Contra ab Episcopis multi casus reservantur absque censura. Ideo cui conceditur facultas absolvendi a casibus Episcopo reservatis, non propterea impertitur facultas absolvendi a censuris. Subdit ibidem P. Viva, per concessionem facultatis absolvendi a censuris Papae reservatis concedi etiam facultatem absolvendi a censuris reservatis Episcopo: quia, inquit, ita fert consuetudo, quae est optima legum interpres. Praeterea Pontifex per dictam concessionem dat facultatem absolvendi ab omnibus censuris a quibus ipse potest absolvere; sed ipse potest absolvere etiam ab episcopalibus: ergo concedendo facultatem absolvendi a censuris papalibus, concedit etiam ab episcopalibus. Adducenda erant verba concessionis, ut omnibus innotesceret vis istius ratiocinii. Nam quod Pontifex facultatem habeat absolvendi a censuris episcopalibus, certum

rum est. At ex concessione facultatis absolvendi a censuris sibi reservatis non videtur inferri, quod concedere velit amplitudinem suæ potestatis absolvendi ab omnibus censuris a quibus ipse absolvere valet. Tamen si ita fert legitima consuetudo, eidem standum est.

XVII. Illud est certum, quod potestas absolvendi a casibus pontificiis non inferat potestatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis, cum Alexander VII. damnaverit hanc thesim 12. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*. Distinguit tamen idem P. Viva ibidem *num.* 7. triplex genus casuum Episcopo reservatorum. Nam alii casus Episcopo reservantur a iure, vel a consuetudine, ut levis percussio Clerici &c. & ab his Mendicantes absolvere possunt. Alii casus reservantur Episcopo in Synodo: & ab his quoque absolvere posse Regulares, dum non notantur in tabella, docent communiter Auctores, ut asserit idem P. Viva. Tertio loco sunt casus qui exponuntur in tabella: & de his loquitur thesis damnata. Quando conceditur facultas absolvendi ab omnibus censuris, intelligitur, inquit P. Viva, etiam a reservatis: quia quilibet Sacerdos potestatem habet absolvendi a non reservatis. Ergo ne privilegium sit inutile & frustraneum, extendendum est ad absolutionem a reservatis. Argumentatio legitima videtur.

XVIII. Tandem per concessionem absolvendi ab omnibus reservatis Sedi apostolicæ non intelliguntur casus comprehensi in bulla Cœnæ. Neque per concessionem absolvendi a casibus reservatis in bulla Cœnæ intelligitur concessa facultas absolvendi ab hæresi. Oppositum tamen probabile esse, concludit P. Viva.

XIX. Quæ hactenus retuli ex P. Viva, reipsa communia sunt apud Auctores. Salmanticenses *tract.* x. *cap.* 11. *punct.* 6. *num.* 70. docent, Prælatos regulares absolvere suos subditos posse ab omnibus censuris Sedi apostolicæ reservatis, exceptis iis quæ in bulla Cœnæ continentur, ex privilegio concesso a Sixto IV. quod *Mare-magnum* est Carmelitarum, & ex altero privilegio a Gregorio XIII. concesso Theatinis. Addunt *num.* 71. Prælatos regulares eamdem iure communi potestatem habere in suos subditos quam Episcopi habent in suos diœcesanos: atque adeo secundum ius antiquum posse subditos absolvere ab omnibus casibus, & censuris a quibus Episcopi iure ordinario possunt suos diœcesanos. Ut hoc confirment, adducunt constitutionem S. Pii V. editam 21. Iulii an. 1571. in qua Pontifex summus concedit Prælatis Regularium respectu suorum subditorum quod Tridentinum *sess.* xxiv. *cap.* vi. concedit Episcopis in suos diœcesanos his verbis. *Quia sacrum œcumenicum Concilium generale Tridentinum concessit Episcopis ut absolvere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess.* xxiv. *cap.* vi. *habetur, ne Prior, Provincialis, & superiores Prælati dicti Ordinis* (S. Dominici, & aliorum per communicationem) *tam in dicta,*

quam

quam extra eam, ubilibet, in hac parte deterioris conditionis quam Clerici, & saeculares existant, eisdem Priori conventuali, & superioribus Praelatis, ut ipsi per seipsos idem omnino possint in Fratres & Moniales dicti ordinis sibi subditos quoad absolvendi, & dispensandi tam huiusmodi, quam alias quascumque facultatem, eisdem auctoritate, tenore etiam perpetuo concedimus & indulgemus, atque etiam declaramus, praesentes litteras perpetuo durare & valere.

XX. Unde inferunt ex hoc privilegio, dummodo non revocato, posse Praelatos regulares absolvere suos subditos ab omnibus casibus & censuris a quibus possunt Episcopi absolvere suos dioecesanos. Et si Praelati ipsi inciderent in aliquem ex his casibus, possent sibi eligere Confessarium, & illi facultatem delegare, qua a tali casu, vel censura absolvantur. Quoniam sacra Congregatio Cardinalium concessit Episcopis, ut quem velint, eligant Sacerdotem, a quo absolvantur ab omnibus casibus a quibus ipsi valent absolvere alios.

XXI. Verum iidem Salmanticenses *num.* 74. tres sententias referunt circa casus, & censuras contentas in bulla Coenae. Prima defendit, nunc Praelatos regulares non posse absolvere suos subditos a casibus in eadem bulla contentis. Altera sententia directe opposita adfirmat. Tertiam mediam amplectuntur ipsi Salmanticenses *num.* 76. ubi docent, a crimine haeresis etiam occulto non posse Praelatos Regularium absolvere suos subditos; posse vero ab aliis contentis in eadem bulla: Quod non possint absolvere ab haeresi etiam occulta, evincunt tum ex constitutione Pauli V. relata a Barbosa *de potest. Epis. II. Part. alleg.* 40. qua iubetur haeresis reos remittendos ad DD. Inquisitores. Alteram vero partem ostendere conantur, quia per bullam Coenae non sunt dicta privilegia revocata, haeresi excepta. *Siquidem* (inquiunt num. 77.) *non obstante dicta clausula bullae, adhuc posse Episcopos facultate sibi concessa a Tridentino absolvere suos subditos a casibus bullae, diximus* num. 56. *quia in ea non fit expressa mentio huius Concilii generalis, quod erat necessarium ad revocandam gratiam ab ipsis concessam*. Verum sententiam quam *cit. num.* 56. Theologi defendunt, num. 58. retractant, ut damnatam ab Alexandro VII. in 3. *thesi* his verbis. *Post haec scripta, venit ad nos decretum SS. D. N. Alex. VII. . . . in quo videtur haec sententia reprobata: nam inter alias propositiones, quas ibi prohibet summus Pontifex, est ista sententia* &c. Ut a contradictione hos Theologos excusemus, dicere fortassis licet, laudata verba inserta fuisse in aliqua posteriori editione, quin editor expenderit haec quae praefati Theologi scribunt *num.* 77. Ut ut res haec se habeat, illud certum est, quod si Episcopi haberent facultatem absolvendi a censuris & casibus contentis in bulla Coenae, eadem quoque potirentur Praelati regulares. Quandoquidem certum est laudatam constitutionem CXIX. S. Pii V. cuius initium est *Romani Pontificis*, & extat in *Bull. O. P. Tom. V. pag.* 283. non fuisse revocatam, immo eam, & plures

res alias confirmavit BENEDICTUS XIII. in constitutione lxxix. dicta *Pretiosus*, quæ reperitur in *Bull. O. P. Tom. VI. pag. 619.*

XXII. Difficultas eo recidit, utrum Episcopi nunc valeant vi declarationis Concilii Tridentini absolvere suos Clericos ab hæresi occulta, & casibus contentis in bulla Cœnæ. Sententia negans Episcopis hanc facultatem, præsertim post thesim 3. damnatam ab Alexandro VII. est communior, & probabilior. Unde consequitur, regulares Prælatos absolvere non posse suos subditos neque ab hæresi occulta, neque a casibus contentis in bulla Cœnæ. Donatus Lainensis O. P. *Tom. I. part. 1. tract.* XIII. *quæst.* XVII. defendit cum pluribus aliis, quos citat, Regularium Prælatos posse in foro conscientiæ absolvere a casibus reservatis in bulla Cœnæ, quatuor exceptis, quos ex Glossa Constitution. O. P. refert, quibus additur quintus, nempe *conspirationis in Romanum Pontificem*. Pluribus rationibus suam confirmare Donatus opinionem studet: & præsertim, quia Cardinalis Caietanus exposuit Iulio II. quod *propter clausulas derogatorias positas in bulla quæ singulis annis in Cœna Domini publicatur*, dubitaret facultatem illam O. P. ademptam: & Pontifex benigne concessit, quod eiusdem Ordinis Prælati *licite possint perpetuis temporibus absolvere, & dispensare ab omnibus & singulis, ac si prædicta bulla in Cœna Domini non esset facta, nec fieret*, quinque dumtaxat casibus exceptis.

XXIII. Passerinus O. P. Auctor gravissimus e contrario *de elect. canon. cap.* XXVI. *quæst.* VI. defendit oppositam sententiam, & post varia ratiocinia, & auctoritatum momenta concludit num. 61. *Certum est nullos Regulares posse per suos Prælatos quoscumque absolvi a casibus in bulla Cœnæ contentis*. An hæc certitudo colligi possit ex iis quæ Passerinus allegat, ceteri iudicent. Certum est neque in bulla Cœnæ, neque in illa particula universali derogatoria Alexandri VII. quam Passerinus allegat *num.* 54. fieri mentionem hæresis occultæ. Porro quod per clausulam universalem derogari possit potestati Episcoporum, quam illos habere Tridentinum declaravit, forsitan non omnibus certum erit. Nam Episcopos habere potestatem a iure absolvendi ab hæresi, nisi eadem a Romana Sede illis adimatur, vel coarctetur, in controversiam non vocatur. Porro Tridentinum non ademit, sed permisit expresse Episcopis facultatem absolvendi ab hæresi occulta: ergo, nisi hæc determinata potestas eisdem per verba expressa auferatur, non videtur legitime inferri posse, iisdem ablatam esse per particulam universalem Alexandri VII. adductam a Passerino. Bulla Cœnæ, inquit *num.* 60. Passerinus, *universalissime* respicit casus nedum publicos, sed etiam occultos. Gratis hoc asseritur. Immo quia Bulla *universalissime* loquitur, locus distinctioni remanet de casibus occultis, & publicis citatæ bullæ. Utique excommunicantur legentes, retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes libros hæreticorum ex quavis causa pu-

publice, vel occulte; at hæresis personalis occultæ nulla ibi mentio. Præterea quamvis Auctor bullæ Cœnæ ignoretur, tamen longo tempore Tridentinum præcessit. Nam evulgari cœpit, ut notat Toletus *Lib. I. cap.* XVIII. tempore Gregorii XI. S. Pius V. declaravit antiquam durasse usque ad promulgationem novæ. Nec interest discutere huiusce bullæ mutationes. Porro Concilium Tridentinum post bullam Cœnæ declaravit, Episcopis licitum esse absolvere ab hæresi occulta, & ab aliis censuris occultis Sedi apostolicæ reservatis. Nisi hæc potestas expresse Episcopis adimatur, non videtur iisdem ablata per clausulam generalem. Hæc obiter contra ratiocinium Passerini. Ceterum illius sententiæ subscribo: quia in materia iurisdictionis tutior pars est amplectenda. Interim repeto. Ad sacrorum Ordinum regularium moderatores attinere opportunam provisionem. Ipsi implorent claram & perspicuam constitutionem a S. Sede, qua confinia præcisa constituantur iurisdictionis absolvendi tum subditos, tum extraneos a casibus, & censuris reservatis.



DIS-

DISSERTATIO II.

DE CENSURIS SIGILLATIM.

CAPUT I.

De excommunicatione maiori, & minori, earumque effectibus.

I. Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit excommunicatio?* Resp. Excommunicatio ab antiquis, præsertim a S. Cypriano *epist.* XXVIII. vocabatur *Absentio*, & excommunicati *Absenti* appellabantur, potissimum quia a communione corporis Christi abstinere debebant. Excommunicatio dicitur etiam *anathema*; quamvis anathema & in bono, & in malo accipi sensu possit. Communiter tamen anathema pro excommunicatione maiori accipitur; immo maiori ferri solemnitate solet contra sceleratos impiosque. Excommunicationis definitio communis est *censura qua quis ab ecclesiastica fidelium communione separatur*. In maiorem, & minorem tribuitur. Maior excommunicatio est *censura qua quis non modo a participatione sacramentorum, sed etiam a communione fidelium segregatur*. Minor vero dicitur *censura qua quis privatur participatione sacramentorum tantum*.

II. Discrimen inter excommunicationem maiorem & minorem patet ex diversa data descriptione. Excommunicatio maior privat hominem omnibus bonis quæ subiacent Ecclesiæ iurisdictioni, minime vero bonis omnibus spiritualibus, quæ supra iurisdictionem Ecclesiæ sunt. Quare si excommunicatus sit in gratia, cum aliis membris eiusdem corporis mystici communicat. Bona ecclesiastica, quibus excommunicatus privatur, duplicis generis sunt. Alia sunt civilia, quæ spectant humanam societatem, ut cohabitatio, salutatio, colloquia &c. Alia sunt spiritualia, & sacra, quæ similiter duo in genera dividuntur. Alia sunt exteriora, ut ecclesiastica sepultura, interventus ad divina officia celebranda. Alia sunt partim exteriora, partim interiora, & vocantur mixta, ut participatio sacramentorum, usus sacrificii, communicatio in precibus communibus &c. horum omnium bonorum participatione excommunicatus privatur.

III. Quæst. II. *Quinam sint effectus excommunicationis maioris?* Resp. Decem recenseri solent. 1. privatio suffragiorum Ecclesiæ. 2. privatio & activa, & passiva sacramentorum. 3. privatio rerum sacrarum. 4. inhabilitas ad Ordines suscipiendos, & ad eorumdem usum. 5. privatio iurisdictionis ecclesiasticæ. 6. inhabilitas

ad exercendos actus legitimos in iudicio. 7. inhabilitas ad conferenda beneficia ecclesiastica. 8. ad eadem obtinenda, eorumque fructus incapacitas. 9. inhabilitas ad obtinendum rescriptum seu privilegium. 10. privatio communionis civilis & forensis cum ceteris fidelibus.

IV. Hos effectus non parit excommunicatio, si sit iniusta, & invalida, quando constat publice esse nullam: tunc enim excommunicatus posset se gerere ac si non esset talis, tam in foro externo, quam interno: quia si publice constaret excommunicationem esse nullam, omne scandalum cessaret. Illa autem sententia dicitur iniusta & nulla quæ fertur a iudice non habente iurisdictionem, aut eam ligatam habente, si feratur non servato iuris ordine substantiali, vel sine caussa. Si dubium sit, an excommunicatio sit nec ne valida, occurantque pro utraque parte rationes probabiles, ut ex dictis supra constat, parendum est excommunicationi; alioquin Clericus sic excommunicatus, exercens sacros Ordines, incurreret irregularitatem. Cum excommunicato loqui, conversari civiliter, manducare, bibere &c. non reputatur peccatum mortale, contemptu secluso. Communicare vero cum eodem in rebus sacris, si sit vitandus, est peccatum mortale.

V. Quæst. III. *Quinam dicantur excommunicati tolerati, & vitandi?* Resp. in constitutione Concilii Constantiensis, cuius initium est, *Ad evitanda scandala*, quam approbavit Martinus V. illi dumtaxat dicuntur vitandi, qui nominatim excommunicati, & denuntiati, vel notorii percussores Clerici sunt; ceteri omnes sunt tolerati. S. Antoninus, qui circa tempora laudati Concilii vixit, *III. Part. tit.* XXVI. *cap.* III. decretum editum a Martino V. refert, & ab omnibus susceptum est. Nec obstat quod posterius Concilium Basiliense restrinxerit citatum decretum Concilii Constantiensis, & Martini V. declarando omnes notorie excommunicatos esse vitandos: quoniam decretum Concilii Basiliensis factum est post schisma, ut testatur Cardinalis Turrecremata, qui huic Concilio interfuit. Præterea consuetudine contraria hoc decretum abrogatum est, & approbatum illud Martini V.

VI. Quæst. IV. *Quinam dicantur nominatim excommunicati, ut vitari debeant?* Resp. Duo requiruntur ut quis dicatur nominatim excommunicatus vitandus. Primum, quod in excommunicatione nomen exprimatur personæ excommunicatæ, & talibus indiciis designetur, ut distingui possit a qualibet alia persona eodem nomine insignita. Alterum, quod publice declaretur, talem esse excommunicatum: quæ declaratio, seu denuntiatio in publico loco fieri debet, aut inter Missarum solemnia, aut affigendo chartam loco publico iuxta locorum diversitatem. Antequam excommunicatus denuntietur talis, citandus est, ut se defendat, dum est a iure excommunicatus, nisi delictum sit publicum & notorium. Qui declaratus est incurrisse excommunicationem, si intra terminum congruum legitime appellet, potest

poteſt ſe gerere ut toleratus: quia appellatio legitima ſuſpendit effectum. Quare licet aliquis denuntiatus, & publicatus eſſet tamquam reus criminis, puta hæreſis, cui annexa eſt excommunicatio, niſi expreſſe denuntiaretur hunc eſſe excommunicatum, non eſſet iuxta probabiliorem ſententiam vitandus. Quoniam denuntiatio criminis cui annexa eſt excommunicatio, non eſt denuntiatio excommunicationis; licet id legitime inferatur. Decretum enim Conſtantienſe, in animarum favorem latum, ſtricto in ſenſu intelligendum eſt.

VII. Quæſt. V. *Quinam dicantur publici, & notorii percuſſores Clerici?* Reſp. Poſt Concilium Conſtantienſe requiritur notorietas iuris, & facti. Notionem iſtius notorietatis ſupra explicui. Diſputant Auctores, num excommunicatus in uno loco, & denuntiatus, vel notorius percuſſor Clerici, ſit vitandus alio in loco, ubi ſecreta eſt excommunicatio. Videtur probabilior opinio adfirmans. Excommunicati tamen ipſi, licet tolerati, non poſſunt communicare in divinis, vel humanis cum aliis: quia id expreſſe prohibetur in citata conſtitutione Conſtantienſi his verbis. *Per hoc tamen ipſos excommunicatos ſuſpenſos, aut interdictos, aut prohibitos non intendimus in aliquo relevare, aut quomodolibet ſuffragari.* Hæc itaque conſtitutio eſt in beneficium, non excommunicatorum, ſed fidelium. Quare fideles poſſunt in politicis, & civilibus communicare, etiam præciſa neceſſitate, cum excommunicatis toleratis: & in caſu neceſſitatis, vel utilitatis etiam in divinis. Diſſident vero Auctores, an, ſublata neceſſitate, vel ſpeciali utilitate, peccent fideles petentes ut excommunicatus toleratus celebret, ſibi adminiſtret ſacramenta, & ſecum recitet divina officia. Plures, & graves Auctores, ut Pontius, Suarez, Valentia, & alii adfirmant iſtos peccare, non contra præceptum cenſuræ, ſed contra caritatem, & religionem. Negant Sanchez, Caſtropalaus, Diana, & alii multi, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes cap. 11. num. 25. Sed prior ſententia probabilior eſt.

VIII. Quæſt. VI. *Valide ne excommunicatus, ſive toleratus, ſive vitandus, adminiſtrat ſacramenta?* Reſp. Primus excommunicationis maioris, de qua in præſens loquimur, effectus eſt privatio adminiſtrationis ſacramentorum. Quare peccat mortaliter excommunicatus, ſi adminiſtret, ſi celebret &c. Non heinc tamen infertur, invalida eſſe omnia ſacramenta quæ adminiſtrat; ſed valida eſſe communiter Auctores docent, excepto ſacramento pœnitentiæ, quod certe nullum eſt ab excommunicato vitando adminiſtratum. Quare fideles qui huic excommunicato vitando confiterentur, etiam cum ignorantia, repetere confeſſionem deberent; & ſi ſcienter hoc facerent, graviter peccarent. In ſolo mortis periculo validum eſt ſacramentum pœnitentiæ adminiſtratum ab excommunicato vitando. Extra vero neceſſitatis caſum, nullus excommunicatus, ſive vitandus, ſive toleratus, adminiſtrare licite aliquod ſacramentum poteſt. Urgente neceſſitate excommunicatus etiam

vitandus potest baptismum administrare, si deesset minister idoneus, & puer esset in mortis periculo. Si recipere sacramentum pœnitentiæ in mortis articulo ab excommunicato vitando ingereret scandalum, aut occurreret periculum hæresis, aut subversionis, tunc nullo modo suscipiendum sacramentum esset. Plures etiam defendunt, excommunicatum vitandum in extremo mortis periculo administrare Eucharistiam licite posse, dummodo sit, aut conetur se in gratiam restituere per veram contritionem, si nequeat ab excommunicatione absolutionem obtinere. Alii negant, quia sacramentum Eucharistiæ non est necessarium neque necessitate præcepti divini, quando administrari decenter nequit.

IX. Reliqua sacramenta etiam in periculo mortis administrare non posse excommunicatum vitandum, communiter Auctores docent. Matrimonio tamen assistere in hoc periculo posse defendunt ad consulendum honori feminæ, quæ a viro cognita fuisset, & ad filios legitimos constituendos, si nullus Sacerdos adesset, nisi Parochus excommunicatus. Docent similiter, Sacerdotem excommunicatum posse licite administrare sacramenta ad evitanda gravissima incommoda, nisi eadem administraret, si tamen in gratia esset constitutus: quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum gravissimo incommodo, sublato contemptu, & scandalo: vel nisi sacramentum nullum efficeret, ut reipsa nullum efficeret sacramentum pœnitentiæ defectu iurisdictionis, & pravæ dispositionis cogentis illud administrare. In hoc casu mortem potius subire deberet quam sacramentum profanare. Docent etiam aliqui, quod excommunicatus denuntiatus in uno loco, vel notorius Clerici percussor posset in alio loco, ubi esset occultus, ad evitandam infamiam, quam ex omissione administrationis contraheret, administrare sacramenta; si tamen esset in gratia, & non posset absolutionem obtinere. Ego tamen hanc opinionem non probo. Nam eo ipso quod sit excommunicatus vitandus, amisit ius ad suam famam, sive in hoc, sive in alio loco. Alioquin facile eluderentur pœnæ ecclesiasticæ.

X. Quæst. VII. *An excommunicatus toleratus possit & valide, & licite sacramenta administrare?* Resp. Affirmant Salmanticenses *num.* 37. cum aliis, quos citant, præter pœnitentiam. Quia quando est toleratus, ex decreto Concilii Constantiensis non amittit potestatem administrandi sacramenta in utilitatem fidelium, quando ad id rogatus est. Immo addunt, posse valide ipsum sacramentum pœnitentiæ administrare: quia dum non est denuntiatus, non amittit iurisdictionem vi laudatæ constitutionis Constantiensis. Quin subdunt, hoc sacramentum licite administrare posse, dummodo sit postulatus, & ille ultro non se ingerat, & sit in gratia, & administratio cedat in utilitatem pœnitentis. Sed hanc ultimam conditionem reiiciunt, ut superfluam: quia pœnitens, inquiunt, etiamsi haberet copiam alterius Confessarii, a quo æque bene absolvi posset, facultatem habet eligendi sibi in Confessarium excommunicatum toleratum. Nec volunt, hunc Confessarium obstrin-

ſtringi ad obtinendam abſolutionem ab excommunicatione, antequam adminiſtret ſacramentum. Hæc opinio mihi non probatur. Nec iudicarem bene diſpoſitum illum pœnitentem qui habens copiam Confeſſarii a quo poſſet æque bene abſolvi, & inſtrui, vellet confiteri excommunicato, quantumvis tolerato.

XI. Sacerdos excommunicatus toleratus die feſto, ſi requiratur a populo, & deſit alius Sacerdos, ſuppoſito quod ſit in gratia, poteſt licite celebrare. Addunt Salmanticenſes ex Caſtropalao, poſſe Sacerdotem excommunicatum toleratum die feſto celebrare, etiamſi non petatur: quia præſumitur populum petere ſacrificium in die feſto: quod intelligendum dicunt citati Auctores, niſi adſit ſcandalum in populo ignorante privilegium Conſtantienſe. Verum abſolute mihi probabilius eſt, excommunicatum toleratum celebrare licite non poſſe, niſi ſit rogatus.

XII. Quæſt. VIII. *Quam pœnam incurrat excommunicatus qui illicite ſacramenta adminiſtrat?* Reſp. Communis ſententia docet, excommunicatum, ſive vitandum, ſive non vitandum, incurrere irregularitatem, ſi illicite adminiſtret ſacramenta, quorum adminiſtratio exigat ſui ordinis exercitium. Aliqui contendunt hanc irregularitatem non incurrere excommunicatum vitandum, invalide adminiſtrantem ſacramentum pœnitentiæ. Sed hæc opinio communiter reiicitur ut falſa; cum vel ipſe excommunicatus toleratus irregularitatem incurrat, ſi illicite adminiſtret. Qui ab excommunicato vitando abſque gravi neceſſitate ſacramenta recipit, peccat mortaliter, ut omnes fatentur.

XIII. Quæſt. IX. *An excommunicatus ſuſcipere licite aliquando ſacramenta valeat?* Reſp. Secundus excommunicationis effectus eſt privatio tum activa, tum paſſiva participationis ſacramentorum. Quare abſolute loquendo peccat mortaliter excommunicatus, ſive toleratus, ſive vitandus, recipiens aliquod ſacramentum. Caſus tamen occurrere interdum poſſunt in quibus valide & licite recipere ſacramenta excommunicati valeant. Caſus iſti ſunt ignorantia, vel inadvertentia invincibilis excommunicationis, neceſſitas ſcandalum, infamiam, aliudve grave incommodum declinandi. In his caſibus ſuſcipi ſacramenta ab excommunicato, ſive tolerato, ſive vitando, poſſe, communis ſententia adfirmat; dummodo valide adminiſtrentur, & non ſuſcipiantur in contemptum Eccleſiæ. Et primum, quod ſex ſacramenta, præter pœnitentiam, ab excommunicato ſuſcepta, immo etiam adminiſtrata, ut dictum eſt, ſint valida, patet: quia dum legitima materia & forma ſacramenta conſtant, valida ſunt. Diſputatur dumtaxat de ſacramento pœnitentiæ, num valide ſuſcipiatur ab excommunicato ignorante ſuam excommunicationem, aut ut evitet grave incommodum. Plures defendunt, invalide excommunicatum hoc ſacramentum ſuſcipere. Communior tamen ſententia ſuſtinet, valide excommunicatum, ſive toleratum, ſive non toleratum, recipere hoc ſacramentum, quando cum ignorantia invincibili iuris & facti, & cum debita diſpoſitione ad illud accedit. Nam

Ff iiij Con-

Confessarius valide, & licite illud administrat, cum iurisdictionem habeat: neque enim excommunicatio pœnitentis aufert a Confessario iurisdictionem. Aliunde pœnitens digne illud suscipit, cum ignorantia invincibili excommunicationis laboret. Idem dicunt, quando vitandum est grave detrimentum: quia Ecclesiæ præcepta non obligant cum gravissimo incommodo. Qui extra hunc necessitatis casum excommunicatis vitandis ministraret sacramenta, peccaret mortaliter, & incurreret excommunicationem minorem. Immo, si esset excommunicatus per sententiam particularem a Papa, incurreret excommunicationem maiorem reservatam Pontifici; nisi aliqua urgens necessitas, aut ignorantia excuset.

XIV. Quæst. X. *Quæ damna excommunicatis inferat tertius excommunicationis effectus?* Resp. Tertius excommunicationis effectus privat excommunicatum, etiam toleratum, nedum vitandum, munere celebrandi divina officia, & iisdem assistendi. Nomine autem divinorum officiorum intelliguntur omnes sacræ functiones quæ ab Ecclesia publice fiunt, ut Missarum celebratio, horæ canonicæ, publicæ preces, processiones, benedictiones, chrismatis consecrationes, similesque cæremoniæ, comitari Eucharistiam, dum ad infirmos defertur. Concionem tamen audire excommunicati possunt, privatim Ecclesiam ingredi, & ibi orare. Nec modo possunt, verum etiam tenentur orare, preces debitas persolvere, horas canonicas, si Clerici in sacris constituti sint, recitare: alioquin commodum ex iniquitate reportarent. Nequeunt tamen in recitandis horis socium adhibere absque veniali culpa, rationabili caussa sublata. Quare excommunicatus, sive toleratus, sive vitandus, nequit Missam audire, & multo minus celebrare; immo vitandus si interesset, monendus esset ut recederet: & si iussus non recederet, novam excommunicationem incurreret. Quando expelli non potest, fideles recedere debent, ne cum illo communicent. Si Sacerdos canonem non inceperit, Missam interrumpere, & omittere debet. Si vero canonem inceperit, debet cum ministro solo Missam persequi usque ad calicis assumptionem, & reliqua omittere, aut in Sacristia, si aptus locus adsit, eadem perficere. Si tamen excommunicatus physice tantum, non moraliter in templo esset, seu si ibi adesset non caussa audiendi Missam, aut divinum officium, tunc non esse eiiciendum Auctores docent.

XV. Itaque excommunicatus manet vi tertii effectus privatus omnibus suffragiis, sacrificiis, & orationibus quæ nomine Ecclesiæ offeruntur. Et peccatum est mortale pro excommunicato prædicta offerre. Dies Parasceves ab Ecclesia excipitur, in quo pro hæreticis, schismaticis &c. publicæ preces fundi solent. Plures Theologi contendunt, sacrificia, suffragia, & communes preces offerri pro excommunicatis qui sunt in gratia, posse. Verum probabilior sententia negat, usque dum non absolvantur. Immo vix potest esse in gratia, si, cum possit, absolvi non studet; & plus vel minus peccat pro maiori aut minori negligentia in procu-

curanda absolutione. Quare veram iudico sententiam negantem offerenda prædicta suffragia esse pro excommunicatis, antequam absolutionem a censura obtineant; etiamsi interdum contingeret eos esse in gratia constitutos. Orationes tamen privatæ, & suffragia particularia offerri pro excommunicatis etiam vitandis possunt; ut in *IV. dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 4. S. Thomas docet: quoniam hæc non est communicatio in spiritualibus, sed officia misericordiæ, & eleemosynæ spiritualis. Immo quilibet Sacerdos in *Memento* Missæ potest ut persona privata orare pro excommunicatis. Licet enim in hoc sacrificio gerat personam Christi, & Ecclesiæ, non propterea personam privatam exuit.

XVI. Pro excommunicatis toleratis, ut pro publicis hæreticis in Germania, in Anglia &c. negant plures Theologi offerri posse sacrificia, & communia Ecclesiæ suffragia, & orationes eiusdem nomine. Sed plures alii adfirmant. Utraque sententia sua non levia fundamenta habet. Quænam sit probabilior, ignoro. Nec interest talem controversiam severius dispicere, cum vera decisio ab Ecclesia pendeat.

XVII. Quæst. XI. *Peccat ne excommunicatus non audiendo Sacrum in die festo, aut si non confiteatur, & communicet in die Paschatis.* Resp. Cuilibet excommunicato vi quarti effectus excommunicationis vetitum est communicare cum aliis in divinis officiis. Ad propositum autem quæsitum respondent Salmanticenses *num.* 74. peccare hunc mortaliter, si sua culpa non obtineat absolutionem, & hoc animo intendat se eximere ab obligatione servandi dicta præcepta. Si vero non hoc animo id intendat, sed aliis rationibus non absolvatur, licet sit negligens in obtinenda absolutione, non peccat omittendo Sacrum in die festo: quia Ecclesia solum obligat non impeditos; nec tenetur ex vi illius præcepti auferre impedimentum. Hoc idem defendit etiam P. Viva *quæst.* IV. *art.* 3. *num.* 6. cum aliis. Opinionem hanc falsam reputo quantum ad ultimam partem. Quoniam Christianus eodem præcepto quo obstringitur audire Missam, tenetur etiam removere, quoad potest, impedimenta quæ retrahunt ab observantia eiusdem. Immo lex universalis obstringit quoscumque ut aptos se reddant ad præcepta Ecclesiæ servanda. Futile est quod opponunt ibidem Salmanticenses de detentis in carcere, & infirmitate laborantibus. Quoniam isti impotentes sunt ad præceptum servandum. Affirmant vero citati Auctores peccare mortaliter excommunicatum qui in Paschate non confitetur, & non communicat; nec excusari, si sit negligens: quia præceptum istud magis divinum est. At præceptum quoque colendi diem dominicum divinum est, quamvis determinatio huius aut illius cultus ab Ecclesia præscribatur.

XVIII. Quæst. XII. *Quid de quinto excommunicationis effectu dicendum?* Resp. Quintus excommunicationis effectus privat excommunicatos sepultura in loco sacro. Nomine loci sacri intelliguntur templa, cœmeteria, claustra, & alia loca deputata ad divina officia celebranda, & ad cultum divinum. Hoc tamen intelli-

gi-

gitur de excommunicatis vitandis, quibuſcum communicari nequit. Si excommunicatus vitandus ſepultus fuerit in loco ſacro, & ab aliis cadaveribus ſecerni poſſit, extumulandus eſt, & foras proiiciendus; & locus ſacer ſolemni aſperſione purgandus a macula contracta. Excommunicatus enim vitandus omni honore eccleſiaſtico privatur, qui in fidelibus ſepeliendis adhiberi ſolet. Nec Clerici pro excommunicatis ſepeliendis recipere eleemoſynas valent. Qui eiuſmodi excommunicatos vitandos ſepeliunt propriis manibus, iuxta omnes incurrunt excommunicationem maiorem. Num hanc eamdem excommunicationem incurrant qui excommunicatos vitandos comitantur ad ſepulturam, non una eſt Theologorum ſententia. Alii affirmant, alii negant. Omnes tamen concedunt, iſtos ut minus incurrere excommunicationem minorem. Mandantes autem, & procurantes probabilius incurrunt excommunicationem maiorem. Sepelientes vero excommunicatos toleratos, etiam publicos hæreticos, qui non ſint ſpecialiter denuntiati, non incurrere excommunicationem, communiter Auctores docent: quia ex conſtitutione Concilii Conſtantienſis ſolum excommunicati denuntiati vitandi ſunt. Qui vero ſepeliret hæreticum, per iudicis ſententiam damnatum, contraheret maiorem excommunicationem.

XIX. Quæſt. XIII. *Quo uſu iuriſdictionis eccleſiaſticæ privet excommunicatum ſextus excommunicationis effectus?* Reſp. Ab omni uſu eccleſiaſticæ iuriſdictionis privatur excommunicatus, ſive toleratus, ſive vitandus, utpote præciſus a corpore Eccleſiæ. Peculiaris tamen difficultas eſt de excommunicato tolerato. Nam ſi hic a partibus exquiratur, & licite, & valide poteſt exercere actus iuriſdictionis, ut eligere, præſentare, conferre beneficia, ob facultatem quam conſtitutio Martini V. præbet fidelibus communicandi cum excommunicato tolerato. Si vero fideles litigantes reiicerent excommunicatum toleratum, tunc nullius valoris eſſent iſtius acta. Dantes vero exceptionem intra octo dies, ut communiter Auctores docent, deberent ſpeciem excommunicationis manifeſtare.

XX. Geſta per iuriſdictionem eccleſiaſticam ab excommunicato vitando illicita, & invalida ſunt: nec ſubditi debent illi obedire; immo peccarent eidem obtemperando. Quare abſolutio, cenſuræ latæ, diſpenſatio, facultatis conceſſio ad ſacramenta miniſtranda, & alia huiuſmodi, quæ ſunt acta iuriſdictionis eccleſiaſticæ, geſta ab excommunicato vitando nullo omnino ſunt. Excipitur electio ſummi Pontificis, quæ valida foret, etiam ab excommunicatis facta, ad evitandam ſchiſmatis occaſionem, & alia plurima mala quæ Eccleſiæ imminerent. Acta a iudice delegato ſunt nulla, quando delegans eſt excommunicatus vitandus. Si tamen delegans excommunicaretur poſt inceptum iudicium, proſequi delegatus illud poteſt, quando tamen diverſum tribunal a delegante conſtituit: ſi enim cum delegante excommunicato unum tribunal efficeret, tum etiamſi inceptum iudicium eſſet, ceſ-

cessaret omnis iurisdictio in utroque, ut communiter Auctores docent. Quoniam sicut, mortuo Episcopo, iurisdictio Vicarii generalis eiusdem expirat; ita, illo suspenso, aut excommunicato, cessat, quamvis sit iudex ordinarius: quia, inquiunt, accessorium sequitur naturam principalis.

XXI. Quæst. XIV. *An electio sit nulla, ad quam excommunicatus vitandus concurrit?* Resp. Omnes conveniunt electionem nullam esse, si absque suffragio excommunicati concludi electio nequiret. Si vero istius suffragium non sit necessarium, & electores aut ignorent excommunicationem, aut nequeant excommunicatum reiicere, electionem tunc non esse abrogandam, omnes communiter fatentur. Disputant vero Auctores, num quando suffragium est superfluum, valida sit electio, si, consentientibus, & scientibus ceteris electoribus, ipse excommunicatus vitandus suum ferat suffragium. Alii negant, & alii adfirmant. Quænam sententia sit probabilior, ignoro, cum pro neutra canones perspicue sint. Et cum hæc ad forum attineant, iudices rem dirimant: & probata praxis spectanda est. Præsentatio ad beneficium, vel officium, facta a patrono Clerico excommunicato vitando, exercente iurisdictionem ecclesiasticam, iuxta omnes nulla est; factam vero a patrono laico, vel a Clerico, non titulo dignitatis ecclesiasticæ, vel beneficii, sed titulo patrimonii, aut alio laico titulo, validam plures defendunt, sed illicitam: quia talis præsentatio non est actus potestatis ecclesiasticæ. Adfirmant tamen institutorem non obstringi eam admittere, etiamsi facta esset ab excommunicato tolerato: quia nemo tenetur communicare cum excommunicato.

XXII. Resignatio beneficii facta ab excommunicato tolerato valida est, immo etiam facta a vitando, dum fuerit simplex, & non in favorem alterius: quia talis resignatio non est actus iurisdictionis ecclesiasticæ, sed simplex beneficii cessio. Plures defendunt validam esse factam etiam in favorem alterius ab excommunicato vitando: quia non est actus iurisdictionis, sed dumtaxat personæ designatio. Verum ad Superiorem pertineat, si velit, illam adprobare. Quæ fiunt ab excommunicato vitando ut persona privata, valida sunt, tametsi illicita, si communicet cum aliis. Quoniam irritantur dumtaxat quæ prodeunt a iurisdictione ecclesiastica, & exercentur a persona publica. Quare validi sunt contractus emptionis, venditionis, mutui &c. Testamentum tamen factum ab excommunicato propter hæresim, aut propter percussionem Cardinalis, nullum esset ex cap. *Felicis* de pœnis in VI. Invalida quoque asserunt instrumenta facta a tabellione excommunicato non tolerato. Similiter invalida sunt acta concedendi facultatem pro confessionibus audiendis, & concionibus habendis, & concessiones dimissoriarum, si fiant ab excommunicato vitando.

XXIII. Quæst. XV. *Quam inhabilitatem incurrunt excommunicati vi septimi effectus excommunicationis?* Resp. Ligati excommunicatione maiori inhabiles sunt ad be-

beneficia ecclesiastica. Quare præsentatio, electio, postulatio, nominatio, collatio, impetratio litterarum in favorem excommunicati nullæ sunt. Porro tam eligentes, & præsentantes, quam recipientes beneficium, sive caussa commutationis, sive resignationis &c. peccant mortaliter; & præter excommunicationem minorem, quam conferentes beneficium excommunicato vitando incurrunt, suspensionem etiam contrahunt collationis talis beneficii. Et hæc quæ dicta sunt de excommunicato, extendunt communiter ad suspensum, interdictum, & irregularem. Excipiunt tamen collationem factam a Pontifice, quia conferendo dispensare præsumeretur; nisi quis esset excommunicatus ob hæresim, quæ non aufertur per clausulam generalem. Quid, si quis ignoraret vincibiliter se esse excommunicatum, vel ab excommunicatione absolutum, esset ne collatio beneficii nulla? Negant aliqui; sed probabilius, & communius adfirmant ceteri. Excommunicatus recipiens beneficium non facit fructus suos, sed eos restituere obstringitur. Quando vero bona fide illud suscepit, ignorans suam excommunicationem, dum recordatur, debet dimittere beneficium, & restituere id in quo factus est ditior. Quod si mala fide beneficium recepisset, omnes fructus restituere deberet. Nec solum excommunicati inhabiles sunt ad beneficia, verum etiam ad alias dignitates. Et hæc iuxta probabiliorem sententiam intelligenda sunt de excommunicato non modo vitando, verum etiam tolerato: quia constitutio Martini V. non favet excommunicatis, sed fidelibus.

XXIV. Quæst. XVI. *Utrum excommunicatus amittat & fructus, & beneficium?* Resp. Octavus effectus excommunicationis privat excommunicatum non beneficio, sed fructibus tantum, a tempore quo fuit excommunicatus, sive vitandus, sive toleratus. Et nomine fructuum beneficii intelliguntur omnes reditus, pensiones, & distributiones, minime vero patrimonium. Diffident Auctores, num excommunicatus teneatur restituere fructus ante, vel post iudicis sententiam. Gravissimam difficultatem hanc vocant Salmanticenses *tract.* x. *cap.* III. *punct.* 10. *num.* 112. Id convenit penes omnes, excommunicatum qui neque per se, neque per alium munus suum, & officium exercet, iure naturæ eiusmodi fructibus, ratione officii percipiendis, privatum esse. Disputatur, num quando vel per se, vel per alium munus suum implet, iisdem fructibus privatus sit ante iudicis sententiam.

XXV. Prima sententia adfirmat, quam defendunt Suarez *disp.* XIII. *sect.* 2. *num.* 4. *& seqq.* Covarruvias *Lib. III. var. cap.* XIII. Filliucius *Tom. I. tract.* XII. *cap.* V. *num.* 129. Corneius *disp.* X. *§.* 6. *dub. unic. quæst.* 1. Sayrus *de cens. Lib. II. cap.* V. *num.* 24. & 30. Leander *tract.* 11. *disp.* IX. *quæst.* XXVIII. Alterius *Lib. II. disp.* VI. *cap.* VIII. Huius sententiæ ratio eruitur ex cap. *Pastoralis* LIII. *§. Verum* de appellationibus, ubi hæc habentur. *Illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur cui Ecclesiæ communicatio denegatur.* Nulla hic mentio iudicis sententiæ. Ergo ex-

com-

communicatus ipso facto fructibus privatur. Rursus excommunicatus est ipso facto ab officio suspensus : ergo etiam a fructuum perceptione; cum fructus dentur propter officium, non secus ac merces propter opus.

XXVI. Altera sententia negat, quam defendunt ut probabiliorem ipsi Salmanticenses *num.* 114. & pro eadem citant Sanchez, Hurtadum, Vasquez, Layman, Henriquez, Palaum, Dianam, Coninch, Candidum, Bonacinam, Avilam, Antonium a Spiritu sancto. Hanc eamdem opinionem ut probabiliorem defendit Turnely *tract. de cens. part.* II. *sec.* 5. *quæst.* IV. Quia pœna tam gravis, inquit *Turnely* cum aliis, non est imponenda, nisi certo expressa sit in iure : atqui nullibi expressa in iure est hæc fructuum privatio. In adducto pro priori sententia textu verbum illud *subtrahuntur* potius indicat, subdit *Turnely* post Salmanticenses, spoliationem quæ fiat ab homine, quam quæ ipso iure inducatur; aut saltem tam de illa, quam de ista intelligi potest : tum quia verbum illud intelligi potest iuxta interrogationem factam Pontifici. Interrogatio autem erat, an posset iudex post appellationem Clericum reditibus suis privare. Ergo responsio est, quod possit eum privare, non quod ipso iure privatus sit. Accedit consuetudo Galliæ, & Hispaniarum, ubi excommunicati ante iudicis sententiam fructus percipiunt.

XXVII. Quid iudicii in has duas contrarias sententias proferam? Aqua hæret undique. Si quod sentio, sincere enuntiare mihi licet, dicam mihi negotium facessere maximum ipsam excommunicationem. Optandum esset ut excommunicationum multitudinem ad maturum examen Superiores revocarent, & in eum parvum numerum illas restringerent quem illorum sapientia magis consentaneum iudicaret. Illud mihi certum est præceptorum multitudinem haud fore idoneam ad hominum malitiam coercendam. Animadvertit S. Augustinus *epist.* CXVIII. ad Ianuarium : *Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, levi iugo nos subdidisse, & sarcinæ levi. Unde sacramentis numero paucissimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit.* Fusius *epist.* CXIX. ad eumdem Ianuarium quarumdam Ecclesiarum præcepta resecanda suggerit. *Sine ulla dubitatione*, inquit, *resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint; ipsam tamen religionem, quam paucissimis, & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt; ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiam si tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat; sed tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec favet.*

XXVIII. Censurarum numerus adeo excrevit, ut integra & magna volumina de eisdem ediderint Theologi plures. Omnes exorant, urgentque ut declaremus

quæ

quæ obsoleverint, quæ obtineant, ac si in arbitrio Theologorum constitutum esset, talia definire. Optandum, repeto, esset ut Superiores ipsi, quorum interest, negotium istud tractandum assumerent. Præceptorum multitudo iustos gravat, & iniquis offendiculo inservit. Censurarum paucitas ad Evangelii imitationem, & executio severa forte expedientior esset, ut imbecillitati meæ videtur. Ceterum absit a me stultitia tanta, ut quidquam hac in re decidere velim. Hæc dumtaxat delibavi adversus eos qui a Theologis levamen & præsidium postulant, quo a tot censuris liberentur. Superioribus, quorum est ligare & solvere, non Theologis suas supplicationes porrigant. Theologorum officium est legum observantiam promovere, & executionem inculcare, non vanis commentis leges eludere, & laxis opinationibus extenuare.

XXIX. Quare, ut hæc quæ dixi, confirmem, ex duabus recensitis opinionibus priorem indico probabiliorem. Eccur? Quia, admissa caussa, necessario admittendus effectus est. Excommunicatio conceditur, ergo concedi effectus debet .· Ante iudicis sententiam fructuum perceptione privatur. Plana & obvia mihi hæc sunt.

XXX. Opinionis negantis hanc fructuum privationem ante iudicis sententiam argumenta expendamus. Pœna tam gravis, ait Turnely, immo *gravissima*, addunt Salmanticenses *num.* 114. non est imponenda ante sententiam iudicis, nisi expressa sit in iure. Cedo: quænam pœna maior, separatio ab Ecclesiæ communione, an privatio fructuum? Quid hiscis? Pluris ne crumenam facis quam sanctorum communionem? Pœnam gravissimam vocant fructuum privationem, quia gravissimum scilicet est humanæ cupiditati fructus istos restituere. Ceterum si hæc fructuum privatio ad evangelicæ legis amussim revocetur, si cum privatione comparetur communionis Ecclesiæ, nec pœnæ nomen meretur. Concedunt laudati Theologi, excommunicationem, omnium pœnarum gravissimam, Beneficiarium incurrere ante iudicis sententiam. Concedunt simul privationem fructuum beneficii esse effectum excommunicationis. Ergo concedant necessum est, ante sententiam iudicis fructibus beneficii privatum esse Beneficiarium. Hæc omnia naturali consecutione sibi succedunt. Non est, inquiunt, expressum in iure, talem pœnam contrahi ante sententiam iudicis. Finge nihil expressum in iure esse, atque textum ex cap. *Pastoralis* clare sententiam nostram non confirmare. Quid præsidii heinc colligunt adversarii? Quæro ego, an expressum in iure sit huic pœnæ obnoxium non esse Beneficiarium ante iudicis sententiam. Nec verbum vel ambiguum ex universo iure allegant. Ergo id dicendum quod sponte sua fluit. Privatio fructuum consequitur excommunicationem, sicuti effectus suam caussam: ergo si Beneficiarius ante sententiam iudicis contrahit excommunicationem, ante sententiam iudicis subiacet fructuum privationi. Utique Superior infligere excommunicationem potest ante iudicis sententiam, & fructuum privationem solum post iu-

iudicis sententiam, si velit, nobisque constet de hac sua voluntate, infligente primam pœnam maiorem, & suspendente secundam minorem. At ipsi adversarii fatentur, nihil de hoc expressum in iure esse. Ergo fatendum est id quod natura sua consequitur, nempe excommunicationi contractæ ante sententiam iudicis succedere effectum, nempe fructuum privationem.

XXXI. Ad consuetudinem, quam opponunt, respondeo, si consuetudo ista prædita sit veræ consuetudinis dotibus, eidem standum esse. At videndum ne corruptela consuetudinis larva obtegatur. Cavendum ne ex multitudine censurarum ansa arripiatur eludendi vanis commentis censuras omnes. Mea sententia est exacte servandas leges esse: si multæ videntur, supplicandum pro diminutione. Ad Theologos, ut dixi, non attinet vel diminuere leges, vel easdem arbitrariis interpretamentis in nihilum redigere.

XXXII. Quæst. XVII. *Quid sit excommunicatio forensis & civilis?* Resp. Nonus effectus excommunicationis est privatio communicationis forensis, seu excommunicatus nequit esse iudex, actor, advocatus, testis, tabellio, procurator in foro. Si tamen toleratus sit, poterit clientem defendere; dummodo non repellatur, sicuti repelli potest, si de eiusdem excommunicatione constet. Valida sunt iudicia fori, in quo actor, testis, vel tabellio est excommunicatus toleratus; si vero vitandus sit, etiamsi iudex laicus fuerit, irrita sunt acta omnia talis fori, ut communior sententia docet. Testimonium excommunicati, si admittatur a iudice, validum est. Citari tamen, & reum agere in iudicio excommunicatus potest: quia hoc odium, non favorem redolet. Debet tamen per procuratorem, si possit, hoc agere, non per seipsum, nisi pauper fuerit.

XXXIII. Decimus excommunicationis maioris effectus est privatio civilis communicationis politicæ per modum commercii, vel societatis, nisi necessitas excuset, aut nisi excommunicatus sit requisitus. Communicatio tamen hæc civilis in politicis humanisque commerciis, sublato scandalo, vel contemptu, non est mortaliter noxia, sed venialiter; cum infidelibus vero communicare nullum est peccatum. Qui vero communicant cum excommunicato vitando in civilibus ob parvitatem materiæ, peccant venialiter, in sacris mortaliter. Fideles vero qui communicant cum tolerato, nullam culpam committunt ob privilegium Concilii Constantiensis. Frequens tamen communicatio cum excommunicato vitando etiam in civilibus iuxta probabiliorem sententiam mortalis est, si sit moraliter continuata.

XXXIV. Qui communicat cum excommunicato vitando, incurrit pœnam excommunicationis minoris, sive communicatio sit in civilibus, sive in sacris. Auctores tamen excipiunt tres casus, in quibus ob hanc communicationem incurritur excommunicatio maior. I. Est, quando excommunicatus est a Papa per sententiam singularem, & nominatim. Tunc enim qui sciens cum tali communicat, in-

incurrit excommunicationem maiorem ipsi Papæ reservatam ; si tamen sit Clericus, & sponte libereque communicet in divinis. II. Quando excommunicatio lata est contra participantes . Tunc enim qui communicat , eamdem incurrit excommunicationem qua irretitus est excommunicatus . Ab hac excommunicatione solum absolvi potest communicans ab eo a quo absolvi valet ille quocum communicavit . Ut tamen hanc excommunicationem incurrat communicans, debet specialiter moneri trina, vel una æquivalente tribus admonitione. III. Quando quis communicat in *crimine criminoso*, seu in eo crimine ob quod quis excommunicatus est, præbens ei consilium, auxilium, favorem &c.

XXXV. Quæst. XVIII. *Quot sunt casus in quibus non licet fidelibus cum excommunicato communicare*? Resp. Quinque numerant Auctores his verbis comprehensos.

Si pro delictis anathemate quis feriatur;
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *os* intelligitur vetita omnis communicatio per verba, signa, nutus, epistolas, amplexus, nuntios &c. Nequeunt excommunicati epistolæ legi , illorumque munera suscipi. *Orare* prohibet ne cum excommunicato fideles preces, suffragia , sacrificia habeant, seu offerant, neque cum iisdem privatim orent . Fundere vero preces pro iisdem privatim possunt. *Vale* prohibet omnem salutationem honorandi caussa, non animo illum corripiendi; ut si dicas, *Deus te convertat*, *illuminetque*. Alia particula *communio* prohibet cohabitationem, cooperationem, consilium in quocumque negotio , sedere , ambulare simul , omneque commercium . *Mensa* vetat communicationem in cibo, potu, conviviis una assistere, sedere &c.

XXXVI. Quæst. XIX. *In quibus casibus licitum est fidelibus communicare cum excommunicato ?* Resp. Plures sunt casus in quibus licita est communicatio cum excommunicatis vitandis. Hos numerat in *Suppl. quæst.* XXIII. *art.* I. S. Thomas , & communiter hoc versu exprimuntur.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

In prima particula *utile* intelligunt Auctores omnem utilitatem spiritualem , vel temporalem , veram , & non fictam , sive excommunicati , sive communicantis cum eodem . Quare omnia quæ conferunt ad ipsius excommunicati conversionem, agere fidelis valet, atque adeo illum alloqui per litteras, salutare, revereri, & cetera similia , quæ prædicto fini inserviunt . Licet excommunicato consilium capere , auxilium implorare, & opem a fidelibus ad evitandum grave damnum & iacturam rerum temporalium. *Lex*, iuxta communem interpretationem , matrimonium significat, vi cuius petere ab excommunicato debitum uxor potest , & in ceteris etiam communicare , ut in domus regimine , & aliis domesticis negotiis, exceptis rebus sacris. Et hoc intelligitur , etiamsi ambo essent excommuni-

ni-

nicati. Excipitur tamen casus in quo matrimonium excommunicati contraxissent; tunc enim privilegio non fruerentur communicationis; neque si excommunicatio lata esset matrimonii caussa; immo tum vi excommunicationis separari deberent. Similiter a communicatione excluduntur, dum sunt divortio seiuncti. Excipitur quoque casus hæresis ob generale periculum seductionis.

XXXVII. *Humile*. Vi huius particulæ filii legitimi, adoptivi, illegitimi, nepotes, pronepotes, & in gradu lineæ rectæ affines, ut gener, nurus, privignus, & privigna mutuo communicare, & pupilli cum tutoribus possunt. Excluduntur tamen emancipati. Similiter servi, & ancillæ obtemperare dominis, Religiosi cum proprio Prælato excommunicato communicare valent. Nequeunt tamen servi, vel ancillæ locare operas suas excommunicatis, nisi necessitas urgeat. Si post locatas operas excommunicentur, non tenentur recedere, si immineat illis detrimentum notabile. Excluso periculo detrimenti, abire deberent: quia tunc nulla esset necessitas permanendi; & ut heinc domini occasionem resipiscendi nanciscantur. Facultatem communicandi cum parentibus, & dominis concessam filiis, & servis extendunt etiam permulti ad communicandum in sacris. *Res ignorata*. Hæc particula significat ignorantiam invincibilem, vel inadvertentiam iuris, & facti. *Necesse* indicat gravem aliquam necessitatem, sive temporalem, sive spiritualem, sive excommunicati, sive communicantis, aut alterius tertiæ personæ.

XXXVIII. Quæst. XX. *Quid sit excommunicatio minor, & quinam illius effectus?* Resp. Excommunicatio minor est *censura ecclesiastica privans passiva sacramentorum receptione*. Et hæc privatio sacramentorum est præcipuus huius excommunicationis effectus. Quare mortaliter peccat qui hac excommunicatione irretitus aliquod sacramentum suscipit. Diffident vero Theologi, num peccet qui hac censura irretitus sacramenta administrat. Alii docent hunc peccare mortaliter: alii negant peccare mortaliter, sed venialiter tantum delinquere aiunt. Verum plures alii negant peccare nequidem venialiter: quia istis excommunicatis solum prohibetur passiva receptio, non activa administratio sacramentorum. Difficile est hunc eximere etiam a peccato veniali: omnes tamen adfirmant peccare mortaliter, si celebret, quia tum recipit sacramentum.

XXXIX. Alter effectus excommunicationis minoris est privatio electionis passivæ ad beneficia ecclesiastica. Plures docent electionem huius excommunicati ad beneficia esse & illicitam, & irritam, si scienter facta sit. Alii volunt esse irritandam per Superiores.

XL. Excommunicatio hæc contrahitur, ut dictum est, ob participationem cum excommunicato vitando. Non modo Episcopus, sed quilibet Confessarius approbatus potest ab eadem absolvere. Plures contendunt etiam simplicem Sacerdotem posse ab hac excommunicatione absolvere: quia, inquiunt Salmanticenses *num.*

166. quilibet Sacerdos potest absolvere a venialibus. Sed hodie extra disputationis aleam est Sacerdotes simplices non posse a venialibus absolvere; cum id vetitum sit ab Innocentio XI. ut ostendi *Tom. IX.*

CAPUT II.

De quibusdam aliis excommunicationibus, & de contentis in bulla Cœnæ.

§. I.

De excommunicatione ob percussionem Clerici.

I. QUæst. I. *Quando incurritur excommunicatio canonis ob Clerici percussionem?* Resp. Frequens istius censuræ & praxis, & sermo recurrit; idcirco distincta eiusdem descriptio exhibenda. Canon, *Si quis suadente*, illam continens habetur XVII. *quæst.* IV. his verbis. *Si quis suadente diabolo manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, & eius mandata recipiat.*

II. Hæc excommunicatio reservata est apostolicæ Sedi. Prælati tamen regulares possunt absolvere suos subditos percussores aliorum Religiosorum, sive propriæ, sive alienæ religionis, vel etiam sæcularium. Illud *suadente diabolo* significat percussionem quæ sit peccatum mortale ratione iniuriæ irrogatæ personæ clericali. Quare gravitas istius iniuriæ accipienda est, spectata dignitate, & statu religioso.

III. Quæst. II. *Quis nomine Clerici, aut Monachi intelligatur?* Resp. Omnes Clerici vel ipsa prima tonsura insigniti, dummodo habitum clericalem deferant: omnes Regulares utriusque sexus, Clerici, Novitii, Conversi hoc privilegio canonis fruuntur. Similiter hoc eodem privilegio gaudent Equites S. Iacobi, S. Ioannis, Calatravæ, Alcantaræ, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani Florentiæ, Ordinis Christi in Lusitania, ut plures Auctores docent. A privilegio huius canonis excludunt Tertiarios S. Dominici, & S. Francisci, qui in propriis domibus vivunt. Neque Clerici coniugati istius privilegii participes sunt, nisi deferant tonsuram, & habitum clericalem. Excluduntur quoque ab hoc privilegio Clerici, qui, abiectis vestibus ecclesiasticis, negotiis sæcularibus se se immiscent, & tertio a Superiore moniti non corriguntur.

IV. Quæst. III. *Quinam dicantur manus violentas iniicere in Clericum, ut excommunicationem incurrant?* Resp. Omnes rationis compotes utriusque sexus, qui violen-

lentas manus iniiciunt in Clericum, canonis excommunicationem incurrunt. Iuvenes tamen qui ante pubertatem hoc crimen perpetrant, absolvi ab Episcopo possunt. Hanc excommunicationem quoque incurrunt mandantes, excitantes, & inducentes, sive precibus, sive minis, sive promissis, consulentes, consentientes, auxilium praebentes; ut statuitur cap. *Mulieres §. Illi* de sent. excomm. & cap. *Quantae* XLVII. Ut vero quis consentire dicatur, sat est ut dominus, aut paterfamilias dicat coram suis, se libenter cupere talis Clerici vindictam. Si his verbis isti moti Clericum percutiant, etiamsi non illa verba protulerit, ut ad talem percussionem provocaret, inter consentientes numeratur: quia praevidere talem percussionem ex circumstantiis poterat, aut exprimere debebat se eam nolle.

V. Quaest. IV. *An qui non impedit, cum possit, Clerici percussionem, hanc excommunicationem incurrat?* Resp. Affirmant communiter Auctores ex cap. *Quantae*, de sent. excomm. ubi haec habentur. *Eos delinquentibus favere interpretamur qui, cum possint, manifesto facinori desinunt obviare*. Requiritur tamen ad excommunicationem contrahendam quod dolo, fraude, odio, vel malitia non impediant. Nam, si ob timorem, verecundiam, & ne se negotiis alienis immisceant, negligant obviare, hanc excommunicationem non incurrunt; ut communiter Auctores docent. Quin disputant, num qui non ex iustitia, sed ex caritate tantum impedire hanc percussionem tenentur, hanc excommunicationem contrahant. Adfirmant Sylvester, Caietanus, Suarez, Medina, aliique graves Theologi, auctoritate nixi citati cap. *Quantae*. Negant e contrario plures alii.

VI. Quaest. V. *An qui ratam habet percussionem Clerici suo nomine factam, incurrat hanc excommunicationem?* Resp. Affirmant communiter omnes, quamquam ad illam auxilium, mandatum, consilium non praebuerit. Idque colligunt ex cap. *Cum quis* de sent. excomm. in VI. quia ratihabitio mandato aequivalet. Requiritur tamen 1. quod eius nomine sit facta percussio, iudicante percussore illi gratam futuram. 2. quod exterius signo sensibili prodat suam approbationem. 3. quod quando percussio executioni demandata est, fuerit ipse habitualiter aptus ad mandatum praebendum, vel consilium: quia si tunc fuisset amens, eam non incurreret. Somnus tamen & ebrietas non impediunt, quominus eam contrahat, si cetera adsint.

VII. Quaest. VI. *Quaenam actio violenta in Clericum dicatur, vi cuius percussor excommunicationem incurrat?* Resp. Manum violentam in Clericum iniiciunt omnes qui aliqua corporis parte, ut ore, pede, brachio, manu Clericum, aut rem ei adhaerentem percutiunt, sive immediate absque instrumento, sive medio fuste, gladio, veneno: si Clericum violenter detineant, si in carcerem detrudant, si illum insequantur, urgeant ad laesionem, aut praecipitium, si sputum, si pulverem in illum coniiciant, si eius vestimenta lacerent, si arundine verberent, si equum

 ipsum

ipſum lædant, frenum infringant, vique ſiſtant. Quæ actiones omnes aut perſonam, aut eiuſdem honorem lædunt & dedecorant; ut ex cap. *Nuper*, de ſent. excomm. clare eruitur: atque adeo ſufficiunt ad excommunicationem incurrendam. Hanc vero excommunicationem non contrahunt illi qui verbis tantum Clericum offendunt, aut ictum vibrant, ut illum lædant, reipſa tamen nec illum, nec rem ei adhærentem tangunt. Neque illi qui abſque vi veſtes Clerici ſurriperent, aut furarentur in itinere equum, vel pecunias; licet heinc ſequeretur ne perſequi iter poſſet. Quia actiones iſtæ nullam vim perſonæ, & dignitati inferunt; tametſi per accidens conſequatur quod Clericus nequeat egredi, aut perſequi iter ſuum. Qui venenum Clerico propinant, excommunicantur. Si Monialis potaret venenum ad fetum necandum, non eſſet obnoxia cenſuræ: quia fetui, non ſibi iniuriam irrogaret. Excommunicationem vero contraheret qui per vim Moniali gravidæ venenum propinaret, ad fetum necandum: quia tum utrique vim inferret.

VIII. Quæſt. VII. *Quænam cauſſæ excuſant iniicientes manus violentas in Clericum ab incurrenda excommunicatione?* Reſp. Plures iam ſupra indicatæ ſunt, videlicet ignorantia iuris, & facti, timor gravis, iuſta defenſio, & cetera omnia quæ a gravi culpa eximunt: correctionis titulus, vi cuius Magiſtri, Prælati percutere diſcipulos Clericos valent, excluſo ſemper exceſſu, qui peccatum mortale conſtitueret, & excommunicationem induceret. Parentes poſſunt filios Clericos, etiam in ſacris conſtitutos, punire, vinculis ligare, in carcerem detrudere, detinere, & ea omnia exercere quæ opportuna prudenter iudicantur ad illorum correctionem. Illi etiam qui Clericum turpiter tractantem proprias uxores, matres, ſorores, filias percuterent, ſive ut vindicarent iniuriam, ſive ut a crimine averterent, immunes ab excommunicatione eſſent; dummodo percutiant illum in ipſo crimine, vel continuo poſt, etiamſi cum eiſdem non fornicaretur, ſed tantum illas oſculis, tactibus, amplexibus turpibus dedecoraret. Similiter femina ſollicitata, & facto provocata a Clerico, ſi illum violenta percuſſione reiiceret, quando ſolis verbis non poſſet, a cenſura libera eſſet. Amittunt quoque privilegium canonis Clerici qui ter admoniti, non deferrent habitum & tonſuram clericalem, ſi militiam, aut graſſatores agerent. Quando Clerici mutuo rixantes ſine gravi iniuria alapis, pugnis ſe percutiunt, licet e naribus guttæ ſanguinis fluerent, liberi ſunt ab excommunicatione; niſi ex circumſtantiis conſtaret iniuriam eſſe gravem, ut interdum eſſe ſolet.

IX. Quæſt. VIII. *Quis poſſit ab hac excommunicatione abſolvere?* Reſp. Dictum iam ſupra eſt, hanc excommunicationem reſervatam eſſe ſummo Pontifici, & ſolos Mendicantes ex privilegio, & Epiſcopos in multis caſibus poſſe ab eadem abſolvere. Abſolvere Epiſcopi valent, ſi percuſſio ſit levis. Levem percuſſionem vo-

vocant quæ fit pede, pugno, baculo, lapide, nullum relinquente in carne vestigium, aut quæ fit absque multi sanguinis effusione, vel multorum capillorum evulsione, quæque grave scandalum non pariat. Regula generalis præcisa assignari nequit; sed ex circumstantiis gravitas, aut levitas colligi debet. Percussio Sacerdotis facta cum peccato mortali in Ecclesia, in platea, etiamsi materialiter levis appareret, ob hanc caussam gravis esset reputanda. Percussio enormis communiter dicitur quæ grave vulnus infligit, non vero illa ex qua magna sanguinis copia manat, si vulnus modicum sit. Enormis quoque percussio vocatur, si sit valde ignominiosa; ut si quis percuteret Episcopum, Abbatem, Superiorem, Sacerdotem sacris vestibus indutum, vulneraret Clericum in vultu, in oculo. Si Episcopus dubitet, an percussio levis sit, vel gravis, communiter vel benigni Casuistæ asserunt reputandam esse gravem. Episcopus absolvere valet percussorem Clerici, etiamsi percussio sit enormis, quando delictum occultum est. Dicitur autem occultum, ut alias indicavi, quando non est ad forum contentiosum deductum. Heinc etiam absolvere possunt Prælati Mendicantes subditos suos graviter, & enormiter se percutientes, si delictum non sit deductum ad forum contentiosum; immo multi contendunt posse Mendicantes absolvere a gravi percussione occulta Clerici, cum possint absolvere ab iis casibus quos ius Episcopis reservat; licet non ab iis quos Episcopi sibi reservant. Plura alia de absolutione supra explicata sunt.

§. II.

De excommunicatione ob duellum inflicta.

I. DUellum est *pugna deliberata*, ut *Tom. II. in Decal.* fusius explicatum est, *inter duos, vel plures pari numero ex condicto suscepta, tempore & loco determinato, cum periculo aut gravis vulneris, aut mortis*. Vide ibi plura. Est natura sua illicitum, & deinde iure canonico prohibitum sub pœna excommunicationis, aliisque pœnis; ut *sess.* XXIV. *cap.* XIX. Tridentini habetur. Pontifices summi Iulius II. S. Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. constitutiones ediderunt quibus severe duella prohibent, & excommunicationem extendunt ad Reges, Imperatores, quamvis sine patrinis, ac litteris provocantibus commissum duellum fuerit. Anathemate etiam configuntur suadentes, consulentes, provocantes, etsi ad defensionem proprii honoris, etiam pugna non secuta: item comitantes, socii, patrini, spectatores ex industria, non obiter transeuntes, & ex curiositate spectantes, & omnes qui quomodolibet ad illud se intromittunt, etiamsi pugna non fuerit secuta. Tandem excommunicantur Domini locorum, militum Duces, Magistratus, Locumtenentes qui illud permittunt, aut non puniunt. Ci-

vitates, castra, oppida Dominorum qui duellum permittunt expresse vel tacite; subiacent interdicto Ecclesiæ; & qui in duello moriuntur, sepultura ecclesiastica privantur. Licitum duellum asserunt ad bellum finiendum inter duos exercitus: quia tunc est publica pugna per duos aut quatuor peracta. Licitum quoque asserunt illud, quando coacte acceptatur ad defensionem propriæ vitæ, nec ad fugam sine periculo vitæ pateat aditus. Verum hoc non est duellum, sed mera defensio, dum ad fugam nullus pateat exitus. Alexander VII. hanc propositionem damnavit. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

II. Quæst. I. *An recensitæ pœnæ omnes incurrantur ipso facto, ante sententiam iudicis?* Resp. Excommunicatio ipso facto incurritur. Ad incurrendas ceteras pœnas quæ in relatis constitutionibus infliguntur, multi requirunt sententiam iudicis declaratoriam. Principes permittentes duellum inter infideles excommunicationem non incurrunt: quia Tridentinum dicit, *Permittentes monomachiam inter Christianos*: incurrerent vero illam, si duellum inter Christianum & infidelem permitterent. Liberi quoque essent Principes ab hac excommunicatione, si duellum permitterent ad evitandum maius grave malum.

III. Quæst. II. *Quis ab hac excommunicatione absolvere queat?* Resp. Si duellum sit notorium, seu ad forum contentiosum deductum, censura reservata est Romano Pontifici; si vero duellum sit occultum, vel non deductum ad forum contentiosum, ab excommunicatione absolvere Episcopi possunt, ut communiter Auctores docent. Regulares intra Italiam & extra Urbem nequeunt ab hac excommunicatione absolvere ex mandato Clementis VIII. P. Dominicus Viva *quæst.* v. *art.* 4. *num.* 5. docet etiam Regulares posse probabiliter absolvere, si duellum sit occultum.

§ III.

De excommunicationibus in bulla Cœnæ contentis.

I. Viginti excommunicationes latæ sententiæ continentur in bulla Cœnæ, quas ad quinque capita Auctores revocant. 1. ad fidem catholicam. 2. ad Ecclesiam christianam. 3. ad ecclesiasticam Hierarchiam. 4. ad sanctam Sedem. 5. ad Romanum Pontificem. Integram bullam hic non rescribo brevitatis gratia. Illam exhibeo in *Tom. I. Appar.*

II. Primo §. excommunicantur plura personarum genera; nempe hæretici, schismatici, hæreticis credentes, fautores, receptatores, defensores hæreticorum, libros hæresim continentes, vel de religione quomodolibet tractantes scienter legentes, domi retinentes, imprimentes, ac defendentes quocumque colore, vel caussa, publice, vel occulte.

III.

III. Quæst. I. *Quinam dicantur hæretici excommunicati in bulla Cœnæ?* Resp. Hæreticorum nomine in præsentia omnes illi veniunt qui a fide catholica desciscunt, sive per actum hæresis, qua negetur hoc aut illud mysterium, retenta fide utcumque circa alia mysteria, sive per idololatriam, sive per Iudaismum. Discrimen solum est, quod apostasia omnia religionis christianæ, hæresis aliqua tantum mysteria reiicit. Ad excommunicationem autem incurrendam de omnibus his idem iudicium ferendum est ac de hæresi. Hæresis, ut suo loco explicatum est, dicitur error intellectus cum pertinacia contra fidem.

IV. Manifestum est omnibus, hæreticos ab Ecclesia excommunicatos esse, quæ excommunicatio in *bulla Cœnæ* reservata est Romanæ Sedi. Ut autem excommunicatio hæc incurratur, duo, ut iam supra dixi, requiruntur: nempe error in intellectu contra fidem cum pertinacia: deinde quod hic error extrinsecus manifestetur per verba, aut signa, quæ sufficienter mentis conceptum exprimant. Unum sine altero non sufficit ad censuram hanc subeundam: ut si vel error sit dumtaxat internus; vel sit exterior manifestatio hæreticalis absque errore interiore concepto contra fidem. Non requirntur tamen ut error exterius manifestetur coram aliis; sed sat est ut manifestatio sit exterior, quantumvis occultissima, & nemine præsente.

V. Igitur, ut ad propositum quæsitum respondeam, illi dicuntur hæretici excommunicati in bulla Cœnæ qui habent aliquem errorem voluntarium contra veritatem fidei catholicæ cum pertinacia. Ille autem est pertinax, ut alias sæpe dixi, qui cognoscit propriam opinionem, seu errorem adversari doctrinæ Ecclesiæ catholicæ, & non est paratus ad se corrigendum, & deponendum talem errorem. Quinam dicantur hæreticorum fautores, receptores, hæreticis credentes, eorum libros legentes, & retinentes, & alia huc pertinentia vide *Tom. I. in Decal. diss.* 11. *cap.* VI. *& seq.* ubi fuse explicata sunt omnia quæ spectant hunc 1. *§. bullæ Cœnæ*.

VI. Quæst. II. *Quid de aliis censuris in bulla Cœnæ contentis?* Resp. *§.* 2. eiusdem bullæ censura perstringuntur appellantes a definitionibus, & sententiis summi Pontificis ad Concilium generale, omnes cuiuscumque sint conditionis, & quocumque nomine nuncupentur. Collegia vero, universitates, & communitates, quorum nomine appellationes interponuntur, interdicto subiectæ declarantur. Qui vero appellant, aut consulunt, aut auxilium conferunt, excommunicantur.

VII. *§.* 3. Excommunicatione configuntur pyratæ, cursores, & latrunculi maritimi interficientes, vulnerantes, deprædantes Christianos, qui mare ecclesiastico dominio subiectum navigant, præsertim a monte Argentario ad Tarracinam usque: cui censuræ obnoxii sunt consulentes, & auxilium præbentes.

VIII. *§.* 4. Excommunicantur rapientes bona Christianorum naufragantium, si-

Gg iiij ve-

ve in navibus extantia, sive in mare proiecta, sive in litore cuiuscumque maris inventa. Requiritur tamen quod accipiantur iniuste, & scienter, quod sint naufragantium, & animo eadem retinendi, & non restituendi domino. Pyratarum vero bona surripientes non incurrunt excommunicationem. Christianorum nomine non comprehenduntur hæretici.

IX. §. 5. Excommunicationi subiiciuntur qui in propriis terris privilegio carentes imponunt, augentve *pedagia*, *gabellas*, & qui illas exigunt. Pedagium significat tributum impositum ob transitum personarum, vel mercium per aliquem locum: & idem de *guidagio*, quod est tributum impositum ob refectionem, vel custodiam viarum. Gabellæ vero imponuntur pro emptione, venditione, vel translatione mercium. Hæc omnia imponere, & augere valent supremæ Potestates, ut Imperatores, Reges, Respublicæ &c. secus Marchiones, Principes, Comites, Duces, qui carent alto & supremo dominio. Suarez, Molina, Toletus, Navarrus docent, etiam Principes supremos huic excommunicationi esse subiectos, si iniusta tributa imponant, aut sine iusta caussa augeant. Communitates & universitates, quæ sibi ipsis collectas libere imponunt, ut civium necessitatibus subveniant, hanc excommunicationem non incurrunt.

X. §. 6. Excommunicatione plectuntur falsantes litteras apostolicas, sive falsa eas componentes, sive falsas vero sigillo obsignantes, sive immutantes earum characteres, sive punctum, vel comma aliquod.

XI. §. 7. Excommunicantur qui ad Saracenos, Turcas, & alios fidelium hostes, & ad hæreticos nominatim per Sedem apostolicam declaratos, deferunt, aut immittunt in detrimentum Catholicorum arma, & armorum materiam, ferrum stannum, calybem, æs, & omnia metallorum genera. Excommunicantur quoque omnes qui præfatos infideles per se, aut per alios certiores faciunt de rebus christianæ Reipublicæ, aut quomodolibet auxilium præbent in damnum Christianorum. P. Viva excusat ab hac excommunicatione fideles qui talia deferunt tempore pacis Saracenis, non gerentibus bellum contra Christianos. Sed merito hoc interpretamentum reiiciunt Suarez, Sylvester, Filliucius, Salmanticenses, & alii.

XII. §. 8. Excommunicantur qui impediunt, seu invadunt eos qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ adducunt, ac etiam eos qui, ne ad Curiam Romanam adducantur, vel afferantur, prohibent, seu perturbant, seu hoc facientes defendunt &c.

XIII. §. 9. Excommunicantur qui interficiunt, mutilant, vulnerant, spoliant, detinent eos qui Romam petunt, non utcumque, sed ad negotia pertractanda in Romana Curia, non eos qui Romam adirent curiositatis gratia. In secunda eiusdem §. propositione anathemate feriuntur qui prætextu iurisdictionis usurpatæ læderent commorantes in Curia Romana, qui vulgo dicuntur *Curiales*.

XIV.

XIV. §. 10. Excommunicantur omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad Urbem caussa devotionis, seu peregrinationis accedentes, seu in ea commorantes, vel ab ipsa recedentes, vel in his dantes auxilium, consilium, favorem.

XV. §. 11. Excommunicatio infligitur illis qui Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos Sedis apostolicæ, & Nuntios interficiunt, vulnerant, percutiunt, detinent, capiunt, aut hostiliter insectantur. Excommunicantur etiam Principes, Magistratus, & alii qui Episcopos, Legatos, Nuntios a suis diœcesibus, territoriis, terris eiiciunt, & qui iussu Principum eosdem expellunt, & omnes mandantes, ratum habentes, auxilium, consilium, favorem præstantes.

XVI. §. 12. Excommunicantur qui occidunt, percutiunt, bonis spoliant recurrentes ad Sedem apostolicam, seu Romanam Curiam super suis negotiis, atque eorum advocatos, procuratores, actores, auditores, iudices super his causis deputatos.

XVII. §. 13. Excommunicantur appellantes sub privato prætextu ad forum laicale in causis ecclesiasticis, ut impediant executionem litterarum apostolicarum, sive iustitiam, sive gratiam continentium. Excommunicantur Magistratus prohibentes dictas litteras executioni demandari: item illi qui directe, aut indirecte accedentes ad Romanam Curiam pro negotiis prosequendis, aut litteris impetrandis, impediunt, detinentve.

XVIII. §. 14. Excommunicantur qui auctoritate propria, prætextu exemptionis, caussas spirituales, aut spiritualibus annexas, beneficiales, decimales &c. a iudicibus ecclesiasticis ad se advocant: qui earumdem caussarum cursum abrumpunt, qui se interponunt ut iudices talium caussarum. Plura de hoc §. disputant Auctores Bonacina, Castropalaus, & alii: quos legere, si necesse fuerit, quod non credo, poteris.

XIX. §. 15. Excommunicantur qui pertrahunt ad forum laicale personas ecclesiasticas, & qui eas pertrahi faciunt, aut procurant, quovis quæsito colore, & qui statuta, vel decreta condunt contra libertatem ecclesiasticam. Etiam de hoc canone plura disputant citati Auctores, quæ missa facio.

XX. §. 16. Excommunicatione ligantur omnes impedientes Prælatos ecclesiasticos, ne sua iurisdictione utantur; & qui post sententias ecclesiasticas, ad Curias laicales recurrunt, & procurant inhibitiones, atque mandata pœnalia contra iudices ecclesiasticos, ne valeant decernere, exequi &c. Huic excommunicationi obnoxii quoque sunt consilium, & favorem præbentes.

XXI. §. 17. Excommunicatione irretiuntur illi omnes qui iurisdictionem, reditus, fructus, ad Sedem apostolicam, & ad quascumque personas ecclesiasticas attinentes usurpant, aut sequestrant sine legitima facultate.

XXII.

XXII. §. 18. Excommunicantur illi omnes qui potestate laicali cuiuscumque dignitatis decimas, collectas, talia, & alia onera per se, vel per alios directe, vel indirecte Clericis, vel bonis ipsorum imponunt, aut exigunt, vel curant ut talia onera Ecclesiasticis imponantur, aut auxilium, favorem, consilium &c. præbent.

XXIII. §. 19. Excommunicantur omnes sæculares magistratus, iudices, notarii, scribæ, qui se in causis capitalibus interponunt contra personas ecclesiasticas, processus formando, in exilium agendo, capiendo, proferendo sententias contra illas, aut exequendo.

XXIV. §. 20. & ultimo excommunicantur qui invadunt, destruunt, occupant terras Romanæ Ecclesiæ subiectas, quive supremam iurisdictionem exercent, perturbant, retinent, vexant in dictis terris, ut in alma Urbe, in regno Siciliæ, in insulis Sardiniæ, Corsicæ, Ducatus Beneventi &c.

XXV. Paucis perstrinxi omnes excommunicationes in hac celebri bulla contentas, quæ omnes Romanæ Sedi sunt reservatæ. Alicubi tamen, saltem quantum ad omnia, usus huiusce bullæ non obtinet.

CAPUT III.

De suspensione, eiusque effectibus, atque de depositione, & degradatione.

I. QUæst. I. *Quid, & quotuplex sit suspensio?* Resp. Suspensionis nomine in iure canonico intelligitur *cuiusvis officii, & dignitatis usus, & exercitii privatio*; iuxta quam significationem valde amplam Officiales, Priores, Abbatissæ suspenduntur ab officio. Suspensio presse accepta, prout in præsenti, describitur communiter hoc pacto: *Est censura ecclesiastica, per quam Clericus privatur usu officii, aut beneficii*. Appellatur censura, ut distinguatur ab ea prohibitione qua Sacerdos aliquando interdicitur a Confessario, ne celebret, quia indignus &c. Clericus solus positus in definitione, non laicus, subiectus est huic censuræ.

II. Dividitur hæc suspensio in eam quæ solum est ab officio, & in aliam quæ solum est a beneficio, & in eam quæ est ab utroque, quæ in totum seu totalis nuncupari solet. Insuper alia est a iure, alia ab homine, ut est omnis censura. Nomine officii intelligitur omnis potestas spiritualis, sive Ordinis, sive iurisdictionis, sive administrationis ecclesiasticæ. Beneficii vero nomine venit ius perpetuum ad ecclesiasticos proventus, vi spiritualis tituli percipiendos. Dividitur suspensio ex parte temporis in temporalem, & perpetuam. Temporalis est ad mensem, ad annum, ad biennium &c. Perpetua nulla duratione limitatur. Suspensio partialis subdividitur in plures alias partiales. Nam Sacerdos interdum suspenditur a sola

Missæ:

Missæ celebratione, aliquando a munere audiendi confessiones, aliquando simpliciter ab Ordine. Episcopus suspendi potest a collatione aut solius tonsuræ, aut presbyteratus, aut ab Ordine absolute. Similiter in beneficio aliquando quis suspenditur a quotidianis distributionibus, aut a dimidia fructuum parte: & idem fieri in iurisdictione potest.

III. Ad formam suspensionis nulla in iure designata verba sunt; sed illa usurpantur quæ Superioris voluntatem manifestent. Idcirco hæc verba, *Qui hoc fecerit, suspendatur*, significant suspensionem ferendam. Contra, hæc alia, *Suspenditur, maneat ipso facto suspensus*, perhibent suspensionem latæ sententiæ. Communiter in scriptis ferri suspensio debet, & caussa in specie exprimi ob quam fertur. Præcedat etiam monitio oportet, sine qua suspensio est irrita. Heinc quando Superior prohibet subdito verbis ne celebret, non est suspensio proprie dicta, sed mera pœna; secus, si in scriptis suspensionem ferat. Hoc tamen non ita verum est, ut aliquando non possit solo verbo vera suspensionis censura ferri. Nam in aliqua Religione obtinere consuetudo potest ut verbo, & non scripto suspensio feratur. Quare circumstantiæ, & delicti enormitas spectandæ sunt.

IV. Quæst. II. *Quodnam peccatum sit suspensionem violare?* Resp. Absolute peccatum mortale est suspensionem infringere. Heinc qui suspensus a iurisdictione excommunicationem infligit, eligit, dispensat, absolvit &c. peccat letaliter, nisi materiæ parvitas excuset. Suspensus vero ab Ordine, præter peccatum mortale, contrahit irregularitatem. Actus tamen exerciti a suspenso validi sunt, quamquam illiciti, si sint actus Ordinis, & non iurisdictionis: quoniam illi sunt actus consequentes Ordinis characterem, quos irritare Ecclesia nequit. Qui vero suspensus a iurisdictione est, & sit vitandus, tunc actus iurisdictionis irrite exercet: quia suspensio iurisdictionis est illius actualis privatio. Suspensus ab Ordine eo ipso non est a iurisdictione suspensus; ut communis sententia docet.

V. Quæst. III. *An suspensus ab officio sit suspensus a beneficio, aut e contrario?* Resp. Communiter Auctores docent, suspensum a beneficio non esse suspensum ab officio. Quamobrem suspensus a beneficio celebrare, & alia divina officia recitare potest, immo tenetur: quia pœna non eximit ab onere: & quamquam officium sit propter beneficium, in supplicium tamen delicti potest reus privari fructibus beneficii, manente onere inserviendi Ecclesiæ. Disputant vero in utramque partem Auctores, utrum qui absolute suspensus ab officio est, sit eo ipso suspensus a beneficio. Adfirmant plures, præsertim si suspensio sit ob crimen gravissimum in perpetuum, ut cum Parochus homicida suspenditur. Communis tamen, & probabilior sententia defendit, suspensum ab officio, sive a iure, sive ab homine, sive ob crimen gravissimum, non manere propterea suspensum a beneficio, sed posse fructus percipere per se, vel per suum vicarium. Quandoquidem in iure suspensio

ab

ab officio diversa est a suspensione a beneficio. Ergo si iudex suspendere ab utroque velit, ambo exprimere debet. Neque enim leges pœnales extendi ultra proprium sensum debent.

VI. Quæst. IV. *Quinam sunt effectus suspensionis ab officio, a iurisdictione, a beneficio?* Resp. Suspensus ab officio per suspensionem absolutam, & simpliciter latam, manet, ut communiter Auctores docent, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *cap.* v. *punct.* 3. *num.* 23. privatus omni Ordinis usu, & iurisdictionis, & quocumque ministerio quod a solo Clerico exerceri potest. Quamobrem nequit sacramenta administrare, nec celebrare, nec excommunicare, nec absolvere, nec indulgentias impertiri, nec ad confessiones alios adprobare, nec Pontificalia exercere, nec alia peragere ministeria quæ ab Ordine pendent. Quia, inquiunt communiter Auctores, suspensio ab officio absolute & simpliciter prolata totum prohibet. Sed officium Ordinis, & omne id quod eidem annexum est, & officium iurisdictionis, & quidquid illi annexum est, & coniungitur cum illo, nomine officii veniunt, & sunt veluti partes ex quibus totum coalescit. Ergo hoc ipso quod quis absolute & absque ulla limitatione suspenditur ab officio, manet ab exercitio & Ordinis, & iurisdictionis suspensus. Ita docent laudati Salmanticenses cum multis aliis, quos ibidem citant. Certum tamen est, quod si suspendatur ab Ordine tantum, non sit suspensus a iurisdictione; ut in *Suppl. quæst.* xxi. *art.* 3. S. Thomas docet his verbis. *Si enim sit suspensus ab Ordine tantum, tunc non potest ea quæ sunt Ordinis; sed potest ea quæ sunt iurisdictionis; & e contra, si sit suspensus a iurisdictione, & non ab Ordine, non potest ea quæ sunt iurisdictionis, sed potest ea quæ sunt Ordinis, si autem ab utroque, tunc neutrum potest.* Omnia vero ministeria quæ a Clerico non pendent, exercere valet, etiamsi absolute suspensus sit.

VII. Suspensio a iurisdictione absolute lata privat omni usu spiritualis iurisdictionis, & actu Ordinis, qui exerceri absque iurisdictione nequit; ut collatio Ordinis, & absolutio sacramentalis. Potest vero sic suspensus celebrare, ministrare sacramenta alia, nisi tamen ea ex officio administret ut Parochus: quia tunc actum iurisdictionis exerceret, qua privatus est. Si suspensio sit a determinata parte iurisdictionis, non privat altera parte; ut si Parochus sit suspensus ab excipiendis confessionibus, potest celebrare, & alia sacramenta ministrare: quia, ut aiunt, limitata caussa limitatum producit effectum, & exceptio unius firmat regulam in contrarium. E contrario, cui prohibitus est actus, prohibentur etiam ea sine quibus exerceri actus nequit.

VIII. Suspensio Ordinis absolute, & simpliciter lata privat omni actu cuiuscumque Ordinis tam maioris, quam minoris: quia propositio indefinita in materia morali æquivalet universali. Similiter qui suspensus simpliciter est a collatione Ordinum, nullum Ordinem conferre potest. Utrum vero suspensus ab Ordine inferio-

ri

ri suspensus a superiore Ordine sit, diffident Theologi : plures affirmant, & plures negant. Sed decisio hæc pendet ab examine ipsius formulæ suspensionis. Qui suspensus a beneficio est, beneficio non privatur, quod iure possidet, sed privatur perceptione omnium proventuum: & inter fructus beneficii eiusdem administratio computatur. Quare suspenso a beneficio œconomus assignandus est. Qui plura beneficia possidet, & crimen perpetret, cui annexa sit suspensio absolute, & simpliciter talis, manet ne omnium beneficiorum fructibus privatus? Variæ sunt Auctorum opiniones. Verum disputationes istæ superfluæ mihi videntur, cum vera resolutio pendeat a sententia Superioris, qui aut omnium beneficiorum, aut alicuius tantum fructibus, privare potest; sicut uno, & non altero, aut omnibus simul beneficiis privare Beneficiarium valet.

IX. Quæst. V. *Quam ob caussam ferri suspensio potest?* Resp. Quæ supra dixi de caussis ob quas ferri censuræ generatim possunt, inserviunt etiam pro ferenda suspensione. Quare suspensio ferri nequit pro peccato veniali, omnibus circumstantiis spectatis tali : quia gravis pœna infligi ob levem culpam nequit. Suspensio tamen pœnalis levis, ut suspensio partialis ad lucrandas una aut altera vice distributiones, potest, ut multi docent, pro veniali culpa infligi : quia tunc culpæ levi respondet pœna levis.

X. Quæst. VI. *Quis ferre suspensionem valet?* Resp. Omnes illi qui possunt excommunicare, possunt suspendere; & e contrario qui possunt suspendere, valent excommunicare. Vide ergo quæ dixi supra de illis qui possunt censuras ferre.

XI. Quæst. VII. *Quinam sunt censuræ suspensionis obnoxii?* Resp. Soli Clerici, aut prima saltem tonsura insigniti suspensioni obnoxii sunt. Censuræ quæ feruntur in iure generaliter contra Clericos, non comprehendunt, ut communiter Auctores docent, Cardinales, & Episcopos; includunt vero tam sæculares, quam regulares, prima saltem tonsura insignitos; nisi peculiariter ad solos sæculares Clericos restringantur.

XII. Quæst. VIII. *An suspensio ferri in communitatem valeat?* Resp. Sententia affirmans communis est. Suspensio enim privat ministeriis, & officiis, quæ attinent ad bonum commune, quæque exerceri a communitate valent. Ergo suspendi directe communitas valet, & indirecte eiusdem membra, usquedum partes talis communitatis remanent. Non afficit tamen distributive singulas personas quantum ad eorum particularia ministeria, sed solum secundum quod unum corpus constituunt, & secundum officia, & ministeria illis communia. Quando vero fertur in communitatem, & singulas personas ob culpam particularem membrorum, non comprehendit innocentes, sed illos tantum qui sunt criminis rei.

XIII. Quæst. IX. *An suspensio ferri pro culpa aliena possit?* Resp. Plures negant aliquem suspendi posse propter culpam alienam : quia nemo puniri iure valet ob alte-

alterius delictum. Alii distinguunt. Si suspensio feratur pro culpa certæ & determinatæ personæ, nequit infligi innocenti, talis culpæ experti. Si vero feratur ob delictum quod communitatem afficit, tunc suspendi, sicut & interdici, etiam innocentes possunt: quia suspensio non privat bonis spiritualibus, sicut excommunicatio, sed functionibus per se ad bonum commune pertinentibus. Quare sicut interdictum, quod ob delictum principalium communitatis Rectorum imponitur, singulos communitatis afficit, sic suspensio ob eamdem caussam imposita omnes communitatis suspensæ personas includit, usquedum membra talis communitatis extant. Advertunt tamen huiusce sententiæ Auctores, hanc respectu singulorum communitatis non esse censuram in rigore acceptam, cuius violatio pariat irregularitatem, sed esse quamdam inhabilitatem ad exercendos actus a quibus suspenduntur.

XIV. Quæst. X. *Quomodo suspensio impediri possit*? Resp. Impediri suspensio potest per legitimam appellationem, congruo tempore interpositam; ut supra de appellatione a censuris dictum est. Debet tamen appellatio ipsam suspensionem præcedere, ut eam impediat, si sit suspensio ab officio, & ingressu Ecclesiæ; ut habetur cap. *Is qui* xx. de sent. excom. in VI. Quæcumque vero alia suspensio per subsequentem appellationem impeditur.

XV. Quæst. XI. *Quis absolvere a suspensione possit*? Resp. A suspensione lata ab homine contra aliquem nominatim solus absolvere potest qui illam tulit, vel eius successor, vel superior; ut dictum est supra de absolutione a censuris in communi. Si sit lata a iure, & non reservata, absolvere Ordinarius suspensi valet, aut eius Vicarius. Posse quoque Episcopum absolvere subditos suos a suspensione reservata Papæ, si proveniat ex delicto occulto, & non sit ad forum contentiosum deducta, adfirmant plures, atque adeo etiam Mendicantes privilegiatos.

XVI. Quando suspensio est lata ad tempus derminatum, puta ad mensem, cum sit pura pœna vindicativa, elapso tempore cessat sine absolutione: & idem Auctores dicunt de suspensione lata, *donec satisfacta pars fuerit*: qua satisfacta, sine nova absolutione cessat suspensio: secus dicunt de excommunicatione.

XVII. Quæst. XII. *Quid significent depositio, & degradatio?* Resp. Sæpe pro eodem accipitur depositio, & degradatio; unam tamen ab altera Auctores distinguunt, & depositionem simplicem his describere verbis solent: *Est pœna privans Clericum officio, & beneficio in perpetuum iure ordinario irremissibiliter*. Degradationem dividunt in verbalem, & realem. Illa est *pœna ecclesiastica qua Clericus in perpetuum privatur omni officio, ac beneficio clericali, retento solo privilegio canonis, & fori*. Realis vero degradatio tunc dicitur, *quando Clericus primo verbaliter degradatus, certa solemnitate expoliatur omnibus vestibus, ac insigniis clericalibus, omnique privilegio clericali*. Hanc degradationem realem appellant executionem degradationis verbalis; unam tamen distinguunt ab altera. Nam degradatio ver-

balis

balis, seu depositio non privat privilegio canonis & fori; sicut per degradationem realem eodem privilegio spoliatur Clericus, & transit sub potestatem brachii saecularis. Obstringitur tamen Clericus, sive verbali, sive reali degradatione confixus, recitare horas canonicas, si erat in sacris constitutus; nec matrimonium sive licite, sive valide contrahere potest.

XVIII. Degradatio verbalis olim fiebat ob adulterium, furtum, homicidium, & alia graviora crimina. Iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam atrociora dumtaxat crimina degradatione plectuntur, ut homicidium voluntarium, stuprum, adulterium, quae iure civili capitali supplicio plectenda sunt. Crimina in iure canonico expressa, ob quae degradatione reali Clericus puniri debeat, sunt haeresis, falsificatio Litterarum apostolicarum, sodomia, conspiratio in proprium Episcopum, accedente incorrigibilitate. Plura dici possent de solemnitate, in degradatione reali servanda, & de dispensatione ab eadem degradatione. Verum ad institutum meum haec nihil attinent.

CAPUT IV.

De interdicto, & cessatione a divinis.

I. QUaest. I. *Quid, & quotuplex sit interdictum?* Resp. Interdictum est *censura ecclesiastica, qua prohibentur omnia divina officia, & nonnullorum sacramentorum administratio, & ecclesiastica sepultura*. Dividitur primo in locale, & personale: illud locum, istud personas afficit. Mixtum vero dicitur, quando locus simul & incolae interdicuntur. Interdictum tum locale, tum personale rursus dividitur in generale, & speciale. Illud est, quando interdicitur regnum, aut provincia, aut dioecesis, aut civitas, oppidum, aut villa. Interdictum generale personale est, quando fertur in corpus politicum propriis legibus moderatum, & simul indirecte in omnes personas constantes talem communitatem. Utrum vero interdictum latum in familiam Magnatis, sit generale personale, an secus, diffident Auctores. Sed dissidium hoc leve est. Interdictum personale speciale est quod in personas determinatas, ut in Iacobum, Andream, Antonium &c. fertur. Quando tamen fertur a iure, vel ab homine in quoscumque qui tale delictum commiserint, non requirit ut eorum nomina manifestentur; quemadmodum notum est. Hoc interdictum personale speciale dividunt in *totale*, quod omnes effectus interdicti continet; & in *partiale*, quod aliquos dumtaxat comprehendit. Interdictum locale non semper includit interdictum personale, nec vicissim. Quamobrem ob interdictum populi, non censentur interdictae Ecclesiae, aut parochiae illius: quia in iure haec interdicta sunt diversae speciei.

II. Quaest. II. *Quinam tenentur observare interdictum locale?* Resp. Omnes incolae tam laici, quam ecclesiastici, etiam Regulares: quia interdictum est in tali loco divi-

divina officia celebrare. Quare Prælatus ipse (excepto summo Pontifice) qui interdictum locale fert, eiusdem observationi obnoxius est. Quando autem civitas interdicta est per interdictum generale locale, omnes Ecclesiæ eiusdem civitatis, etiam Regularium, subiectæ interdicto sunt, & omnes personæ quæ sunt eiusdem civitatis membra. Et quamquam plures sint innocentes, tamen interdicto obnoxii sunt, non ut innocentes, sed ut partes dictæ civitatis. Excipiuntur tamen Episcopi, qui sub generali interdicto non comprehenduntur, nisi illorum fiat mentio expressa. Infantes quoque, & amentes exempti iudicantur. Istorum tamen cadavera sepulturæ ecclesiasticæ tradi nequeunt: quia Clerici, qui eadem sepelire deberent, interdicti sunt. Innocentes, si alio abeant, ubi non est interdictum, ibique figant domicilium, liberi ab interdicto evadunt. Similiter peregrinos exterosque ab interdicto liberant Auctores plures, etiamsi per multum tempus in civitate interdicta commorentur: quia licet ad leges civitatis teneantur, non tamen ad illas quæ afficiunt personas singulares, quatenus sunt partes talis populi; ut reipsa afficit interdictum generale personale. Interdicto vero populo non est interdictus Clerus, nec interdicto Clero est interdictus populus. Quoniam nomine Cleri non venit populus, nec nomine populi intelligitur Clerus. Interdicto Clero alicuius civitatis, omnes eiusdem Clerici, qui privilegio fori & canonis fruuntur, interdicti sunt. Sacerdotes vero qui domicilium haberent in tali civitate, sed non beneficium, nec officium, non essent interdicti: quia non constituunt unum corpus, seu non sunt membra talis Cleri.

III. Quæst. III. *Quisnam ferre interdictum valet?* Resp. Qui habent potestatem ferendi censuras, valent quoque interdictum ferre: de illis autem qui ferre censuras valent, dictum est supra. Prælati Religionum, quamvis ferre interdictum personale possint, non tamen locale, quo suas Ecclesias interdicant, nisi haberent in plebem iurisdictionem.

IV. Quæst. IV. *Quam ob caussam ferri interdictum valet?* Resp. Requiritur culpa, ut dictum est supra de censuris in communi. Interdictum generale locale & personale potest ferri ob culpam etiam alienam, communitatis, vel Rectorum eiusdem, sub quo comprehenduntur etiam innocentes, ut alias dictum est. Interdictum generale personale, vel locale, sive generale, sive speciale sit, nequit ferri ob culpam alicuius particularis, sed imponi solum potest ob culpam vel communitatis, vel Rectoris, aut Principis, vel Prælati. Interdictum vero personale speciale infligi ob culpam alienam etiam capitis nequit; sed solum ob delictum illius personæ quæ interdicto plectitur. Fervet controversia inter Auctores, num infligi interdictum personale speciale queat ob culpam venialem. Alii adfirmant de interdicto lato a iure; alii negant. Omnes tamen conveniunt, interdictum latum ab homine requirere culpam mortalem.

V.

V. Maior difficultas eſt, utrum ferri interdictum licite & valide poſſit ob damnum aliquod temporale, ut ob culpam communitatis, aut eiuſdem Rectoeris in non ſolvendo ære alieno. Communis opinio eſt, interdictum, ſive locale generale, ſive generale perſonale, imponi non poſſe ob debitum pecuniarium, immo neque interdictum locale ſpeciale; bene vero interdictum ſpeciale perſonale ob dictam cauſſam imponi poſſe aiunt.

VI. Quæſt. V. *Quinam ſunt interdicti effectus?* Reſp. Tres ſunt effectus Interdicti. 1. prohibitio celebrationis, & auditionis divinorum officiorum. 2. privatio aliquorum ſacramentorum. 3. privatio ſepulturæ eccleſiaſticæ.

VII. Nomine divinorum officiorum intelliguntur Miſſæ, horæ canonicæ, & aliæ preces ſolemniter celebratæ, benedictiones nuptiarum, aquæ, olei, chriſmatis &c. omnis functio ab Eccleſia in cultum Dei ordinata. Hæc omnia prohibentur in loco communi, vel in loco ad id ſpecialiter deputato; ſecus privatim, & in loco non deputato ad divina officia celebranda. Similiter conciones habere licitum eſt. Immo ex iure novo Bonifacii VIII. in cap. *Alma mater* de ſent. excom. in VI. omnes Clerici, & Regulares tempore interdicti generalis localis poſſunt quotidie Miſſas celebrare, divina officia peragere in quibuſcumque Eccleſiis, & Monaſteriis, quatuor adiectis conditionibus. 1. Ut *voce ſubmiſſa*, ideſt ſine cantu. 2. *Ianuis clauſis*, ita tamen ut volentibus egredi exitus pateat. Quare oſtiarius collocandus erit, qui prohibeat interdictos ingredi, & privilegiatos exire permittat. 3. Non *pulſatis campanis*, quia populus interdictus non vocandus, ſed arcendus eſt ab Eccleſia. 4. *Excluſis interdictis, & excommunicatis*. In quatuor tamen feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B.Mariæ Virginis poſſunt divina officia ſolemniter celebrari, ianuis apertis, alta voce, pulſatis campanis. Interdicti tamen altari appropinquare non debent, qui cauſſam interdicto dedere. Quod privilegium extendit Martinus V. ad feſtum Corporis Chriſti, & Eugenius IV. ad eiuſdem octavam. Regulares fruuntur privilegio conceſſo ab Eugenio IV. ut plures referunt, admittendi ad divina officia famulos, procuratores Monaſterii, & operarios.

VIII. Quæſt. VI. *Quænam ſacramenta prohibentur miniſtrari tempore interdicti?* Reſp. Prohibetur adminiſtratio activa, & receptio paſſiva quorumdam ſacramentorum. Excipitur tamen baptiſmus, qui adminiſtrari poteſt conſueto Eccleſiæ ritu, excluſis tamen perſonis interdictis, quæ, niſi in caſu neceſſitatis, baptizare non poſſunt. Sacramentum quoque confirmationis adminiſtrari valet, & confici chriſma etiam in loco interdicto. Neque ſacramentum matrimonii cadit ſub hac prohibitione iuxta permultos, ſed celebrari poteſt a perſona etiam ſpecialiter, nedum generaliter interdicta. Sacramentum pœnitentiæ conferri poteſt omnibus, etiam ſanis, exceptis excommunicatis, & illis qui cauſſam interdicto dederunt, atque

iis qui præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem ad patrandum delictum ob quod interdictum latum est.

IX. Tempore interdicti neque Eucharistia, neque Ordo, neque extrema unctio administrari valent. In mortis tamen articulo deferri Eucharistia ad infirmos etiam personaliter interdictos potest. An vero Clerici qui celebrare tempore interdicti non valent, possint more laicorum recipere Eucharistiam, multi negant, & plures adfirmant. In hoc consulendus Superior est. Extremam quoque unctionem administrari infirmis qui nequeunt alia recipere sacramenta, posse, adfirmant plures.

X. Quæst. VII. *Quibus prohibetur tempore interdicti ecclesiastica sepultura?* Resp. Omne interdictum, sive locale, sive personale, privat omnes ecclesiastica sepultura. Si tamen interdictum locale sit, personæ quæ non dederunt caussam interdicto, nec sunt nominatim denuntiatæ, sepeliri in loco sacro non interdicto valent. In loco vero sacro interdicto neque amentes, neque infantes sepeliri licite possunt: quoniam impedimentum est ex parte loci, licet non ex parte cadaverum. Controversia est inter Auctores, num in festis solemnibus, in quibus ex privilegio, *Alma mater*, suspenditur interdictum, possint laici his diebus morientes sepeliri in loco sacro. Adfirmant plures; sed sententia negans probabilior est.

XI. Quæst. VIII. *Quodnam peccatum perpetrent, & quas pœnas incurrant violantes interdictum?* Resp. Peccant mortaliter, quia violant præceptum Ecclesiæ in re gravi. Clerici vero interdicti exercentes actum proprium Ordinis ultra peccatum mortale, fiunt irregulares. Domini temporales qui cogerent Clericos ad publice celebranda divina officia in loco interdicto, nisi iusta caussa interveniret, incurrerent excommunicationem reservatam summo Pontifici. Hanc censuram quoque contraherent interdicti, qui admoniti non exirent ab Ecclesia. Item Religiosi, etiam exempti, interdictum violantes contrahunt ipso facto excommunicationem maiorem, quando interdictum servatur in Ecclesia matrice, vel in parochiali loco in quo ipsi habitant; ut habetur in *Clem.* 1. *de sent. excom.* Qui interdictos sepeliunt scienter in loco sacro extra casus exceptos, incurrunt excommunicationem Episcopo reservatam.

XII. Quæst. IX. *Quid intelligitur per interdictum ab ingressu Ecclesiæ?* Resp. Intelligitur privatio exercitii Ordinis sacri, & sepulturæ in ipsa, eiusque cœmeterio, & privatio audiendi divina officia in Ecclesia. Aliqui tamen contendunt, non esse prohibitam receptionem sacramentorum in Ecclesia. Verum si prohibitus est Ecclesiæ ingressus, multo magis videtur vetita sacramentorum receptio. Ceterum, ad hoc quod attinet, consulendus Episcopus est.

XIII. Quæst. X. *Quis ab interdicto absolvere potest?* Resp. Notandum est, interdictum latum ad tempus, aut sub conditione, cessare elapso tempore, vel conditione impleta, sine absolutione; secus interdictum absolute latum. Quando interdi-

dictum latum a iure est, potest Pontifex summus suspendere effectus interdicti, quin illud tollat. Interdictum ad tempus auferre potest qui illud tulit. Quando interdictum est locale, etiamsi locus, puta Ecclesia, dispensetur, non propterea cessat interdictum; idcirco in tali fundo non possunt cadavera sepeliri. Latum vero interdictum contra communitatem, si hæc dissolvatur, cessat respectu innocentum. Ab interdicto autem locali, aut generali personali, lato a iure, & non reservato, absolvere Episcopus potest: quia hoc ipso quod non sit reservatum, relinquitur illius potestati. Si interdictum latum sit ab homine, ille qui tulit, potest ab eodem absolvere, non vero aliquis inferior; ut dictum est de absolutione a censuris in communi. Quare Episcopus nequit absolvere ab interdicto lato a summo Pontifice. Plures docent ab interdicto personali particulari non reservato posse absolvere quemlibet Confessarium approbatum.

XIV. Quæst. XI. *Quid sit cessatio a divinis, & quinam illius effectus?* Resp. Est prohibitio imposita Clericis, ut sub pœna peccati mortalis cessent a celebratione divinorum officiorum, & ab administratione sacramentorum, excepto necessitatis casu, abstineant. Non est tamen censura, nec pœna; sed mera prohibitio facta ab Ecclesia ob gravissimum mœrorem, conceptum ex gravi aliqua iniuria contra divinum cultum, aut Ecclesiam ipsam. Quare hæc non fit nisi propter gravissimum delictum publicum contra commune bonum Ecclesiæ, aut adversus eius communitatem, contumacia accedente. Sequentes conditiones concurrere debent, ut iuste fiat. 1. ut in prohibente sit legitima potestas. 2. ut caussa sit evidens, & gravis, & proportionata. 3. ut evidenter constet caussam esse datam. 4. Hæc caussa exprimi iuridice debet. 5. Intimari parti debet. 6. Pars roganda est, an velit satisfacere. 7. ut maior pars Capituli iudicet cessationem esse inducendam. 8. ut, posita cessatione, utraque pars coram Pontifice caussam cessationis disceptet. 9. ut, quando Capitula congregantur pro ferenda cessatione, omnes vocentur qui habent vocem. Hæ conditiones colliguntur ex cap. *Si Canonici* II. & ex cap. *Quamvis* VIII. *de officio Ordinarii* in VI. Si vero non Capitula, sed Prælatus indicat cessationem a divinis, præfatæ conditiones omnes non requiruntur, sed tantum sex priores. Solum qui habent episcopalem, aut illi similem iurisdictionem, ferre hanc cessationem valent, seu qui ferre possunt interdictum. Similiter tollere illam valent qui eam ferre possunt, aut illorum vel successores, vel superiores; ut dictum est de liberatione a censuris.

CAPUT V.

De irregularitate in communi.

I. QUæst. I. *Quid sit irregularitas?* Resp. Est *impedimentum canonicum, quo vir baptizatus primo & directe interdicitur a susceptione Ordinum, & secundario ab eorum usu.* Vocatur *impedimentum*, & non pœna, ut distinguatur a censura, quæ culpam supponit. *Canonicum* significat irregularitatem non a iure vel naturali, vel divino, sed a solo iure ecclesiastico latam esse: atque adeo nulla irregularitas est ab homine, sed omnis a iure. Quare ignorantia, & peccatum mortale, quæ iure naturali impediunt susceptionem & usum Ordinum, non inducunt irregularitatem proprie dictam, quæ per dispensationem aufertur. *Vir baptizatus* significat neque mulierem, neque infidelem subiacere irregularitati. Ultimæ particulæ distinguunt irregularitatem a ceteris aliis censuris. Nam per excommunicationem directe & primario fideles privantur communicatione aliorum fidelium, per interdictum divinis officiis, per suspensionem functionibus Ordinis; per irregularitatem vero Ecclesia primario & directe cavet ne fidelis consecretur minister, & secundario ne in susceptis Ordinibus ministret. Per accidens autem est quod irregularitas, quam Sacerdos contrahit, impediat solum ne susceptos Ordines exerceat. Iuxta communiorem, & probabiliorem opinionem irregularitas impedit quoque tonsuræ susceptionem.

II. Quæst. II. *Quinam sunt irregularitatis effectus?* Resp. Tres sunt irregularitatis effectus. 1. Impedit Ordinum, & primæ tonsuræ susceptionem. 2. Privat Ordinum omnium usu, si sit totalis; quorumdam vero, si sit partialis. 3. Inhabilem reddit ad quodlibet beneficium recipiendum, si sit totalis: nam si sit partialis, plures contendunt per eam non impediri receptionem beneficii, cuius munia obire irregularis potest; ut docet Suarez *disp.* xl. *sec.* 2. *num.* 40. Nomine autem beneficii veniunt etiam dignitates ecclesiasticæ. Irregularitas tamen quæ supervenit beneficio iam obtento, non inducit eiusdem privationem, sed solum privari per sententiam iudicis tali beneficio possunt qui illud possident. Irregularitas quæ beneficii adeptionem præcedit, inhabilem efficit ad exercitium iurisdictionis ordinariæ tali beneficio annexæ: quia hæc iurisdictio fundatur in beneficio, ad quod inhabilis est irregularis. Iurisdictionis vero delegatæ, quæ beneficio non est annexa, capacem illum esse plures docent. Irregularitas autem quæ supervenit beneficio obtento, sicut non privat beneficio, sic non privat iurisdictione ordinaria, quæ sine usu Ordinis exerceri valet. Ideo non potest irregularis Beneficiarius ministrare sacramenta pœnitentiæ, benedicere nuptias; at potest Parochus irregularis, usque-

usquedum non privatur beneficio, delegare ad sacramenta suis parochianis administranda.

III. Gravis controversia est inter Auctores, num collatio beneficii facta irregulari non modo sit illicita, sed etiam irrita & nulla. Plures defendunt esse quidem illicitam, sed simul validam. Permulti contra negant esse validam; & hæc opinio tutior, & etiam probabilior videtur: non interest eam discutere, cum ad forum pertineat. Tridentinum *sess.* XXII. *cap.* IV. *de ref.* hæc statuit. *Nec aliis in posterum fiat provisio nisi iis qui iam ætatem, & ceteras habilitates integre habere dignoscantur: aliter irrita sit provisio.* Irregularis inhabilis est ad beneficium: ergo irrita est collatio beneficii illi facta. Nec est quod reponas, Concilium loqui de inhabilitate proficiscente ex iure naturali, & divino, secus de inhabilitate proveniente ex irregularitate: quia gratis hoc, & absque fundamento asseritur.

IV. Quæst. III. *Quotuplex sit irregularitas?* Resp. Duo sunt irregularitatum genera: alterum ex defectu, ex delicto alterum. Irregularitates ex defectu novem numerantur. 1. ex defectu animæ. 2. ex defectu corporis. 3. ex defectu natalium. 4. ex defectu ætatis. 5. ex defectu libertatis. 6. ex defectu obligationis. 7. ex defectu sacramenti. 8. ex defectu bonæ famæ. 9. ex defectu lenitatis.

V. Irregularitas ex delicto octuplex est. 1. ex homicidio voluntario iniusto. 2. ex iniusta, & voluntaria mutilatione. 3. ex homicidio, aut mutilatione casuali. 4. ex repetitione, seu iteratione baptismi. 5. ex violatione censurarum. 6. ex indigna receptione, vel administratione Ordinum. 7. ex apostasia a fide, vel hæresi externa. 8. ex delicto cui annexa est infamia.

VI. Dividitur etiam irregularitas in totalem & partialem. Totalis privat omni Ordine suscipiendo, & exercitio Ordinis suscepti; ut est illa quæ contrahitur ex homicidio. Partialis privat aliquo tantum Ordinis exercitio; ut si Sacerdoti pollex præcidatur, is non potest sacrificare, potest tamen confessiones audire. Et si Diacono præcidatur pollex, inhabilis est ad Sacerdotium, non tamen ad Diaconi officium.

VII. Delictum ob quod irregularitas contrahitur, debet esse peccatum mortale, Pœna enim gravissima, qualis est irregularitas, contrahi non potest nisi ob gravem culpam, & quidem exteriorem: interior quippe non sufficit. Quare si quis voluntatem habeat occidendi, aliaque crimina committendi, si eam non exequatur, irregularitatem non incurrit. In controversiam solum adducitur, num propter delictum omnino occultum contrahi irregularitas possit. Et primo ob homicidium occultum contrahi irregularitatem, certum est ex Tridentino *sess.* XXIV. *cap.* VI. ubi facultas Episcopis conceditur dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto contractis, illa excepta quæ ex homicidio incurritur. Ubi advertunt Auctores, hoc intelligendum esse de delictis quæ uni, vel alteri sunt nota, quæque in

iudicio probari valeant, non tamen probata sunt, vel deducta ad forum contentiosum. Hæc enim occulta per accidens sunt, inquiunt. Disputant ergo de delictis penitus occultis, quæ nullo modo probari possunt: puta, si quis excommunicatus celebret, nemine sciente, num iste incurrat irregularitatem in foro conscientiæ, cum in foro exteriori non sit irregularis. Distinguunt duo genera delictorum, quibus annexa est irregularitas. Alia enim sunt delicta quibus irregularitas per accidens adiuncta est, ratione nempe enormitatis, notorietatis, infamiæ: quæ si fuerint occulta, non inducunt irregularitatem. Alia sunt delicta, quibus per se irregularitas annexa est; ut iteratio baptismi, violatio censuræ per exercitium sacris Ordinis. De his disputant, an si penitus occulta sint, pariant irregularitatem. Negant plures, gravesque Auctores. Verum sententia affirmans, communior, & probabilior est, quæ colligitur ex Tridentino *loc. cit.*

VIII. Quæst. IV. *Quænam excusare possunt ab incurrenda irregularitate ex delicto?* Resp. Ea omnia quæ excusant a peccato mortali, ut ignorantia, inadvertentia, inconsideratio, metus gravis, materiæ parvitas &c. excusant etiam ab irregularitate ex delicto. Utrum autem dubium excuset ab irregularitate, diffident Theologi. Duplex dubium iuris, & facti. Illud est, quando lex canonica ita obscura est, ut de ea dubitent peritiores. Istud est, quando quis dubitat, num posuerit talem actionem. Plures docent in dubio sive iuris, sive facti, neminem se debere reputare irregularem in foro conscientiæ. Alii idem docent in dubio iuris; sed quantum ad dubium facti diffident. Salmanticenses *num.* 45. cum aliis defendunt in dubio facti in materia de homicidio quemlibet debere reputari ut irregularem: ut si dubitaret, an sua actione hominem occidisset; an consilio, vel mandato auxilium præbuerit &c. Secus vero in dubiis de quocumque alio facto præter homicidium. Hanc secundam opinionis partem falsam reputo. Nam cap. *ad Audientiam*, tit. *de homicidio* hæc habentur. *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit iniungere Presbytero memorato ut in sacris Ordinibus non ministret*: ubi Innocentius III. hæc adiicit. *Quod si discerni non possit, an ex ictu interierit, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos, & si forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet; cum in hoc casu cessare sit tutius quam temere celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur.*

IX. In utroque canone sermo habetur de dubio in materia homicidii, qui dubium propositum reipsa homicidam spectabat. Verum ratio qua Pontifex utitur, generalis est. *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* Nulla hic distinctio dubii, sive facti, sive iuris, sive in materia homicidii, sive in quacumque alia materia; sed regula indefinita, atque adeo generalis statuitur, tamquam extra controversiam posita, quod in dubiis *semitam debeamus eligere tutiorem*. Ergo quoties

ties dubium probabile eſt, utrimque ſolidis rationibus nixum (ſi enim leve eſt, ut merus ſcrupulus contemni debet) ſive iuris ſit, ſive facti, in quacumque materia ſemitam eligere debemus tutiorem.

X. Quæſt. V. *An irregularitas ex delicto tollatur per baptiſmum, profeſſionem religioſam, & per diſpenſationem?* Reſp. Irregularitas ex defectu aufertur per ceſſationem cauſſæ, ut infra dicemus. Irregularitas vero ex delicto primo ceſſat per baptiſmum: quamvis enim ante baptiſmum, ut ſupra dictum eſt, nulla irregularitas proprie dicta contrahatur; tamen quia remanere fundamentum poteſt, ut, ſuſcepto baptiſmo, irregularitas conſurgat, ideo dicitur omnem irregularitatem per baptiſmum deleri: quia delictum patratum ſit oportet poſt baptiſmum, ut irregularitas contrahatur.

XI. Irregularitatem quoque ceſſare per profeſſionem religioſam adfirmat communis ſententia, quamvis alii doceant profeſſionem religioſam non ſeipſa tollere irregularitatem, ſed fundamentum præbere, ut per diſpenſationem auferatur. Porro Prælatos habere privilegia relaxandi omnes irregularitates, conceſſa a Martino V. a Paulo III. a Sixto IV. teſtantur Salmanticenſes *num.* 59. ex relatione plurium Auctorum. Vera ne ſint hæc privilegia, penitus ignoro: nec his Auctoribus fidem adhibeo, quia nullum documentum promunt.

XII. Ultimus modus auferendi irregularitatem eſt diſpenſatio, qua omnes irregularitates tollere ſummus Pontifex poteſt, iuſta exiſtente cauſſa. Qui pluribus irregularitatibus diverſæ rationis irretitus eſt, omnes exprimere tenetur. Si ſint plures eiuſdem rationis, ut ſi quis pluries excommunicatus miniſtraverit, non tenetur ſingulas numerare iuxta Suarez, Salmanticenſes, & alios; ſed ſat eſt ut ſignificet pluries ſe has irregularitates contraxiſſe.

XIII. Præter ſummum Pontificem Epiſcopi poſſunt, ut iam indicavi, ex Concilii Tridentini conceſſione, diſpenſare ſubditos ſuos ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, & quæ non ſunt ad forum contentioſum deductæ, excepta irregularitate ex homicidio. Prælati quoque regulares ex conceſſione S. Pii V. cuius verba ſupra dedi, & cuius bullam, quæ eſt 13. authenticam, & non revocatam dixi, poſſunt in irregularitatibus cum ſuis ſubditis, non ſecus ac Epiſcopi, diſpenſare. Immo hanc facultatem ad omnes Confeſſarios regulares extendunt plures, ita ut iſti valeant diſpenſare cum ſæcularibus in irregularitatibus, quemadmodum Epiſcopi: & allegant *bullam* 9. Sixti IV. quam confirmaſſe aiunt Iulium III. Sed videndum, an revera data ſit hæc facultas in præfata bulla.

CAPUT VI.

De irregularitatibus ex delicto.

I. QUæst. I. *Quid requiritur ut quis contrahat irregularitatem ex homicidio iniusto, & directe voluntario?* Resp. Homicidium directe voluntarium dicitur quod committitur per directam voluntatem occidendi, vel quando caussa directe intenditur, unde necessario mors sequatur; ut si vulnus mortiferum infligatur, si venenum propinetur, si remedium efficax ad abortum porrigatur. Qui caussas deliberate ponit, voluntarius homicida dicitur. Heinc sequitur, eum qui occidit invasorem, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, non incurrere irregularitatem homicidii directe voluntarii, sed casualis: & idem dicendum de illo qui leviter vulnerare vellet, & graviter vulnerat præter intentionem, aut mandaret servo ut leviter læderet, & is graviter vulneraret; quamvis incurreret irregularitatem homicidii casualis indirecte voliti. Requiritur vero ut mors sequatur, ut dicta irregularitas contrahatur. Quare si quis letaliter vulneraret, propinaret venenum mortale, & mors non sequeretur, irregularitatem non contraheret; sicut nec mandans, nec consulens &c. Addunt Salmanticenses *cap.* VIII. *num.* 4. eum quem post letale vulnus, aut veneni mortiferi propinationem, delicti pœniteret, non incurrere irregularitatem in foro conscientiæ. Sed hanc opinionem supra reieci ut improbabilem.

II. Quæst. II. *Qui subito & inopinate in repentina rixa occidit hominem, incurrit ne irregularitatem hanc ex delicto, summo Pontifici reservatam?* Resp. Negant Rodriguez, Avila, Perez, Antonius a Spiritu sancto, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 6. Sed probabilior opinio adfirmat, quia in ipsa repentina ira potest quis voluntarie, & libere velle homicidium. Hanc vero irregularitatem ex homicidio voluntario incurrunt præter executores, mandantes, consulentes, consentientes, & cooperantes. Si mandatarius initio repudiaverit mandatum, aut consilium, ipso mandante, vel consulente conscio, & postea illud resumat, mandante inscio, & exequatur homicidium, omnes incurrunt irregularitatem, inquiunt Salmanticenses *num.* 8. cum aliis, nempe mandatarius, mandans, vel consulens: quia etiam isti moraliter concurrunt ad homicidium. Si mandatarius, aut qui consilium de occidendo accepit, occidatur, mandans, vel consulens non incurrit hanc irregularitatis speciem, nisi præviderit probabiliter occidendum mandatarium. Qui consentiunt in homicidium, gratia ipsorum factum, hanc contrahunt irregularitatem; secus, si factum non sit in illorum gratiam. Si Petrus occidat Iacobum in gratiam Pauli absentis & inscii, quamvis Paulus ratum habeat tale homicidium, non incurrit hanc irregularitatem: quia ratihabitio non efficit ut Paulus influxerit in homicidium commissum a Petro.

III. Quæst. III. *Quis potest ab hac irregularitate homicidii directe dispensare?* Resp. Pontificem summum dispensare posse omnes fatentur, ex gravissima tamen, & singularissima caussa ob indecentiam summam quam tale delictum præfert, habetque cum statu ecclesiastico. Ab hac irregularitate nequeunt Episcopi dispensare, etiamsi occultum omnino sit homicidium istud; ut expresse statutum a Tridentino est *sess.* XXIV. *cap.* VI. & *sess.* XIV. *cap.* VII. *de ref.* Prælatos regulares posse cum suis subditis dispensare ab hac irregularitate, sive ante, sive post professionem commissum homicidium sit, dummodo sit occultum, docent Salmanticenses *num.* 17. & plures Auctores citant allegantes privilegia concessa a Martino V. a S. Pio V. a Sixto V. Verum suspecta hæc privilegia mihi sunt. Si vel ipse summus Pontifex, ut omnes fatentur, nonnisi perraro, & ex gravissima caussa dispensare debet ab hac irregularitate, adeo adversa statui ecclesiastico, præsumi vix potest, Pontifices summos concessisse Regularibus dictam facultatem, quam Tridentinum negavit Episcopis. Utcumque sit, numquam ego assentirem ut Prælatus regularis dispensaret in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, præsertim ante ingressum Religionis patrato. Aptus ne homicida ad Religionem profitendam? Utique enormius est post professionem homicidium. At, cum expelli amplius homicida nequeat, si post multos severæ pœnitentiæ annos argumenta veræ conversionis exhiberet, tum in controversiam verti posset, num esset cum eo dispensandum.

IV. Quæst. IV. *Quando contrahatur irregularitas ob voluntariam mutilationem membrorum?* Resp. Contrahitur hæc irregularitas, quando mutilatur aliquod corporis membrum. Membrum autem corporis est pars corporis quæ habet distinctum & peculiare officium ab aliis corporis partibus, ut oculus ad videndum, pes ad ambulandum, auris ad audiendum &c. Aliqui contendunt non requiri distinctum, sed sufficere officium coniunctum cum aliis; adeoque sufficere ad incurrendam irregularitatem abscindere digitos pedis, vel manus, excutere dentes &c. Sed hæc opinio communiter reiicitur. Communis enim sententia est, ad hanc irregularitatem contrahendam necessariam esse amputationem partis quæ distinctum & proprium officium habeat, ut oculus, manus, pes, auris, nasus, lingua, membrum virile, testiculi. Qui aliquam ex his partibus abscinderet, irregularis fieret; secus qui digitos amputaret, dentes excuteret, nasum, si remaneret odoratus, aurem exteriorem præcideret, si maneret auditus. Quoniam hæc non habent proprium officium distinctum, sed sunt ornamenta, & præsidia, quibus aut maxillæ cibum mandunt, aut manus operantur, aut nasus odoratum, aut cartilago auditum ornant, & tuentur: si vero sensus perirent, irregularis amputator fieret. Similiter qui mulieri mamillam, aut mamillas abscinderet, irregularis fieret. Sermo semper est de mutilatione iniusta, & iniuriosa, non de chirurgica, & medica.

V. Qui sibi ipsi aliquem digitum, aut partem ex ira amputaret, aut turpiter defor-

deformaret, fieret irregularis; quamquam irregularis non fieret, si hæc in alio ageret; ut habetur cap. *Quidem* de Presbytero, tit. *de corpore vitiatis*. Quoniam ius maiorem malitiam agnoscit in illo qui in seipso, quam in eo qui in alio talia ageret. Qui mulierem, aut virum sterilem efficeret, quamvis homicida reputetur cap. *Si aliquis*, tit. *de homicidio*, non tamen fieret irregularis; neque qui membrum aliquod corporis debilitatum & ineptum redderet ad munus suum exercendum. Fieret vero irregularis qui membrum ita debilitatum amputaret. Si tamen membrum ita debilitatum esset, ut omnino siccum, & mortuum remaneret, tunc iuxta probabiliorem opinionem irregularitas contraheretur: e contrario qui illud membrum mortuum amputaret, irregularis non evaderet.

VI. In hac irregularitate dispensare possunt etiam Episcopi, si occulta sit: quia licet mutilatio assimiletur homicidio, non est tamen homicidium. Et ideo cum Tridentinum subtrahat Episcopis facultatem dispensandi solum in irregularitate ex homicidio voluntario, non infertur eos non posse super hac irregularitate dispensare. Hanc quoque facultatem habent Prælati regulares.

VII. Quæst. V. *Quando contrahitur irregularitas ex homicidio, & mutilatione casuali?* Resp. Homicidium casuale illud est quod præter intentionem occisoris tum directam, tum indirectam accidit: & tunc sicut occisor immunis ab omni culpa, ita & ab irregularitate est: & idem est de mutilatione. Aliud homicidium casuale, mixtum ex voluntario, & involuntario, nuncupatur; ut si quis poneret actionem, unde probabiliter timeret consequi aut homicidium, aut mutilationem: & tunc qui talem actionem, puta ebrietatem, poneret cum tali prævisione, irregularis fieret. Si vero non prævideret, nec teneretur prævidere, irregularitatem non incurreret. Qui opus licitum facit, & omnem diligentiam adhibet ne homicidium, vel mutilatio sequatur; tum non fieret irregularis, etiamsi homicidium, vel mutilatio accideret. Dixi, qui opus licitum & bonum operatur: quia si actio illa aliquo modo influeret, seu induceret homicidium, aut mutilationem, iam non esset bona, nec licita. Si tamen negligens esset in præcavendo effectu, tunc indirecte vellet homicidium, & sic fieret irregularis; nisi negligentia esset levis, aut levissima. Hinc si magister discipulum, aut pater filium percuteret, & leviter tantum, non graviter excederet, irregularis non fieret; etiamsi mors, aut mutilatio præter intentionem contingeret. Idem dicendum de eo qui in equo feroci equitaret, si contingeret pueri occisio; aut de pulsante campanas, si caderet tintinnabulum, quod hominem occideret; aut de custode leonis, vel alterius feræ frangentis vincula, & devorantis hominem. Quando hæc, & similia contingunt absque negligentia culpabili, nulla contrahitur irregularitas. Similiter medicus non fit irregularis, si absque eius culpabili negligentia infirmus moriatur. Neque Clerici, aut Monachi, qui artem medicam, aut chirurgicam absque incisione, vel adustione exer-

exercent. Similiter qui dant infirmo remedium bona fide ad infirmitatem curandam, qui eum revolvunt &c. non fiunt irregulares, etiamsi mors sequatur.

VIII. Qui dat operam rei illicitæ, unde mors oritur, fit irregularis: si vero operam det rei quæ sit illicita, non quia periculosa ad mortem, sed ex alio capite, tunc non fit irregularis, nisi sit graviter negligens: ut si Monachus equitaret contra regulam, & puerum occideret præter intentionem; si quis tempore interdicti pulsaret campanam, quæ cadens occideret hominem &c. Plures contendunt, dantes operam rei illicitæ ex se periculosæ non incurrere irregularitatem, quando ita est periculosa, ut eius eventus per diligentiam multoties impediri possit. Affirmant vero incurri, si ita opus prohibitum sit, ut raro exerceri queat quin effectus sequatur. Sed eiusmodi distinctiones pro praxi arbitrariæ sunt, & futiles. Idcirco dicendum, quod quoties opus ita periculosum est, ut iuxta communem existimationem effectum inducat, contrahatur irregularitas: quia eo ipso quod libere quis exerceat opus periculosum prohibitum, se exponit periculo occidendi, aut mutilandi.

IX. Qui ex iustitia tenetur impedire occisionem, aut mutilationem, si id omittat per culpam mortalem contra iustitiam, fit iuxta probabiliorem sententiam irregularis. Quia qui omittit defendere illum quem ex iustitia tenebatur defendere, est verus homicida: moraliter enim, licet non physice, concurrit ad talem mortem. Secus qui tantum ex caritate tenetur. Ab hac irregularitate dispensare illi valent quos indicavi supra *num. 6.*

X. Quæst. VI. *Quando contrahatur irregularitas ex homicidio, aut mutilatione caussa defensionis contra iniustum invasorem?* Resp. Qui iniustum invasorem occidit, excedendo mortaliter modum inculpatæ tutelæ, fit irregularis; puta, si posset se defendere fuga, clamore, mutilatione, & occidat: secus qui occidit servando modum inculpatæ tutelæ; quamvis olim opposita doctrina obtinuerit. At eiusmodi pendent a iure positivo. Et in Clement. *Si furiosus* de homicidio statutum est, istos defensores cum moderamine inculpatæ tutelæ non contrahere irregularitatem: quia si moderamen observant, culpam non perpetrant; & sine culpa non contrahitur irregularitas ex delicto. Verum quis in praxi securus esse potest, se servasse hoc moderamen, se non habuisse intentionem occidendi, sed tantum se defendendi? Et quia hæc in praxi vix discerni queunt; ideo antiqui tenebant talem incurrere irregularitatem ob occisionem invasoris; etiamsi non appareret excessisse moderamen inculpatæ tutelæ. Verum ad non incurrendam irregularitatem sat est canones declarasse, eam non incurri ab eiusmodi defensore.

XI. Excusantur quoque ab hac irregularitate illi qui ad evitandum grave vulnus, ab invasore attentatum, se defendunt cum moderamine inculpatæ tutelæ. Secus dicendum, si vulnus quod timetur, esset leve. Quare nimis laxa est opinio

quam

quam docent Salmanticenses *tract. x. cap.* VIII. *punct.* 4. *num.* 46. „ An vero si vulnus in facie timeatur, *quamvis leve*, sed quod deformitatem induceret, sufficiat „ ad excusandum ab irregularitate occisorem, aliqui ex his Auctoribus affirmant, „ alii negant. *Parum interest quod unum vel alterum dicatur*. " Parum interest quod unum, vel alterum dicatur de occidendo, aut non occidendo homine, iuste, aut iniuste? Nam si invasus iuste occideret, planum est illum nôn incurrere irregularitatem; si vero iniuste, certum est eamdem illum incurrere.

XII. Quid, si invasor sit in peccato mortali? Incurreret ne irregularitatem invasus, si occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ? Negat communis sententia: quia tum non peccat: ergo nec irregularitatem contrahit. Nec est, inquiunt, quod opponas, quemlibet debere propriam vitam postponere saluti spirituali æternæ proximi sui. Quia respondent, id verum esse, quando proximus est in extrema necessitate salutis spiritualis; ut si videres innocentem decipi ab hæretico, cum tuæ vitæ periculo eum liberare ab errore deberes. At invasor non est in extrema suæ æternæ salutis necessitate; cùm libere possit ab invasione desistere. Accedit quod etiam invasus est in æternæ suæ salutis discrimine, si occidatur, quæ præferri alterius saluti debet. Si tamen esset in gratia, posset ex caritate permittere sui occisionem, ut æternæ proximi saluti consuleret.

XIII. Quando autem liceat prævenire offensorem, & quomodo, vix definiri a me potest. Illud est certum, defensionem non reparare offensam, seu vulnus præteritum, sed futurum: ideo tunc videtur licita præventio excusans & a culpa, & ab irregularitate, quando nulla alia via, neque fuga, neque precibus, neque clamore declinari mors, aut grave vulnus potest.

XIV. Quæst. VII. *Qui verbis, aut facto provocat invasorem, incurrit ne irregularitatem, si invasus occidat?* Resp. Quis adulterium perpetrat, aut furatur: ut se defendat a marito, a domino invasore, occidit maritum, dominum &c. Negant plures hunc defensorem incurrere irregularitatem. Verum sententia adfirmans vera est: quia fur, adulter, & similes dant operam rei illicitæ, & natura sua periculosæ, & inducenti occisionem furis, adulteri &c. Ergo homicidium patratum a fure, adultero &c. se defendente, est voluntarium in caussa: idemque dicendum de eo qui alapa alium percuteret, aut verbis iniuriosis alios provocaret. Quoniam licet defensio semper sit licita; tamen quando quis ponit voluntarie caussam ex qua sequitur homicidium, hoc homicidium est voluntarium in caussa: ideoque incurrit irregularitatem qui caussam illicitam, & periculosam ponit.

XV. Quæst. VIII. *Qui potest mortem evitare, incurrit ne irregularitatem, si omittendo fugam occidat invasorem?* Resp. Sententia adfirmans vera est; & opposita damnata in *prop.* 30. Innocentii XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem* &c. Nonnulli Probabilistæ vanis distinctiunculis huiusce thesis damnationem eludere ten-

tentant. Hæc ſcribunt Salmanticenſes *tract. x. cap.* VIII. *punct.* 4. *num.* 52.,, Sed nos „ cum hac diſtinctione ad difficultatem reſpondemus, & propoſitionem damnatam, „ prout ad nos attinet, explicamus: Quod ſi fuga nec periculoſa eſt, *nec ignominioſa aggreſſo*, irregularitatem incurret aggreſſorem occidendo, ſi fugiendo poteſt „ ſuum damnum evitare: quia in hoc *caſu fas non eſt* &c. ut inquit Pontifex. *Si vero ſit ignominioſa illi, ut ſi vir nobilis, aut miles eſſet, quibus indecorum eſt fugam capere*, poteſt reſiſtere invaſori, & *fas eſt* illum occidere, non excedendo „ moderamen ſuæ inculpatæ tutelæ. "

XVI. Verum, ut novum habeas plurium Caſuiſtarum laxitatis argumentum, ecce quæ ibidem ſcribunt iidem Salmanticenſes *num.* 54. „ Scimus autem *Dianam*, „ & *Filliuc.* tract. xx. *cap.* v. *num.* 133. aſſerere, quod, ſi Clerico, aut Religioſo „ in aliquo eſſet fuga ignominioſa, poſſet ſe defendere, nec incurreret irregularita- „ tem, ſi invaſorem occidat. Et addit *Leander* tract. II. diſp. XII. quæſt. XXXVIII. „ quod Clerici, aut Religioſi regulariter, & abſolute *nullo modo* tenentur fugere, „ ut evitent conatum iniuſte invadentis; ideoque ſi occidant, defendendo ſe, non „ fieri irregulares: quia regulariter loquendo fuga in ipſis inveniri non poteſt, „ quæ *aut indecora non ſit, aut damnoſa*, aut periculoſa. Scimus etiam Filliucium „ num. 135. ſenſiſſe, quod etiam ille qui cauſſam ſua culpa invaſori dedit, ſi non „ prævidit damnum futurum, poſſet invaſori reſiſtere, abſque eo quod incurreret „ irregularitatem, eum occidendo, tametſi fugiendo ſe liberare poſſet. Scimus etiam *Fagundez*, & ex illo *Leandrum* tract. II. diſp. XII. quæſt. XXXVI. dixiſſe, „ nobiles aut milites, qui *etiam abſque nota fugere poſſent*, poſſe licite invadenti „ reſiſtere: quia ex ſe fuga nobilibus, aut militibus ſemper ignominioſa eſt, & per „ accidens eſt quod in tali caſu non ſequatur: & addit idem *Leander*, *pluribus citatis* quæſt. XXXVII. quod *etiam homines ignobiles, aut mechanici*, qui fugam „ *ſine periculo* poſſent capere, licite invaſori reſiſtent; *nec fiunt irregulares occidendo: quia omni generi perſonarum fugere eſt infamia, quam omnes vitare tenentur.* "

XVII. Hæc ex Salmanticenſibus reſcribere volui, ut ſemper luculentius appareat, quam ſit putida, & inaudita impoſtura illa quam nonnulli fabulatores apud imperitum vulgus diſſeminant me truncatas, & minus ſincere tranſcribere laxas quorumdam Caſuiſtarum opiniones. Numquid dicturi ſunt, Salmanticenſes minus ſincere, aut fraudulenter narrare præfata laxitatis paradoxa, quæ tamen omnia nec ipſi probant? Sed ex iiſdem illa reſcribere volui, ut ora iis obſtruerem qui omnia caſuiſtica commenta propugnare gloriæ ſibi vertunt. Porro ſi citati Doctores moderni cum aliis non paucis defendere non ſunt veriti, & *ignobiles, & mechanicos, & Religioſos ipſos*, qui vel conſilia evangelica profitentur, non debere fugam arripere, ut evitent homicidia, *quia omni generi perſonarum fugere eſt infamia*,

mia, quam omnes vitare tenentur; sed posse resistendo occidere homines: si, inquam, hæc antievangelica laxitatis commenta evulgare ausi sunt, & tam evidenter contradicere Evangelio clamanti Luc. vi. *Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram*: quisque colligat, quam maiori libertate & facilitate laxaverint, attemperaverint, perturbaverint alias leges, quæ non sunt adeo luculentæ, & manifestæ.

XVIII. Quæst. IX. *Ex cuius sacramenti iteratione incurritur irregularitas?* Resp. Ex iteratione baptismi, & non confirmationis. Ideo enim Ecclesia statuit hoc impedimentum contrahi ab iterantibus baptisma, ut reprimeret Donatistarum, & aliorum rebaptizantium hæresim, quæ multo tempore Ecclesiam turbavit; ut alibi dictum est. Præterea baptismus est quædam regeneratio spiritualis, quæ semel tantum fieri debet. Hanc irregularitatem contrahunt etiam rebaptizantes. Hæc irregularitas impedit ascensum ad alios Ordines, non in susceptis ministrare; ut communis opinio docet. Ad hanc tamen irregularitatem contrahendam requirunt plures rebaptizationem solemnem, nec sufficere aiunt privatam, & occultam. Qui rebaptizanti ministrant, qui ab hæretico extra necessitatis casum baptismum recipiunt, qui baptismum usque ad mortis periculum voluntarie differunt, irregulares fiunt. Ab hac irregularitate occulta posse Episcopum dispensare, docent plures.

XIX. Quæst. X. *Quinam ex violatione censurarum irregularitatem contrahant?* Resp. Qui maiori excommunicatione irretiti, qui suspensi, qui interdicti personaliter, aut in loco interdicto actum maioris Ordinis exercent, irregulares fiunt. Qui autem suspensus ab uno Ordine, alterius Ordinis a quo non est suspensus, exercet officium, non fit irregularis. Ad hanc irregularitatem contrahendam requiritur quod quis sciat se censura esse irretitum, & actum Ordinis scienter exerceat.

XX. Ab hac irregularitate occulta posse dispensare Episcopum ex concessione Tridentini *sess.* xxiv. *cap.* vi. communis sententia docet. Prælatos vero regulares posse toties quoties dispensare cum suis subditis in hac irregularitate, etiamsi publica sit, docent Sayrus, Candidus, Bordonius, Antonius a Spiritu sancto, & alii, quos citant, & sequuntur Salmanticenses *num.* 72. Et quantum ad irregularitatem contractam ob violationem censuræ, puta suspensionis, quam ipsi tulerunt, non est in controversiam vocandum. Sicut enim absolvere a censura ab ipsis lata, ita dispensare in irregularitate ex violatione talis censuræ contracta possunt, ut mihi videtur.

XXI. Quæst. XI. *Quando contrahatur irregularitas ob illegitimam Ordinum susceptionem?* Resp. Qui furtive sacros Ordines suscipit, puta qui absque Episcopi examine, & approbatione eosdem recipit, qui eodem die plures Ordines, quorum unus

unus fit facer, absque dispensatione suscipit, qui post matrimonium contractum, etiam ante consummationem, Ordinem sacrum recipit, renitente uxore, irregularitatem incurrunt. Similiter irregulares fiunt Clerici qui usurpant Ordinem sacrum, quem non habent, ministrantes in eo scienter, & solemni ritu.

XXII. Quæst. XII. *An contrahatur irregularitas ex delicto cui annexa infamia est?* Resp. Plura sunt delicta quibus annexa infamia est, ut sunt in Clericis homicidium, periurium cum falso testimonio in iudicio, hæresis, sodomia, simonia: quæ crimina, si notoria sint, inducunt irregularitatem. Hæresis eo ipso quod publica sit, facti infamiam parit, & inducit irregularitatem vi iuris communis. In Galliis, ut notat Habert, hæretici conversi non habentur irregulares. Infamia alia iuris est, alia facti. Infamia iuris illa dicitur quæ per ius canonicum, aut civile contrahitur. Verum non vacat in præsentia varias istius infamiæ species dispicere. Merito irregulares habentur, & inepti ad sacrum ministerium qui famam proprii nominis obscuratam habent; cum hoc summopere statum clericalem Deo sacratum, qui puritatem, & splendorem spirare natura sua debet, dedeceat. Inquit enim *I. Timoth.* III. S. Paulus: *Oportet illum habere bonum testimonium ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.*

XXIII. Infamia facti ea est quæ oritur ex delicto, propter quod aliquis apud sapientes prudentesque viros male audit. Ex officio quoque contrahitur infamia, & irregularitas; ut *histriones*, qui ob turpes, & obscœnas, indignasque repræsentationes infames sunt; ut ex cap. *Definimus* IV. quæst. I. & ex l. I. & 2. *de his qui notantur infamia*. Plures quoque officia carnificum, lictorum, macellariorum habere annexam infamiam docent. Negat vero Castropalaus *punct.* 20. *num.* 6. cum aliis officia ista in iure notari infamia. Verum in communi hominum existimatione præfata officia plurima laborant infamia.

XXIV. Irregularitas quæ oritur ex infamia delicti personalis, aufertur per emendationem, quæ sit ita notoria ac factum quod infamiam peperit. Iuris vero infamia non tollitur per emendationem, sed per dispensationem. Ab hac autem irregularitate dispensare summus Pontifex potest ob caussam iustam. Item Episcopus dispensare potest, non ut infames ad sacros Ordines admittantur, sed ut in sacris Ordinibus susceptis administrent, si delicta minora sint adulterio. Infamia vero quæ per iudicis decretum inducta fuit, per eiusdem, aut Superioris dispensationem auferri potest. Prælatos vero regulares posse cum suis subditis dispensare ab hac irregularitate, sive ante, sive post Religionis ingressum contracta, docent communiter Auctores.

CA-

CAPUT VII.

De irregularitatibus ex defectu.

I. Quæst. I. *Quænam sunt irregularitates ex defectu animæ?* Resp. Tres numerari defectus animæ solent, qui irregularitatem inducunt, nempe defectus rationis, scientiæ, & fidei. Pueri ante usum rationis excluduntur a sacris Ordinibus: item amentes, furiosi, energumeni, seu arreptitii, lunatici, epileptici, qui morbo comitiali, seu caduco ita inopinato corripiuntur, ut continuo sensibus destituti cadant. Energumeni, lunatici, & epileptici, si per annum probati, inveniantur a vexationibus dæmonis, & morbo liberati, poterunt Episcopi judicio in susceptis Ordinibus ministrare. Presbytero tamen celebranti Sacerdos alius assistere debet, qui supplere, si defectus contingeret, valeat. Ad superiores vero Ordines isti promoveri non debent ex cap. *Maritum* dist. XXXIII. & ex cap. *Clerici*.

II. Scientiæ defectus est impedimentum Ordinum suscipiendorum, a quo nec summus Pontifex dispensare valet. Ineptitudo quippe ad propria Ordinis officia obeunda sua natura impedit & exercitium, & susceptionem talis Ordinis; ut habetur cap. *Illiteratus* dist. XXXVI. Hoc tamen impedimentum non est perpetuum, sed industria, & studio auferri sæpe valet.

III. Irregulares defectu fidei sunt filii hæreticorum. Parentes enim ex delicto irregulares dicuntur. Ubique tamen hoc impedimentum non viget. Neophyti quoque irregulares habentur. Appellantur neophyti, qui recens ab idololatria, a Judaismo, & Mahumetismo ad fidem conversi sunt. *Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli*, inquit S. Paulus *I. Timoth.* III.

IV. Quæst. II. *Quinam sunt corporis defectus irregularitatem parientes?* Resp. Primis Ecclesiæ sæculis defectus qui non essent ex delicto, non inducebant irregularitatem; ut ex *can.* LXXVII. Apostolorum colligitur. Quia tunc cicatrices, vulnera, oculi amissio, propter Christum tolerata, splendida erant Clericorum ornamenta; & sanctitas animæ corporis vitia tegebat.

V. Posterioribus sæculis, refrigescente caritate, quatuor corporis defectus inducunt irregularitatem. Primus est defectus membrorum corporis. Cui deest brachium, manus; & Presbytero destituto duobus digitis cum medietate palmæ, si digiti sint pollex, & index, celebrare non permittitur; ut habetur cap. *Exposuisti*, tit. *de corpore vitiatis*, & cap. *Presbyterum* tit. *de Clerico ægrotante*. Idem dicunt de Presbytero, ita manibus tremulis laborante, ut sit effusionis calicis periculum; & de eo qui ita vinum fastidit, ut vomitui obnoxius sit. Item qui oculi sinistri lumine, qui auditu omnino carent, irregulares reputantur. Si tamen pri-

privatio auditus superveniat, non reputatur impedimentum; cum ministri auditio non sit necessaria. Similiter si oculus dexter tanto sit lumine praeditus, ut defectum sinistri supplere valeat, impedimentum cessare, plures docent. Defectus qui pariunt notabilem deformitatem, inducunt irregularitatem. Quare carentes oculo, sive dextro, sive sinistro, naso, pede, vel habentes oculos nimis deformes, laborantes nimia corporis debilitate, gibba, lepra, morbo gallico, irregulares habentur. Hæc omnia tamen, cum plus & minus excipiant, iudicio Episcopi permittuntur. Occulta corporis vitia non inducunt irregularitatem. Eunuchi tamen, & hermaphroditi etiam occulti irregulares sunt.

VI. Quæst. III. *Quinam sint irregulares ex defectu natalium?* Resp. Illegitimi omnes, sive nothi, sive spurii, sive incestuosi, sive sacrilegi, sunt irregulares in Ecclesia Latina post sæculum 11. in detestationem sceleris paterni. Nati tamen ex matrimonio, bona fide in faciem Ecclesiæ contracto, sed ob aliquod impedimentum occultum irrito, non habentur irregulares; ut colligitur ex cap. *Cum inter*, tit. *Qui sunt filii legitimi*. Si vero matrimonium fide mala contractum esset, irregulares reputantur; ut habetur cap. *Referente*, tit. *Qui filii sint legitimi*.

VII. Hæc irregularitas pluribus modis cessat. I. Tollitur per subsequens matrimonium, quando nempe fornicator uxorem duxit eam ex qua prolem susceperat. Si tamen adulter ducat in uxorem, mortua coniuge, mulierem, ex qua filios habuit, isti manebunt spurii & illegitimi; ut habetur cap. *Tanta*, tit. *Qui filii sint legitimi*. II. Aufertur per legitimationem absolutam quantum ad effectus spiritnales, & a Principe quantum ad effectus civiles. III. Per dispensationem, quam solus Pontifex summus concedere potest, ad Ordines maiores, & Prælaturas; ut colligitur ex cap. *Is qui*, tit. *de filiis Presbyterorum* in VI. ubi Pontifex concedit ut Episcopi possint istos ad Ordines minores, & ad beneficia simplicia promovere. In hoc tamen decreto non comprehenditur Canonicatus: quia qui non est aptus ad maiores Ordines, non est habilis ad Canonicatum. Ergo cum Episcopus nequeat illegitimos promovere ad maiores Ordines, neque Canonicatum conferre illis valet. Et dispensatio quæ conceditur ad Ordines, non extenditur ad beneficia; nisi fiat de iisdem, eorumque natura expressa mentio. Falsa est opinio quam Salmanticenses *cap.* IX. *num.* 51. ex Vasquez, Castropalao, Leandroque referunt, & sequuntur, nempe posse Episcopum promovere illegitimos ad beneficium simplex, cui annexa sit animarum cura. In citato siquidem canone expresse dicitur: *Beneficium cui cura non imminet animarum*. Aufertur IV. hoc impedimentum per professionem religiosam: quod privilegium, iure communi concessum, & revocatum a Sixto V. illud ad iuris communis terminos instauravit Gregorius XIII. quantum ad Ordines suscipiendos, non quantum ad Prælatu-

ras.

ras. Docent Gregorium XIV. concessisse Generalibus ut cum suis Capitulis possint etiam in ordine ad Prælaturas super hoc dispensare.

VIII. Quæst. IV. *Quinam dicantur irregulares ex defectu libertatis, ætatis, & obligationis?* Resp. Mancipia, seu servi, usquedum in statu servitutis degunt, sunt irregulares: quia status servitutis dedecet statum ecclesiasticum. Si servus, sciente domino, & non contradicente, suscipiat Ordines, immo ipsam primam tonsuram, liber evadit saltem in iis quæ pugnant cum statu clericali. Si servus, nesciente domino, aut obsistente, suscipiat Ordines minores, peccat mortaliter, & manet servus. Si Episcopus, conscius servitutis, conferat Ordines maiores, satisfacere domino tenetur; ut habetur cap. *Si servus*, dist. liv.

IX. De defectu ætatis dictum est de sacramento Ordinis. Obligatio reddendi rationem ob administrationem a Republica acceptam parit irregularitatem, usquedum reddita sit, & derelicta sint officia ob quæ talia ratiocinia & supputationes debentur. Si tamen idoneum fideiussorem, qui onus reddendæ rationis assumat, dederit, ordinari poterit.

X. Quæst. V. *Quid sit irregularitas ex defectu sacramenti?* Resp. Est illa quæ oritur ex bigamia, seu ex matrimonio pluries contracto. Bigamus enim, sive digamus dicitur qui plures uxores successive habuit, & cum eisdem matrimonium consummavit. Triplex distinguitur bigamia. Vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera tunc est, quando quis plures uxores legitimas successive habuit. Hæc bigamia semper fuit impedimentum, ut habetur *I. Tim.* III. & *ad Tit.* I. ubi prohibetur ordinari Episcopos, Presbyteros, & Diaconos bigamos. Qui uxorem habuit, & fornicationem, ac adulterium patravit, non est irregularis: quia ex fornicatione, & adulterio non oritur bigamia. Si quis uxorem duxerit, & hæc ante consummatum matrimonium Religionem professa sit, & vir aliam uxorem ducat, non est bigamus. Similiter qui plures duxit uxores, & cum nulla ob impotentiam consummavit, non est bigamus, neque impedimentum contrahit; ut statuit Innocentius III. cap. *Debitum*, tit. *de bigamis non ordinandis*.

XI. Altera bigamiæ species vocatur interpretativa, quæ, licet vera non sit, ex iuris fictione talis nuncupatur. Hæc quatuor modis contrahitur. 1. quando quis duo matrimonia contrahit, alterum validum, aliud irritum. 2. quando duo matrimonia reipsa contrahit ambo irrita. 3. quando viduam, aut corruptam duxit. 4. quando virginem quidem sibi desponsavit, quæ tamen post nuptias adulteravit, & nihilominus post adulterium eamdem cognovit. Diffident Auctores, num qui corruptam duxit, existimans bona fide esse virginem, fiat irregularis. Adfirmat probabilior opinio, quam S. Thomas in *Supplem. quæst.* lxvi. *art.* 3. *ad* 3. defendit. *Ideo ille qui uxorem ducit corruptam, quam virginem credit, irregularis est eam cognoscens.* Quia irregularitas hæc, non ex delicto, sed ex defectu est.

Qua-

Quapropter irregularis quoque fit vir, si ignorans adulterium uxoris cum ea copulam habeat.

XII. Tertia bigamiæ species dicitur similitudinaria, illaque est quam quis contrahit, dum post solemnem professionem, vel post susceptum sacrum Ordinem, matrimonium contrahit, sive cum virgine, sive cum corrupta. Negant aliqui respectu Clerici contrahentis post susceptos sacros Ordines; sed probabilior sententia adfirmat.

XIII. Bigamia dicitur defectus sacramenti, quia non repræsentat unionem Christi cum Ecclesia. Bigami irregulares reputantur tum propter incontinentiam, tum propter divisionem affectus, quem ab uxore defuncta in alteram transferunt, tum, & præcipue propter defectum sacramenti.

XIV. Dispensare ab hoc impedimento posse summum Pontificem, docent communiter Auctores. Nequeunt vero Episcopi dispensare a bigamia ad Ordines sacros recipiendos, vel ad ministrandum in receptis, in casu quo bigamus ordinatus fuisset sive bona, sive mala fide, sive bigamia occulta sit, sive publica; posse vero illos dispensare, docent Auctores pro suscipiendis Ordinibus minoribus. Prælatos vero Religionum posse cum suis subditis dispensare in omni bigamia ex privilegio Sixti IV. & Pauli III. docent permulti. Sed præfata privilegia mihi suspecta sunt, sicut & alia, de quibus supra.

XV. Quæst. VI. *Quomodo contrahatur irregularitas ex defectu lenitatis?* Resp. Homo baptizatus qui voluntarie, & proxime concurrit ad proximi necem, aut mutilationem, quamvis iuste, fit irregularis ex defectu lenitatis; ut constat ex cap. *Si quis viduam*, dist. l. Irregularitas hæc contrahitur solum ab homine baptizato; cum irregularitas ex bigamia incurratur etiam ab infideli bigamo. Irregularitatem ex defectu lenitatis incurrunt omnes qui aut physice, ut carnifices, aut moraliter influunt in necem, vel mutilationem, ut mandantes, consulentes, consentientes, adiuvantes, aut non obstantes, cum ad id ex officio, & iustitia teneantur, ut magistratus, medici: quorum negligentia si innocentes pereant, fiunt ipsi irregulares. Qui solum caritate astringuntur obstare, peccant, si omittant, at irregularitatem non incurrunt. Rursus ad contrahendam irregularitatem non sufficit concursus remotus ad necem, aut mutilationem. Quare non sunt irregulares armorum opifices, etiamsi armis ab istis fabricatis aliqui abutantur ad occidendum, vel mutilandum. Qui vero venderent arma iis quos sciunt ad duellum paratos, & conflicturos, fierent irregulares: quia tum proxime illorum actio influeret. Proxime ergo concurrentes ad necem, aut mutilationem, ex defectu lenitatis fiunt irregulares, ut iudices ferentes sententiam, assessores iudicum, promotores, fiscales, procuratores, satellites, comprehensores, accusatores, advocati, denuntiatores, testes necessarii, & voluntarii, quando vi talium actionum reus oc-

occidatur. Qui autem testantur in favorem rei, vel testes sunt non necessarii; non fiunt irregulares. Clericus non potest cogi a iudice ut testetur in caussa sanguinis contra reum; in eiusdem tamen favorem testari valet.

XVI. Domini temporales ecclesiastici, temporalem habentes iurisdictionem, possunt committere aliis caussas sanguinis, quin fiant irregulares, vel admonere in communi, ut vigilent contra malefactores, eosque iuxta leges puniant, vel etiam in particulari, ut iudicent iuxta leges: & iudices ecclesiastici tradere possunt Clericos a se degradatos brachio saeculari, praemissa supplicatione ut iudices benigne se habeant cum iisdem. Iudices ecclesiastici sine periculo irregularitatis ferunt leges continentes poenam mortis; quamvis reus vi talium legum occidatur. Clerici consulti a iudice, num tale delictum plectendum sit poena mortis, non fierent irregulares, aientes in communi illud delictum iuxta leges supplicio capitali esse puniendum. Similiter Confessarius negare absolutionem potest iudici nolenti poena mortis plectere reum quem iuxta leges tenetur tali supplicio punire: quia Confessarius intendit salutem iudicis poenitentis, non rei mortem. Immo si consulti a iudice Confessarii dicerent in singulari hunc latronem, hunc grassatorem iuxta leges occidendum esse, ex plurium sententia non fierent irregulares: tum quia isti non sunt ministri nominati in iure; tum quia isti consulunt iustitiam exequendam esse ad legum normam. Hoc est illorum munus, quod exercere possunt, & debent. Alii tamen adfirmant. Illud mihi certum est, posse & debere Confessarios iubere ut iustitia fiat, & leges bonum publicum spectantes serventur etiam in hoc aut illo casu particulari. Neque enim favendum est iniquorum contra societatem grassantium impunitati ob leves suspiciones deficiendi contra lenitatem. Observatio enim iuris naturalis, divini, & humani praevalere debet mero iuri positivo, praescribenti lenitatis impedimentum, praesertim quod ex nullo delicto oriatur. Irregulares non fiunt qui detegunt malefactorem, qui clamant adesse latrones poena mortis puniendos, nec fabri lignarii praeparantes patibulum. Accusatores tum concurrunt proxime ad mortem, & fiunt irregulares, si accusent ad vindictam; secus, si petant satisfactionem; immo hanc petitionem Clerici ipsi facere possunt, ut statuitur cap. *Praelati*, tit. *de homicidio* in VI. ubi haec habentur. *Praelatis, vel Clericis quibuscumque, qui de laicis suis malefactoribus querelam penes saecularem iudicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cetero praesumantur, protestando expresse, quod ad vindictam, seu poenam sanguinis non intendunt, imputari non debet, quamvis alias in tali casu de iure debeat poena sanguinis irrogari . . . Alioquin si Praelati, aut Clerici, propter metum huiusmodi, quia iudex ad poenam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona depraedandi.* Similia statuit Inno-

nocentius III. cap. *Postulasti* extra *de homicidio voluntario*. Clericus igitur testari debet, se vindictam non intendere, sed damnis suis obicem apponere. Clerici accusantes de iniuriis illatis personis fiunt irregulares, si mors, aut mutilatio sequatur; secus, si agatur de damnis sibi, aut propinquis suis, vel domesticis, vel Ecclesiæ illatis; dummodo mors, aut mutilatio, quæ prævidetur futura, sit iusta; hæc enim clausula semper intelligitur.

XVII. Qui pugnant in bello iusto ex anctoritate publica contra hostes, si propriis manibus occidant, vel mutilent, irregulares fiunt. Ceteri vero milites in tali bello iusto adstantes pugnæ, qui propriis manibus neminem occidunt, aut mutilant, non fiunt irregulares; ut communiter fatentur omnes. Si vero bellum sit iniustum, & aliquis in eo occidatur, aut mutiletur, omnes fiunt irregulares, etiam illi qui propria manu nec necaverint, nec mutilaverint: quia omnes concurrunt ad necem, vel mutilationem iniustam.

XVIII. Duces, milites, Clerici, aliique in bello iusto consulentes, exhortantes, animantes milites, ut strenue sê gerant in pugna, & in conflictu, non fiunt irregulares. Quare non sunt audiendi, inquit Habert, illi qnos *expeditionarios* vocant, dum suadere conantur, nullo fundamento nixi nisi propriæ cupiditatis, indigere dispensatione summi Pontificis quisquis tulerit arma in bello iusto.

XIX. Militem se defendentem in bello defensivo, vel etiam offensivo iusto, non fieri irregularem, docent plures, etiamsi occidat, dummodo servet moderamen inculpatæ tutelæ: quia hæc defensio est illi iusta, sicut & bellum. Porro qui se defendunt cum moderamine iustæ defensionis, excusantur ab irregularitate.

XX. Medici, & chirurgi, qui iuxta propriæ artis regulas membrum corporis humani truncant, non fiunt irregulares, ut dictum alias est; forent vero irregulares ex delicto, si contra artis regulas id agerent, aut si ob illorum negligentiam ægrotus interiret. In dubio, num adhibuerint necessariam diligentiam, se gerere debent ut irregulares. Neque fiunt irregulares qui adiuvant chirurgos, & medicos, secantes iuxta regulas artis partem corporis; cum exerceant actum non vindictæ, sed pietatis. Clerici, & Monachi exercentes artem medicam, & chirurgicam fiunt irregulares ex defectu lenitatis, ut supra dixi, si truncent aliquod membrum: quia prohibitæ illis sunt eiusmodi artes cum incisione, & adustione. Possunt tamen aperire venam ad minuendum sanguinem, quin fiant irregulares.

XXI. Ecclesia merito a sacris Ordinibus removet homines ob defectum lenitatis: quia mansuetudo, & lenitas est prærogativa, & character Sacerdotii Christi, qui tamquam agnus mansuetus venit in mundum a Patre missus. Quapro-

pter improbavit *Luc.* IX. zelum nimis ardentem Ioannis, & Iacobi, qui Samaritanorum vindictam expetebant, inquiens: *Nescitis, cuius spiritus estis.*

XXII. Communis sententia contra Dianam, Sa, & alios docet, Episcopos non posse dispensare in irregularitate proficiscente ex defectu lenitatis, etiamsi occulta sit: quia Tridentinum solum facultatem Episcopis concedit dispensandi in irregularitate occulta, proveniente ex delicto, excepto homicidio voluntario; secus in irregularitate ex defectu lenitatis. Plures contendunt, hanc facultatem dispensandi in irregularitate ex defectu lenitatis habere Prælatos regulares ex privilegiis supra indicatis. At hæc privilegia mihi nota non sunt. Et hæc dicta sufficiant de censuris. Qui plura cupiunt, consulant Bonacinam, Sayrum, Suarez, & Canonistas, qui integra spissa volumina de hoc argumento conflarunt.



LIBER QUARTUS.

DE PECCATO IN COMMUNI, ET SIGILLATIM: ITEM DE SEPTEM VITIIS CAPITALIBUS, ET DE VIRTUTIBUS.

DISSERTATIO PRIMA.

DE PECCATIS GENERATIM.

PRAELOQUIUM.

Adeo difficilis est peccatorum tractatio, ut vel ipse Regius Propheta *Psal.* XVIII. exclamaverit: *Delicta quis intelligit?* Et tamen sicuti medicis morborum notitia magnopere necessaria est, ut congrua applicare remedia queant, ita animarum moderatores peccatorum accuratam cognitionem comparare sibi debent, qua valeant sacramentorum administratione conscientiarum vulnera curare. Plura quæ tractatum de vitiis & peccatis spectant, sparsim in hocce opere explicata sunt. Controversias de conscientia proxima morum regula, de advertentia necessaria ad peccandum, de ignorantia a peccato excusante, de peccato philosophico, aliisque istiusmodi, *Tom. II. Appar.* fuso calamo enucleatas invenies. Celebres disputationes de humanorum actuum moralitate, de voluntario directo, & indirecto, de libertate, de metu &c. *Tom. VI.* & alibi, occasione data, dispexi. Argumentum de vitiis & peccatis propriam sedem habere debuisset post tractatum de conscientia recta, erronea, dubia, & probabili. At cum alii tractatus tunc in manibus essent, omissum fuit. Porro, ne hæc nostra Christiana Theologia aliquo tractatu ad morum informationem necessario careret, huic ultimo Tomo inserere per modum appendicis hunc de præfato argumento librum deliberavi. Ne vero actum agam, quæ alibi explanavi, non reducam in scenam, sed loca tantum indicabo, ubi legere illa poteris. Vitiorum expositioni dissertatio de virtutibus succedet, & de beatitudinibus, quia huc tandem omnia studia, & conatus nostri tendere debent.

CAPUT I.

Vitii, & peccati notiones communes, & peculiares.

I. VItii nomen a vitando arcessunt. Duplicem excipit significationem: alteram late acceptam, in quolibet defectu a regula naturali sitam; alteram presse spectatam pro morali recessu a rectæ rationis norma. Illa naturæ, aut artis, hæc morum vitia appellantur. Cum natura, vel artifex deficit a recta norma, improprie peccare dicitur contra peculiares naturæ, vel artis leges. Quando vero homo desciscit a rationis amussi, & legi æternæ adversatur, tunc vitium, & peccatum stricte acceptum committere perhibetur.

II. Vitium igitur seu peccatum in communi stricte acceptum describi potest; quod sit *perturbatio voluntaria naturæ rationalis in iis quæ mores respiciunt*. Vitium, & peccatum promiscue accipi solent. Differunt tamen sicut actus, & habitus. Nam peccatum proprie est actus malus moraliter; vitium vero prava dispositio suapte natura tendens & inclinans in officia moraliter mala. Vitium enim virtuti opponitur. Quoniam sicut virtus disponit animum secundum naturæ suæ convenientiam; ita vitium pervertit animum contra suæ naturæ regulas. Heinc S. Augustinus *Lib. III. de lib. arbitr. cap.* XIV. scribit: *Omne vitium eo ipso quod vitium est, contra naturam est. Si enim naturæ non nocet, nec vitium est . . . Nullius ergo rei recte vituperatur vitium, nisi cuius natura laudatur*. Flagitia enormia, ut sodomia, bestialitas &c. dicuntur contra naturam: quia non modo rationali, sed & ipsi animalium generi adversantur; ut S. Augustinus inquit: *Vitium est hominis, quod est natura pecoris*. Peccatum peius vitio est: quia qui male agit, peior illo qui solum est ad male agendum dispositus. Hæc omnia fusius 1. 2. *quæst.* lxxt. docet S. Thomas.

III. Quæst. I. *Quænam sit peccati finitio*? Resp. Hanc *Lib. XXII. contra Faustum cap.* XXVII. tradit S. Augustinus. *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*. Quam definitionem 1. 2. *quæst.* lxxi. *art.* 6. adoptat S. Thomas, inquiens: *Augustinus in definitione peccati posuit duo. Unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit*: Dictum, vel factum, vel concupitum. *Aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit*: Contra legem æternam. Hæc Augustini finitionis verba *dictum, factum, vel concupitum* omnia concludunt peccata cordis, oris, & operis. Altera particula, *contra legem æternam*, significat, omnia peccata, etiam quæ directe sunt contra humanas leges, æternam Dei legem violare. Quoniam inquit *Rom.* III. S. Paulus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo . . . . Itaque qui resistit potestati,*

Dei

Dei ordinationi resistit. Et Christus Dominus *Luc.* x. ait : *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Heinc patet, quam laxa, & merito damnata sit hæc quorumdam recentium Casuistarum doctrina : *Lex humana non obligat in conscientia*.

IV. Contra datam S. Augustini finitionem opponi solet, nec peccatum omissionis, nec peccatum habituale, nec peccatum originale in illa comprehendi. Cui oppositioni respondet *loc. cit. ad* 1. S. Thomas. *Adfirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus . . . . Et ideo pro eodem est accipiendum dictum, & non dictum, factum, & non factum*. Peccatum habituale actibus voluntatis gignitur; & ideo sub illis comprehenditur. Peccatum originale dici factum voluntarium in primi parentis voluntate potest. Sed de hoc infra.

V. Peccatum veniale non est proprie contra, sed præter legem Dei; ut optime *quæst.* VII. *de malo art.* 1. *ad* 1. docet S. Thomas. *Convenienter dicitur, quod peccatum veniale non est contra legem, sed præter legem : quia si in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsam corrumpit : quia non corrumpit dilectionem, quæ est plenitudo legis*.

VI. Quæst. II. *Quid, & quotuplex sit peccati macula*? Resp. Maculam in anima relinqui ex peccati commissione, Scriptura sancta *Isa.* IV. testatur : *Si abluerit Dominus sordes filiorum Israel*. Et S. Paulus ad *Tit.* 1. inquit : *Inquinatæ sunt eorum mens, & conscientia*. S. Iacobus *cap.* 1. subdit : *Abiicientes omnem immunditiam*. Ad peccandum concurrunt, inquit 1. 2. *quæst.* LXXXVI. *art.* 1. S. Thomas, actus intellectus, & voluntatis. Per voluntatis autem affectum, quo peccator afficitur erga terrenas voluptates, anima polluta, concupiscentiæ luto inquinata, & illecebrarum sordibus conspurcata remanet. Disputant autem Theologi, in quo sita hæc macula sit. Alii illam collocant in reatu ad pœnam ; sed reatus iste maculam consequitur. Alii in habitu relicto ex præterito actu ; verum macula unico actu producitur. Vera sententia maculam hanc collocat in privatione gratiæ cum ordine ad actum præteritum malum. Duplicem distingui maculam aiunt, quia duplicem animæ nitorem considerant. Primus nitor consurgit ex rationis lumine dirigente; secundus ex lumine supernaturali fidei, & gratiæ. Prima macula lumen rationis obscurat; secunda, expulso nitore, qui ex divina gratia refulgebat, divinæ inimicitiæ, seu aversionis a Deo, & conversionis ad creaturam imprimit horrendam notam, & deforme signaculum in anima peccatrice. Tertiam addunt maculam, quam peccatum veniale inducit, quæ caritatis fervorem imminuit, & decorem, atque pulchritudinem ex actibus caritatis refulgentem obnubilat.

C A-

CAPUT II.

De peccati divisione.

I. PRima peccati divisio est in originale, & actuale. Illud ex Adamo contrahitur; istud propria peccantis voluntate committitur. Peccatum personale rursus duplex est . Aliud actuale, & est ipse actus inordinatus, & difformis a moralitatis regulis; aliud habituale, & est macula remanens ex actu malo non retractato.

II. Secundo aliud est peccatum commissionis, quod in transgressione praecepti negativi consistit; aliud est peccatum omissionis contra praeceptum adfirmativum, quo omittitur actus bonus praeceptus. Peccatum commissionis absolute gravius est omissionis culpa, quia longius in illo ab ordine rationis receditur, ut per se patet : nam odium Dei peius est omissione amoris Dei ; & blasphemare Deum scelestius est quam non laudare Deum.

III. Tertio alia sunt peccata simpliciter talia ; alia sunt peccata in Spiritum sanctum. Haec sunt sex, nempe desperatio, praesumptio, impoenitentia , obstinatio, impugnatio veritatis cognitae, & invidentia fraternae gratiae. De his peccatis dicitur Matth. XII. *Non remittuntur neque in hoc saeculo, neque in futuro*. Peccatum in Spiritum sanctum est peccatum ex malitia procedens, quo reiiciuntur spiritualia dona gratiae. Dona haec proprie attribuuntur Spiritui sancto, qui amor Patris est, & Filii vi processionis suae. Dicitur vero hoc peccatum irremissibile, si malitia illius spectetur; ut S. Thomas 2. 2. *quaest.* XIV. *art.* 3. explicat, inquiens: *Sicut aliquis dicitur morbus incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id per quod morbus potest curari; puta cum morbus tollit virtutem naturae, vel inducit fastidium cibi, & medicinae; licet talem morbum Deus possit curare : ita etiam peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile , secundum suam naturam , in quantum excludit ea per quae fit remissio peccatorum . Per hoc tamen non praecluditur via remittendi, & sanandi omnipotentiae , & misericordiae Dei , per quam aliquando tales, quasi miraculose, spiritualiter sanantur.*

IV. Quarto alia vocantur peccata carnalia, alia spiritualia. Animadvertit ex S. Gregorio Angelicus 1. 2. *quaest.* LXXI. *art.* 2. in argumento prolusorio, quod *septem capitalium vitiorum quinque sunt spiritualia, & duo carnalia*. Illa consummantur in delectatione spirituali, ut superbia, invidia, avaritia &c. haec sistunt in delectatione carnali, ut luxuria, & gula. Haec autem capitalia crimina sunt septem, nempe superbia seu inanis gloria, invidia, avaritia, ira, luxuria, gula, accidia.

V. Quinto, alia sunt peccata propria , quae ipse peccans committit ; alia vero aliena : aliena autem vocantur ea quae alii patrant, sed nostro consilio, iussu ,

pa-

patrocinio, adulatione, dissimulatione, silentio vitioso, omissione correctionis, aliisque modis.

VI. Sexto alia sunt peccata cordis, oris, & operis. Hanc divisionem fuse 1. 2. *quæst.* lxxii. *art.* 7. exponit S. Thomas, inquiens: *Iracundus enim ex hoc quod appetit vindictam, primo quidem perturbatur in corde, secundo in verba contumeliosa prorumpit, tertio vero procedit usque ad facta iniuriosa: & idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato.* Præterea alia sunt peccata ignorantiæ, alia infirmitatis, alia malitiæ.

VII. Septimo dividitur peccatum in ea quæ sunt contra Deum, contra proximum, & contra seipsum. Utique omnia peccata iniuriam Deo inferunt; tamen aliqua sunt quæ modo peculiari Deo adversantur, quatenus recta impetunt virtutes illas quæ pro obiecto Deum habent, ut fides, spes, caritas, religio. Peccata contra proximum illa dicuntur quæ violant virtutes proximum respicientes, iustitiam, misericordiam &c. Peccata contra seipsum illa vocantur quæ violant virtutes institutas ad proprias passiones moderandas. Fuse & perspicue 1. 2. *quæst.* lxxii. *art.* 4. S. Thomas has tres peccatorum species distinguit, concluditque: *Unde hæc distinctio peccatorum est secundum diversas peccatorum species: nam & virtutes, quibus peccata opponuntur, secundum hanc differentiam specie distinguuntur. Manifestum est enim ex dictis quod virtutibus theologicis homo ordinatur ad Deum, temperantia vero, & fortitudine ad seipsum, iustitia autem ad proximum*. Tandem dividitur in peccatum mortale, & veniale: quam divisionem mox explicabo.

CAPUT III.

De distinctione peccati mortalis a veniali.

I. Difficillimam, & scitu perquam necessariam quæstionem aggredior dispiciendam. Pauca prius delibabo quæ certa sunt apud Catholicos. Lutherani, & Calvinistæ propugnant, omnia peccata esse mortalia natura sua, cum hoc solo discrimine, quod in electis & prædestinatis flagitia etiam gravissima sint venialia, quia illis non imputantur ob fiduciam quam in Dei misericordia habent; contra contendunt in reprobis minima venialia esse peccata mortalia. Michael Baius inter plures theses, a S. Sede apostolica damnatas, hanc docuit: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

II. De fide est, dari peccata natura sua venialia a mortalibus distincta; ut definivit Concilium Tridentinum *sess.* xiv. *cap.* xxiv. Ostendit hanc veritatem 1. 2. *quæst.* lxxii. S. Thomas. Præterea *Matth.* vii. peccata alia festucæ assimilantur, quæ sunt venialia; alia trabi, quæ mortalia dicuntur, sive in prædestinatis sint, sive in reprobis. Adamo *Gen.* ii. dictum est: *In quocumque die comederis ex eo, mor-*

morte morieris. Peccatum Adæ mortiferum fuit : & tamen Adam prædestinatis adscriptus est, sicut & David, & Petrus, qui gravia patrarunt delicta. De iustis dicitur Prov. XXIV. *Septies cadit iustus*. Apostolica quoque traditione hæc veritas constat, ut testimonia SS. Cypriani *serm. de eleemos.* Ambrosii *Lib. II. de pœnit. cap.* X. Augustini *serm.* 50. *ex Lib.* 50. *homil.* Gregorii *Lib. XXI. Mor. cap.* IX. Bernardi *ser.* 1. *in cœn. Dom.* Thomæ *loc. cit.* evincunt. Heinc Tridentinum *sess.* VI. *cap.* XI. inquit : *Licet in hac mortali vita quantumvis sancti & iusti in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti*,

III. Opponunt illud Matth. V. *Si quis solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*, idest nullus, ut interpretatur S. Thomas. Respondetur, textum adductum truncum esse. Nam ibi additur : *& docuerit sic homines*. Adulterare autem verbum Dei peccatum grande est. Præterea mandata illa minima vocantur comparate ad alia graviora. Plura alia ex Patribus obtrudunt, quæ, utpote nullius momenti, prætereo.

IV. Convenit quoque penes omnes Theologos catholicos, multipliciter mortale & veniale inter se differre. Nam peccatum mortale essentialiter est aversio a Deo, & conversio ad creaturam tamquam ad ultimum finem. Hoc essentiale est cuique peccato mortali. Heinc profluunt cetera, quod peccatum mortale expellat gratiam sanctificantem, quod destruat amicitiam Dei, quod detrudat in orcum. Contra, peccatum veniale non avertit hominem ab ultimo fine, nempe Deo : quia non est simpliciter contra legem, sed secundum quid, seu est præter legem, non corrumpit gratiam sanctificantem, nec caritatem, sed eiusdem fervorem minuit.

V. Sex potissimum sunt quæ adscribuntur peccato mortali. 1. solvit amicitiam cum Deo, corrumpit gratiam, & caritatem, omnesque virtutes morales infusas. 2. parit animæ mortem. 3. infert peccatori malum aliquo modo infinitum. 4. malum est natura sua irreparabile. 5. est offensa Dei infinita. 6. peccatorem æternum damnat. Et hæc omnia manant ex aversione a Deo.

VI. Dividunt quoque Theologi peccatum mortale, & veniale in illud quod est tale *ex genere*, & in illud quod est tale *per accidens*. Peccatum mortale ex genere illud est quod ex se opponitur caritati Dei, & proximi ; ut sunt ea quæ opponuntur fidei, spei, caritati, & iustitiæ. Peccatum veniale *ex genere* illud vocant quod ex se non opponitur caritati Dei, & proximi; ut mendacium simplex, verbum iocosum, risus immoderatus &c. Peccatum mortale, vel veniale *per accidens* vocant illud quod vel ex mortali fit veniale, aut ex veniali mortale.

VII. Quæst. I. *Quomodo peccatum mortale possit transire in veniale?* Resp. Duobus modis. Primo ex imperfecta deliberatione, & consensu, inquit 1, 2. *quæst.* LXXXVIII. *art.*

art. 6. S. Thomas. *Potest tamen id quod ex genere est mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus.* Ad peccatum enim requiritur libertas. Ergo quoties non adest deliberata voluntas, non potest esse peccatum mortale. Secundo peccatum mortale fit veniale ex parvitate materiæ; ut si quis levem rem furetur. Peccata venialia prioris generis periculosa sunt, quia plena deliberatio, consensus, & advertentia nobis sæpe occulta sunt.

VIII. Plura sunt peccata quæ parvitatem materiæ non admittunt. Eiusmodi sunt infidelitas, odium Dei, simonia, periurium, & alia quæ directe Deo adversantur.

IX. Unde cognoscemus materiam gravem esse, aut levem? Rem difficillimam postulasti. Præcipuæ regulæ quæ a Theologis assignantur, sunt istæ. 1. Materia tunc gravis reputatur, quando actus præceptus valde conducit ad caritatem aut Dei, aut proximi: si contra parum conferat, levis reputabitur. 2. Si res præcepta, tametsi in se levis sit, nihilominus multum conferat in legislatoris finem, gravis existimanda est. 3. Videndum, si materia præcepta suscipiat magis & minus: si enim non admittit materiæ parvitatem, tunc reputanda materia gravis est: si vero parvitatem materiæ admittat, tunc spectanda est persona peccans, finis legis, seu ordo ad legem ipsam, & conditio personæ peccantis. Interdum enim quod est veniale in subdito, est mortale in Superiore.

X. Quæst. II. *Quomodo veniale possit fieri mortale?* Resp. Hanc quæstionem S. Thomas 1. 2. *quæst.* LXXXVIII. *art.* 4. distincte enucleat his verbis. *Dicendum, quod peccatum veniale fieri mortale, potest tripliciter intelligi. Uno modo sic, quod idem actus numero primo sit peccatum veniale, & postea mortale. Et hoc esse non potest: quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, sicut & quilibet actus moralis. Unde non dicitur unus actus moraliter, si voluntas mutetur, quamvis etiam actio secundum naturam sit continua: si autem voluntas non mutetur, non potest esse quod de veniali fiat mortale.*

Alio modo potest intelligi, ut id quod est veniale ex genere, fiat mortale: & hoc quidem possibile est, in quantum constituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum sicut ad finem, ut dictum est.

Tertio modo potest intelligi ita, quod multa venialia peccata constituant unum peccatum mortale. Quod si sic intelligatur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter constituatur unum peccatum mortale, falsum est. Non enim omnia peccata venialia de mundo possunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale. Quod patet ex parte durationis: quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ, peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis, ut dictum est .... Patet etiam ex parte pœnæ damni: quia peccatum mortale meretur carentiam visionis divinæ, cui nulla alia

alia pœna comparari potest, ut Chrys. dicit . . . . Patet etiam ex parte pœnæ sensus, quantum ad vermem conscientiæ; licet forte quantum ad pœnam ignis non sint improportionabiles pœnæ.

Si vero intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt unum mortale dispositive, sic verum est, sicut supra ostensum est . . . . secundum duos modos dispositionis, quibus peccatum veniale disponit ad mortale.

XI. Idem itaque actus numero moraliter acceptus nequit esse successive mortale, & veniale: quia peccatum mortale, & veniale specie essentiali distinguuntur: ergo idem numero actus moralis nequit transire ex veniali in mortale. Idem vero actus physicus successive potest ex veniali immigrare in mortale. Siquidem incipere cum semiplena deliberatione valet, & per continuationem potest evadere plene deliberatus. Fieri quoque ex veniali mortale potest, si in eo constituatur ultimus finis: quod dupliciter evenire potest. 1. formaliter, & directe; puta cum quis ex errore putat tale obiectum esse ultimum finem. 2. interpretative, & virtualiter, quando ita diligit illud obiectum, & est ita affectus ac dispositus, ut illud diligeret, & eligeret, etiamsi peccatum mortale committendum esset.

XII. Quæst. III. *Plura peccata venialia conflare ne unum peccatum mortale possunt?* Resp. Negat S. Thomas *loc. cit.* cui subscribunt omnes Theologi. *Quod si sic intelligatur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter constituatur unum peccatum mortale, falsum est.* S. Augustinus *tract.* XII. In Ioannem hæc scribit. *Plura minuta peccata, si negligantur, occidunt; quemadmodum minuta grana arenæ, si multa sunt, premunt, atque opprimunt; & aqua paullatim per sentinam intrando, si non exhauriatur, mergit navim.* Quæ verba intelligenda sunt *dispositive*, inquit *loc. cit.* S. Thomas. Altius tamen animo infigenda sunt, ut ab his repetitis & quotidianis maculis caveamus. Pluries labuntur iusti ex subreptione, infirmitate, & inadvertentia. Nisi a deliberatis his culpis abstineamus diligenter, periculum est ne repetitæ guttæ ad submersionem navim disponant. Scotus cum aliis docet peccatum mortale esse contra præcepta, veniale contra consilia. Sed hæc distinctio merito ab omnibus reiicitur: idcirco obiter eiusdem memini.

XIII. Hactenus facilia, quæ Theologi disputare hoc de argumento solent, perstrinxi. Verum quæ mihi summum facessunt negotium, sunt illa peccata quæ fixa, & circumscripta confinia non habent, & quisque pro ingenio venialia reputat. Aliqui Probabilistæ veluti regulam constituunt, illa esse mortalia quæ tu mortalia existimasti, ea venialia quæ tu pro venialibus habes: quæ regula commentitia & arbitraria est. Alii consuetudinis larva plura inhonesta fucant, quia omnes sic faciunt, & quis non facit? S. Augustinus, licet summo præditus ingenio, *Lib. Enchir. cap.* LXXVII. *& seq.* testatur, difficillimum non raro esse secernere a venialibus mortalia, sic inquiens. *Quæ sint autem levia, & quæ gravia pec-*

peccata, non humano, sed divino sunt pensanda iudicio . . . Putari posset non esse peccatum misceri coniugi, non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, ut adulterii, sive cuiusquam alterius immunditiæ mortiferum malum devitet infirmitas. Quis autem esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritas fateatur? . . . Sunt autem quædam quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, Fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? Aut quis æstimaret, quam magnum peccatum sit dies observare, sicut observant qui tertis diebus, sive mensibus, sive annis volunt, vel nolunt aliquid incohare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta, vel infausta existimant tempora, nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus? qui talibus ait: Timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis. *Hinc accidit quod peccata cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur. Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus.*

XIV. Quis in præsens conscientiæ sibi verti theatrorum, comœdiarum, chorearumque frequentiam? Ambitio, luxus, pompæ plusquam paganicæ iam in consuetudinem abiere. Qua, quæso, ratione cum evangelico pudore & modestia componi nuditas mulierum christianarum potest? Obiter pauca indicabo quæ P. Michael Elizalde *Part. III. Lib. VIII. quæst.* XIII. *§. 9.* scribit. „ Hinc certe videas, „ quam sit absurdus, & a christiana professione, & sanctitate alienus habitus feminarum nostrarum, & scotaturæ quas appellant: quam dissonantiam, absurditatemque dupliciter intelligere possunt. Primo collatione ad feminas cultiorum saltem gentium, Romanas, vel Athenienses, quæ vix plus ausæ videntur, „ explicaturque facile Seneca: ac pudor ipse naturalis non prorsus barbararum „ feminarum arcet ne plus se denudent . . . Excusant se aliæ per alias, sed committitur circulus vitiosus, & obiter intelligitur etiam dissonantia ex verbis. „ Nam aliter tenentur loqui feminæ christianæ: & idcirco plurimæ nefas existimarent, si ea nominarent quæ Apostolus Paulus ante memorabat, ideoque non „ nominant. At eadem lege iussæ sunt ad honestatem operum, & corporum, sicut verborum; & peccarent in motibus, & gesticulationibus parum pdicis, sic-u „ ut in verbis, & in nuditate. Ac denique consideratis his quæ Apostoli Petrus „ & Paulus, & sancti Patres, Theologique circa hoc afferunt; statuendum est, „ profanitatem demum aliquam esse in hoc genere, nuditatem item aliquam, „ quin ad extremam impudentiam accedat, quæ proculdubio peccatum mortale „ sit. Denudent se ergo eousque feminæ. Profecto non video, unde concludere „ possemus, illud plus esse mortale, si quod nunc in more habent, mortale non „ sit: & qualiter modo argumenta solvantur, tunc eodem prorsus modo solverentur. Stupemus vero, quomodo tantopere quotidie communicare, & sanctam &

„ im-

„ immaculatam hostiam, Deum vivum & verum accipere suadeantur, quin in
„ his & aliis tangantur quidquam. "

XV. Acriter alibi adversus tam pravas corruptelas invecti sumus: idcirco, ne plus iusto a via digrediamur, concludendum est, consulendas Scripturas sanctas, præsertim novum testamentum, ut inde colligamus quæ christianam professionem dedecent. Legendi Patres, audiendus intimus conscientiæ iudex, ut ea caveamus quæ vel mortiferas, aut periculosas insidias animabus nostris struunt.

CAPUT IV.

De peccato originali.

I. DE peccato originali, eiusque effectibus plura scripsi *Tom. I. Appar. diss.* 1. Verum quia adeo ampla materia est, ut exhauriri vix possit, lubet nonnulla breviter delibare. Animadvertit S. Augustinus, notitiam peccati originalis, & fidem humanæ redemptionis per Christum, esse duos præcipuos christianæ religionis cardines. *Vide* (inquit epis. lxxxix.) *quemadmodum unum, & unum, idest Adam, & Christus venerit in carne, ut sciamus etiam antiquos iustos, quicumque esse potuerunt, nonnisi per eamdem fidem fuisse liberatos, per quam liberamur & nos, scilicet incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur.* Indicavi *loc. cit.* Pelagianos negasse peccatum originale, quorum hæresim pluries damnavit Ecclesia: & postremo Tridentinum contra Anabaptistas, & Zuinglianos *sess.* v. *can.* 11. eamdem hæresim profligavit his verbis. *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse . . . . aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod est mors animæ; anathema sit.* Scripturarum itaque, & Patrum testimonia, quæ peccati originalis existentiam evincunt, prætereo; cum veritas iam sit extra controversiam constituta; & aliqua *loc. cit.* adduxerim.

II. Quæst. I. *In quo sita est natura & essentia peccati originalis?* Resp. S. Augustinus sapienter more suo *Lib. de mor. Eccl. cap.* xxii. scribit: *Hoc peccato antiquo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Heinc est quod variæ sint & hæreticorum, & Catholicorum de hac re sententiæ. Mathias Illiricus Lutheranus docuit, peccatum originale esse quamdam substantiam malam a dæmone productam. Lutherani, & Calvinistæ defendunt, peccatum originale esse formaliter ipsam concupiscentiam, & quamdam pravitatem in omnes animæ partes diffusam. Heinc concludunt, peccatum originale per baptismum non deleri, sed tegi tantum.

III. Ut Lutheranorum, & Calvinistarum error clarius pateat, duplex distin-

guen-

guenda est concupiscentia, actualis, & habitualis. Actualis sunt actus indeliberati, & perturbati contra rationem; habitualis est naturalis propensio ad bonum privatum. Hanc habitualem propensionem sub triplici aspectu Theologi considerant. 1, quatenus convenit naturæ rationali. 2. ut est perturbatio virium animæ. 3. prout est inordinatio membrorum corporis, vel animæ, qua propensa vitiose est ad voluptates carnis ex tactu captas. Paucis hæc 1. 2. *quæst.* lxxxii. *art.* 3. *ad* 1. docet S. Thomas. *Quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, intantum concupiscere est homini naturale, inquantum est secundum rationis ordinem. Concupiscentia autem quæ transcendit limites rationis, inest homini contra rationem: & talis est concupiscentia originalis peccati.*

IV. Ex catholicis Henricus Gandavensis, & Gregorius Ariminensis peccatum originale constituunt in morbida qualitate, quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam. Albertus Pighius, & Catharinus peccatum originale reponunt in denominatione extrinseca, ab Adæ prævaricatione, seu actuali peccato manante. Alii docent, peccatum originale materialiter esse privationem iustitiæ originalis inadæquate acceptæ; formaliter vero esse ipsum peccatum Adæ, quod omnes in eo commisimus. Alii defendunt, formaliter esse ipsam privationem iustitiæ originalis. En quam verum sit quod dixit S. Augustinus, nihil esse peccato originali ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum occultius. Paucis amplam controversiam perstringam.

V. Misso errore Illirici, quem vel ipsi Novatores communiter explodunt, nempe peccatum originale esse substantiam malam a diabolo productam (omnis enim substantia bona est, & a Deo creata: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: Ioan. 1.) misso, inquam, hoc nimium crasso errore, de fide est, peccatum originale non esse ipsam concupiscentiam, ut definivit Tridentinum *sess.* v. *can.* v. ubi inter cetera hæc habentur. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Opiniones quoque Ariminensis de qualitate morbida, & Pighii, atque Catharini de extrinseca denominatione, ut fictitia & arbitraria commenta, communiter Theologi reiiciunt. His ergo brevissime indicatis, ad propositum quæsitum respondeo.

VI. Peccatum originale consistit in privatione iustitiæ originalis, ut voluntaria nobis in capite, seu vi peccati Adæ. Tria importabat iustitia originalis, 1. subiectionem rationis ad voluntatem Dei, 2. subiectionem virium inferiorum ad rationem, 3. subiectionem corporis ad animam. Hanc sententiam docet 1. 2. *quæst.* lxxxii. *art.* 3. S. Thomas, cui subscribunt communiter Thomistæ, paucis exceptis.

ptis. Hæc ſunt verba Angelici. *Dicendum, quod unumquodque habet ſpeciem a ua forma. Dictum eſt autem ſupra . . . . quod ſpecies peccati originalis ſumitur ex ſua cauſa. Unde oportet quod id quod eſt formale in originali peccato, accipiatur ex parte cauſæ peccati originalis. Oppoſitorum autem oppoſitæ ſunt cauſæ. Eſt igitur attendenda cauſa originalis peccati ex cauſa originalis iuſtitiæ, quæ ei opponitur.*

Tota autem ordinatio originalis iuſtitiæ ex hoc eſt quod voluntas hominis erat Deo ſubiecta. Quæ quidem ſubiectio primo & principaliter erat per voluntatem, cuius eſt movere omnes alias partes in finem, ut ſupra dictum eſt . . . . Unde ex averſione voluntatis a Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis iuſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali ſicut quiddam materiale. Inordinatio autem aliarum virium animæ præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile. Quæ quidem inordinatio communi nomine poteſt dici concupiſcentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter vero eſt defectus originalis iuſtitiæ.

VII. Quæſt. II. *Quomodo peccatum originale ſit poſteris voluntarium?* Reſp. Eſt nobis voluntarium, non formaliter per modum exercitii, quia non eſt peccatum actuale, ſed terminative, virtualiter, & in cauſa, per modum effectus, non phyſice, ſed moraliter, quatenus voluntates noſtræ continebantur ex divina ordinatione in voluntate Adami omnium poſterorum capitis. Quod hoc peccatum non ſit nobis voluntarium per modum exercitii, patet. Peccatum enim originale non eſt actuale, ſed habituale, ex Adami peccato inductum. Peccatum autem habituale eſt voluntarium terminative: ergo & originale. Quod non fuerit nobis voluntarium phyſice, ſed moraliter, ſimiliter manifeſtum eſt: quia non phyſice, ſed moraliter voluntates noſtras Adam, ut caput humani generis a Deo inſtitutum, continebat. Hoc exemplo 1. 2. *quæſt.* lxxxi. *art.* 1. exponit hanc doctrinam S. Thomas. *Multi homines ex Adam derivati ſunt tamquam multa membra unius corporis. Actus autem unius membri corporalis, puta manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, ſi conſideraretur manus ſecundum ſe, ut diviſa a corpore, ſed imputatur ei, inquantum eſt aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes qui ex eius origine derivantur; ſicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum.* Spectandus itaque Adam eſt & ut perſona particularis, & ut caput totius huma-

mani generis a Deo constitutum. Porro licet peccatum illius ut personæ particularis non fuerit posteris voluntarium; ut tamen illud commisit quatenus caput humani generis, omnibus voluntarium fuit. Plura & opponi, & disputari hac de re a Theologis solent. Verum hoc in argumento fides habere locum debet. Præterea quæ subtiliter a Theologis disputantur, nihil ad morum informationem conferunt.

VIII. Faciliora non sunt quæ propagationem huiusce originalis peccati spectant. S. Augustinus *Lib. V. contr. Iul. cap.* 111. de hac traductione loquens ait: *Hic libentius disco quam dico, nec audeo docere quod nescio*. S. Thomas 1.2. *quæst.* lxxx1. *art.* 4. hoc pacto hanc peccati originalis in posteros traductionem exponit. *Peccatum originale a primo parente traducitur in posteros, inquantum moventur ab ipso per generationem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale. Non autem est motio ad generationem, nisi per virtutem activam in generatione. Unde illi soli peccatum originale contrahunt qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam; quod est secundum seminalem rationem ab eo descendere: nam ratio seminalis nihil aliud est quam vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifestum est quod vir activa non derivaretur ab Adam: unde non contraheret peccatum originale: sicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, si manus non moveretur a voluntate hominis; sed ab aliquo extrinseco movente*. Cetera quæ dici possent, fuse apud Theologos discussa invenies.

IX. Explicandæ nunc essent pœnæ, & effectus peccati originalis, cum horum accurata notitia admodum conducat ad mores informandos, & ad opportunam necessariamque remediorum applicationem. Verum hæc omnia sigillatim descripsi *Tom. I. Appar. diss.* 1. quæ ibi legere poteris, ne actum agam.

CAPUT V.

De peccato commissionis, & omissionis.

I. QUæst. I. *Peccatum commissionis consistit ne in aliquo positivo, vel privativo?* Resp. Theologi scholastici prolixam hoc de argumento controversiam instituunt. Thomistæ ipsi inter se dissident. Ab instituto meo multum aberrarem, si huic me immiscerem certamini, quod moribus formandis nihil confert, & in utramque disputari partem, salva morum integritate, valet. Ex Thomistis Sylvius, Ferre, Bancel, Contensonius, & alii defendunt, peccatum commissionis consistere in privativo. Contra Capreolus, Ferrariensis, Caietanus, Ioannes a S. Thoma, Serra, Salmanticenses, Gonet, & alii propugnant, essentiam peccati commissionis sitam esse in positivo. Utraque pars testimonia allegat S. Thomæ, quæ videntur decre-

toria. Prior opinio mihi videtur probabilior. At, ne otio abutar, argumenta, quibus fulcitur præfata opinio, cum obvia sint apud laudatos Theologos, indicta prætermitto.

II. Quæst. II. *In quo situm sit peccatum omissionis?* Resp. Communis tum Scholasticorum, tum Moralistarum sententia illud collocat in carentia, seu prætermissione actus præcepti. Nullus quippe actus positivus illius essentiam ingreditur, cum per hoc distinguatur a peccato commissionis. Requiritur tamen actus qui sit caussa, vel occasio omissionis, ut 1. 2. *quæst.* lxxi. *art.* 5. docet S. Thomas: quamvis hoc alii negent. Similiter Scholastici disputant, num omissio possit absque præcepto esse voluntaria, quando non est directa. Omnes quippe fatentur, posse quemlibet absque præcepto velle positive, & directe omittere voluntarie aliquem actum. Sed dissertant de omissione indirecte voluntaria, quando nempe aliquis advertens ponit aliquem actum qui stare simul non potest cum actu qui omittitur. Quis practice advertit, die feriato mox Missam celebrandam, & eligit pro illo tempore ludum, qui simul cum auditione Missæ componi nequit. De hac omissione disputant, utrum absque præcepto possit esse voluntaria. Alii adfirmant, alii negant. Omnes tamen loquuntur de omissione inculpata: nam certum est, neque omissionem, neque effectum ad illam secutum esse culpabiles absque lege, vel præcepto. Sententia adfirmans videtur probabilior. Verum quia & hæc quæstio pure scholastica est, ab eiusdem discussione abstineo.

III. Peccatum commissionis, & omissionis, dum idem motivum formale spectant, sunt in genere moris eiusdem speciei. Peccata enim specie distinguuntur ex motivis specie diversis. Ergo quando idem est motivum tam commissionis, quam omissionis, eadem quoque est malitiæ species, ut docet S. Thomas 1. 2. lxxii. *art.* 6.

IV. Quæst. III. *Quomodo vitientur actus qui ad omissionem culpabilem concurrunt?* Resp. Ut iam mox supra indicavi, quamvis actus positivus non ingrediatur essentiam omissionis, requiritur tamen actus, iuxta probabiliorem sententiam, qui sit aut caussa, aut occasio illius. Porro actus eiusmodi, licet absolute, & secundum se boni sint; nihilominus, prout sunt caussa vel occasio omittendi actum præceptum, mali evadunt. Qui enim libere vult caussam omissionis pravæ, vult ipsam omissionem: ergo qui libere ponit talem caussam, peccat. Quare si quis deliberate omitteret auditionem Missæ die festo, vel ieiunii observantiam præceptam propter ludum, aut venationem, aut studium, non solum mala esset omissio audiendi Sacri, vel ieiunandi, verum etiam malum studium, vitiosa venatio, pravus ludus. Disputant vero Theologi, num actus qui nullo modo sunt caussa, vel occasio omissionis pravæ, sed eam tantum comitantur, sint vitiosi? Quis decernit non audire Sacrum: post hanc deliberationem, tempore quo implere præceptum deberet, dat operam studio, ludo &c. Ludus, aut studium, tali tempore peracta, sunt,

funt, ne mala? Negat probabilior, & mihi vera fententia. Quoniam cum eiusmodi actus non fint caussa, nec occasio omiffionis culpabilis, non est unde malitiam accipiant.

V. Difficultas eft, quinam actus dicendi fint concomitantes. Aliqui contendunt, illos eiufmodi efse qui componi cum ipfa præcepti obfervatione valent; ut recitatio precum, quæ fimul cum auditione Sacri fundi pofsunt: actus vero qui componi non pofsunt cum obfervatione præcepti, ut ftudium, deambulatio, & cetera plura, non concomitantes volunt, fed vere influentes in omiffionem, atque adeo culpabiles. Sed hæc opinio falfa eft. Nam plures funt actus qui exiftere fimul cum obfervantia præcepti nequeunt, & tamen vitiofi non funt. Quis deliberavit non audire Sacrum: domi remanet, inftruit ignorantes, diftribuit eleemofynam, ftudio vacat, affiftit infirmis. Actus ifti ftare nequeunt cum Sacri auditione. Numquid mali funt? Unde malitiam accipiunt? Ifti in omiffionem non influunt, cum omiffio illos præcedat. Advertendum tamen, minime fat efse deliberationem præcedere, ut actus concomitantes dicantur; fed necefse eft ut actus qui dicitur concomitans, fubfequatur totam caufsam omiffionis tum internam, tum externam: nam fi folum fubfequatur ad deliberationem internam, non vero ad externam, concomitans non dicitur. Do exemplum. Clericus navigans decrevit firmiter omittere horas canonicas. Poft hanc efficacem deliberationem omittendi recitationem horarum proiicit Breviarium in mare. Hæc proiectio culpabilis eft: quia licet fubfequatur ad internam deliberationem omiffionis, tamen hæc interna deliberatio non eft caufsa integra & tota omiffionis. Poteft enim Clericus retractare hanc deliberationem, & præceptum implere. Proiectio ergo Breviarii complet extrinfecam omiffionis caufsam: idcirco vitiofa eft. Similiter quis deliberavit die dominico non audire Sacrum: prope meridiem fe dat fomno, aut venationi. Peccat, quia extrinfecus fe impotentem conftituit ad præceptum implendum. Tunc ergo folum actus dicuntur concomitantes omiffionem, quando fubfequuntur ad totam caufsam tum intrinfecam, tum extrinfecam omiffionis. Hoc enim in cafu influere in omiffionem nequeunt; cum effectus a duplici totali caufsa produci non poffit. Contra, licet caufsa intrinfeca, puta deliberatio omittendi Sacri, præcedat; tamen quia poteft fingulis momentis hæc deliberatio retractari, ideo fi arripiatur venatio, quæ impediat redire ad Ecclefiam, hic actus eft culpabilis, quia complet cauffam adæquatam & extrinfecam omiffionis Sacri. Atque adeo actus non eft concomitans, fed influens in omiffionem. Quando ergo, inquies, actus qui coniungi nequit cum obfervantia præcepti, dicetur concomitans, & non influens in omiffionem? Iam dixi, quando nempe actus fupponit cauffam tum intrinfecam, tum extrinfecam completam. Rem exemplo declaro. Decrevifti non audire Sacrum die dominico. Iter arripis eo, ubi nullo modo audire amplius Sacrum vales. En completam adæquatam omiffionis

nis caussam. Ibi tempore Sacri das operam venationi, piscationi, ludo: hi actus sunt vere concomitantes, licet componi cum auditione Sacri nequeant: quia nullo modo influunt in omissionem. In loco enim es ubi auditio sacri non est amplius possibilis.

VI. Quæst. IV. *Actus qui est caussa omissionis culpabilis, habet ne malitiam distinctam ab ipsa omissione?* Resp. Adfirmant aliqui: quia qui ob studium omittit Sacrum, laborat inordinato affectu studendi. Ergo præter malitiam omissionis Sacri habet aliam, nempe huius pravi affectus. Communis, & vera sententia negat: quia studium in casu posito ideo est malum, quia est caussa omittendi Sacri. Ergo solam omissionis malitiam contrahit. Qui furatur, ut det eleemosynam, peccat contra iustitiam, secus contra virtutem misericordiæ. Nisi ergo actus qui sunt omissionis caussa, sint sua natura pravi, habeantque peculiarem malitiam, non contrahunt pravitatem ab omissione culpabili distinctam. Alioquin qui omitteret Sacrum ob studium, magis peccaret quam qui otii caussa illud negligeret. Actus præfati omittendi Sacrum, & studendi sunt subordinati, & moraliter concurrunt ad unum conflandum peccatum; licet malitiæ sint numero distinctæ. Sic actus voluntatis furandi, consilii, iudicii, electionis, imperii, & usus, unicum furti peccatum conflant, quia omnes in idem tendunt. Ad argumentum oppositæ opinationis dicimus, tunc solum studium evadere nimium & inordinatum, cum instat præceptum audiendi Sacrum, quod omittitur propter studium: si enim præceptum non urgeret, studium non esset vitiosum, ut supponitur. Actus qui est omissionis caussa, est ne peccatum commissionis, an omissionis? Si actus absolute spectetur, est commissionis; moraliter vero acceptus est peccatum omissionis. Quando actus qui est omissionis caussa, habet mortalem malitiam distinctam, ut quando quis Sacrum omittit propter furtum; tum simul, & non seorsim confitenda sunt ambo peccata.

VII. Quæst. V. *Qui ponit culpabiliter caussam omissionis, peccat ne non solum quando ponit caussam culpabilem, sed etiam quando contingit omissio, si tunc non sit sui compos?* Resp. Quæstio proposita duas habet partes. Prior facilis est, secunda difficilior. Ut a faciliori ergo incipiam, quando quis libere caussam ponit, quam sequitur omissio culpabilis, peccatum incipit tempore quo libere ponit caussam, consummatur vero tempore quo urget præceptum. Nam qui directe omittere Sacrum vult, iuxta omnes peccat tempore quo hunc deliberatum actum elicit. Qui deliberate ponit caussam impedientem auditionem Sacri, indirecte vult non audire Sacrum: ergo peccat. Si qui se periculo peccandi exponit, peccat; potiori iure peccat qui libere ponit caussam quam peccatum consequi moraliter certus est. Qui enim vult causam, saltem indirecte vult effectum. Causæ positio voluntaria est: ergo mala. Immo qui scienter, aut ignorantia culpabili ponit causam omissionis,

tunc

tunc peccat, etiamsi omissio non sequatur. Et quando post positam caussam manet liber ad implendum præceptum, denuo peccat, si non implet. Quin si factus sit impotens ad implendum præceptum, si non retractat caussam culpabilem, peccat, dum reipsa omittit actum præceptum. Testimonia quæ ex S. Thoma opponi solent, solum evincunt, peccatum compleri, & consummari, dum urget præceptum, & exterior omissio sequitur; ut mox clarius patebit.

VIII. Secunda pars difficilior est, num videlicet omissio culpabilis imputetur ebrio, aut dormienti tempore ebrietatis & somni, eo quod libere posita fuit caussa talis omissionis, puta non audiendi Sacrum. Duplex est opinio. Altera negans, adfirmans alia. Primum omnium improbanda est opinio manifeste laxa plurium Probabilistarum, qui docent, blasphemias, & periuria ex consuetudine, impediente actualem advertentiam, non esse nova peccata, sed esse tantum peccata in caussa generante habitum, & consuetudinem pravam. Quam laxissimam opinationem *Tom. II. Appar.* profligavi. Quoniam habituati, & consuetudinarii possunt singulis momentis advertere, si velint, ad malitiam. Vide *loc. cit. diss.* 1. In præsentia difficultas gravis est de ebrio, vel dormiente: quia in tali statu ebrius, vel dormiens non potest advertere, cum actu compos sui non sit.

IX. Prima sententia negat, ebrium, aut dormientem peccare peccato omissionis, dum tempore ebrietatis, aut somni omittit præceptum. Quoniam tunc non est illi voluntaria talis omissio: ergo non adiicit novam malitiam positioni caussæ culpabilis. Voluntas enim tempore omissionis non perseverat libera; nec ullum exercitium liberum præstare valet. Hæc opinio probabilis est.

X. Secunda sententia communior, & probabilior defendit, omissionem voluntariam in caussa culpabili imputari omittenti, & esse in se peccatum tempore quo urget præceptum; quamvis tunc ob ebrietatem, vel ob somnum impedire eam nequeat. Quoniam ad peccatum sufficit voluntarium, & liberum in caussa, in qua prævideatur omissio. Dum enim in caussa prævidetur omissio, est voluntaria in caussa. Ergo culpabilis in se est, dum evenit. Pluribus exemplis hanc sententiam confirmant Theologi. Nam cap. *Mulieres* de sent. excom. habetur, quod si quis voluntarie se inebriet, prævideatque se occisurum Clericum, contrahat excommunicationem, secuta occisione. Similiter qui prævidet ex caussa libere posita futuram pollutionem in somnis, pollutio ipsa peccatum est, ut *III. Part. quæst.* lxxx. *art.* 7. docet S. Thomas. *Quamvis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata peccatum mortale esse non possit; nihilominus tamen ratione suæ caussæ quandoque habet mortale peccatum annexum. Et ideo consideranda est caussa pollutionis nocturnæ.* Item si virgo eo animo inebrietur, ut a viro cognoscatur, peccat, non solum cum ponit caussam, sed etiam cum defloratur. Confirmant hanc sententiam argumentis ab absurdo. Si, inquiunt, omissio hæc non esset culpabilis, sed effectus peccati,

posset quis illam desiderare; ut patet in muliere, quæ licite desiderat partum fetus ex adulterio concepti, & in comedente carnes die veneris, qui potest desiderare ex eisdem nutrimentum proprium. Præterea, ideo actus pariens omissionem opponitur præcepto affirmativo, puta audiendi Sacri, & ab eodem prohibetur, quia est omissionis caussa. Ergo si actus iste peccatum est, potiori iure peccatum erit ipsa omissio, quæ eidem præcepto opponitur. Nonne si lata esset excommunicatio contra omittentes Sacrum die dominico, illam incurreret, quando reipsa Sacrum omittit, secus quando caussam ponit? Excommunicatio autem non incurritur nisi propter peccatum.

XI. Tandem iuxta divinam Scripturam, & omnium Patrum doctrinam dantur peccata ignorantiæ vincibilis, quæ peccanti imputantur ut peccata formalia, & proprie in se talia. Sed hæc peccata tempore quo committuntur, non sunt in seipsis, & directe voluntaria; cum ignorantia auferat voluntarium, & liberum formale, & proprie dictum. Si enim cognoscerentur, essent peccata ex malitia, vel saltem ex passione. Ergo sunt peccata in se ex voluntario indirecto. Nonne iuxta omnes ebrietas continuata peccatum formale in se est eo tempore quo durat; quamvis toto illo tempore non sit libera in se, cum auferat rationis usum? Ergo ad peccatum non est necessarium voluntarium directum, sed sufficit indirectum, seu in caussa. Hanc sententiam defendunt S. Thomas 1. 2. *quæst.* lxxi. *art.* 5. & *quæst.* lxxvi. *art.* 3. *ad* 3. & 2. 2. *quæst.* lxxix. *art.* 3. & *quæst.* cl. *art.* 4. & *quæst.* 2. *de malo art.* 1. *ad* 11. Caietanus *locis citatis*, Sotus in *IV. dist.* xii. *quæst.* 1. *art.* 7. Alvarez *disp.* cxxvii. Suarez *de pec. disp.* iii. *sect.* iv. Salmanticenses scholastici *tract.* xiii. *disp.* v. *dub.* 6. & morales *tract.* xx. *cap.* x. *num.* 26. Contensonius, Billuart, Sanchez, Castropalaus, Lopez, & plures alii.

XII. Ad argumenta contrariæ sententiæ responsio patet ex iis quæ dicta sunt. Omnia enim huc recidunt. Non est peccatum, nisi sit liberum. Cui responsum est, nisi sit liberum vel in se, vel in caussa, vel directe, vel indirecte. Instant. Eo modo est peccatum quo est liberum. Est liberum solum in caussa. Ergo peccatum erit dumtaxat in caussa. Negatur prima propositio. Utique nullum peccatum datur, nisi sit liberum; at non semper requiritur libertas directa, & formalis in se; sed sufficit libertas in caussa, ut dicatur peccatum in se: actus exterior est peccatum in se; licet liberum hoc peccatum sit ex libertate actus interioris. Et hoc patet in ebrietate, quæ est peccatum in se, licet in eo instanti in quo est ebrietas, non sit libertas, quæ ablata est per ipsam actualem ebrietatem. Perperam opponeretur *prop.* 1. damnata ab Alexandro VIII. quia nunc non est sermo de voluntario in Adamo, sed de voluntario, & libero libertate personali propria, qua quis ponit omissionis caussam.

XIII. Postremo disputatio hæc respectu ebrii, & dormientis potius metaphysicæ est:

eſt : & quamvis concederetur, in his duobus caſibus ebrietatis, & ſomni, in quibus homo uti libertate nequit, omiſſiones eſſe peccatum in cauſſa tantum; heinc tamen idem inferri nullo modo poſſet de aliis omiſſionibus quæ contingunt, dum homo eſt ſui compos, expeditamque habet libertatem ad impediendam omiſſionem, alioſque effectus. Pro praxi autem illud tamquam certum haberi debet, non ſufficere in confeſſione manifeſtare ſolam cauſſæ culpabilis poſitionem, ſed neceſſe eſſe ut omnes omiſſiones, & effectus ſecuti ſubiiciantur clavibus . Quare ſive peccata ſint in ſe, ſive in cauſſa, omnia confiteri pœnitens debet. Et hic eſt communis ſenſus, & praxis fidelium. Quæ praxis ſane confirmat communiorem ſententiam. Et opinio quorumdam Caſuiſtarum negantium, has omiſſiones confitendas eſſe, tamquam nimium laxa, & contraria communi fidelium ſenſui , improbanda eſt. Accedit, hoc ſæpe etiam neceſſarium eſſe non modo ad exponendam peccati gravitatem, ſed etiam ad damnum tertii pandendum, ad reſtitutionem faciendam, vel ob cenſuras contractas, vel ob periculum contrahendi.

M O N I T U M.

Quam formidanda ſint omiſſionum peccata.

I. Æterna Chriſtianorum perditio ex omiſſionum pravitate, tamquam ex peſtifera radice, proficiſcitur. Neglectus orationis, meditationis , & conſiderationis fons eſt exitialis, unde fere omnia , vel graviſſima manant ſcelera . Quot ſunt de ſæculo Chriſtiani qui aliquod quotidianum intervallum , qui horæ quadrantem impendant in evangelicis punctis meditandis, qui chriſtianæ profeſſionis ſpiritum aſſequi, & proprii ſtatus onera expendere ſerio curent, qui noviſſima mature recogitent, qui conſcientiæ examen, & iudicium quotidie inſtituant? Hæc ad Monachos, ad Clauſtrales, ad Religioſos, & ſolitarios pertinere miſeri mortales arbitrantur. Quæ deceptio, & cæcitas eo eſt funeſtior, quo validioribus præſidiis egent illi qui medio in campo cum tot hoſtibus manus conſerunt , & undiqueverſum circumdati inſidiis, & allecti blanditiis reperiuntur. Si intra clauſtra a mundo ſeiuncti Religioſi, veluti plantæ ſteriles, areſcunt, meditatione, & oratione ſublata; quid ſperandum de Chriſtianis in apertis mundi caſtris militantibus, ſi illis fidei , & precum ſcutum deſit? Fides autem ſine mentis meditatione non lucet; quemadmodum Sol illis non refulget qui oculos clauſos tenent . Heu miſeri, & æternum miſeri Chriſtiani , qui tam exquiſitis epulis corpora nutriunt quotidie, & animas tam crudeli fame torquent, ut vix per integras hebdomadas, & menſes aliqua evangelicarum veritatum meditatione, & cæleſtium virtutum pabulo eaſdem alant. Saginantur corpora intemperanti crapula , & animæ neceſſario alimento deſtitutæ æternum periclitantur. An minus eſt animabus neceſſarius æter-

æternarum veritatum panis, meditationis dentibus bene mansus, quam sint corporibus cibaria consueta?

II. Quid ergo mirum, si animæ intrinsecus superbia, invidia, ambitione, odio, concupiscentia ardentes, & extrinsecus usquequaque præstigiis, pravis exemplis, dæmonum, hominumque machinationibus obsessæ, iaceant contrucidatæ? Non vacat longius orationem protrahere. Veritas seipsa refulget. Ab omissionibus cælestium virtutum, a neglectu christianæ meditationis ruina Christianorum proficiscitur. Plures a crassioribus flagitiis, quæ vel penes mundum ipsum famam obscurant, maculantque, sibi cavent; verum negligere proprii status onera, omittere christianarum virtutum officia, silentio obvolvere evangelicas veritates vix sibi vitio vertunt. Quis est qui clamet: *Væ mihi, quia tacui*: cum occasio urgebat veritatis manifestandæ? Taces, ne ambitionis progressionem abrumpas. Erubescis Christi Evangelium, ne negotiis tuis sive parvis, sive magnis præiudicia inferas. Obmutescis, ne pacem tuam, ne quietem tuam interturbes, ac si militia non esset vita hominis super terram. Omittis ea quæ Christus præcipit, idest præliari, agonizare, tribulari, crucem ferre; & ea peragis quæ tibi adlubescunt, teque mundo, & hominibus amabilem reddunt.

III. Animadvertunt Patres, in extremo, tremendoque iudicio Christum Dominum solas omissiones improperaturum: quia *non dedistis mihi manducare*, *non dedistis mihi bibere*, *non suscepistis me* &c. quasi flagitia commissionis propria manifesta malitia seipsis scelestos damnent. Iubet Deus ut nostra pauperibus distribuamus: & non modo hæc omittimus, sed etiam aliena invadimus, & furamur. Iubet Deus ut nos mutuo diligamus: & non modo amorem omittimus, sed reciproca infestatione nosmetipsos laceramus. Iubet Christus ut humilitatis studium colamus: & nos, humilitate neglecta, superbia tumemus. Iubet Christus ut carnem nostram cum vitiis, & concupiscentiis affligamus, & maceremus: & nos mortificatione missa, carni saginandæ navamus operam, & deliciis defluimus. Iubet Christus . . . . *Sed quid plura?* (clamat Salvianus Lib. III. de Provid.) *Quid plura? Grave & luctuosum est quod dicturus sum. Ipsa Dei Ecclesia, quæ in omnibus debet esse placatrix Dei, quid est aliud quam exacerbatrix Dei? Aut præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud pene omnis cœtus Christianorum quam sentina vitiorum? . . . . Et quod dicimus, ne nimis forsitan gravis videatur esse censura, plus multo dicam. Facilius invenias reos malorum omnium quam non omnium: facilius maiorum criminum, quam minorum, idest facilius qui & maiora crimina cum minoribus, quam qui minora tantum sine maioribus perpetraverint.* Hæc pauca obiter de omissionibus delibasse sufficiat, plura dicturus suo loco.

C A-

CAPUT VI.

De distinctione specifica, & numerica peccatorum.

I. QUæst. I. *Unde petatur distinctio specifica peccatorum?* Resp. S. Thomas 1. 2. *quæst.* LXXII. *art.* I. a diversitate specifica obiectorum repetit primo & per se distinctionem specificam peccatorum. Peccatum enim est actus malus. Sed actus malus, a libera voluntate procedens, in obiectum tendit. Ergo ab eodem speciem capit. Obiecta autem in esse moris specie distinguuntur per diversam aut conformitatem, aut repugnantiam cum lege æterna, & recta ratione. Tunc vero habent distinctam repugnantiam cum lege æterna, & recta ratione, quando opponuntur diversis virtutibus. Nam sicut quælibet virtus habet specialem & distinctam bonitatem, ita obiectum illi oppositum habet specialem & distinctam malitiam.

II. Distinctio quoque peccatorum sumitur ex diversis præceptis, spectatis non ex parte præcipientis, sed ex parte rei præceptæ. Præcepta enim possunt esse diversa, vel quatenus a diversis Superioribus sunt, ut præcepta iuris divini, ecclesiastici, & civilis; vel ratione rei præceptæ. Diversitas præceptorum respectu principii potest esse tantum materialis: idem quippe furtum prohibetur iure naturali, divino, & humano; & tamen est unum specie peccatum. Diversitas vero formalis repetitur ex diversitate rei præceptæ, seu motivi intrinseci præcipiendi. Motivum autem intrinsecum, quod etiam dicitur operis, est id in quod opus natura sua tendit; puta, motivum intrinsecum præcepti ieiunii est temperantia, motivum intrinsecum eleemosynæ est misericordia. Motivum autem extrinsecum, quod sibi præstituit operans, non confert actui speciem. Heinc omittens Sacrum die festo alicuius Apostoli, aut alterius Sancti, incidente in diem dominicum, unum specie peccatum committit; sicuti qui violat ieiunia quatuor temporum quæ incidunt in Quadragesimam. Quoniam hæc præcepta audiendi Sacrum die dominico, & die festo alicuius Sancti, ieiunandi & diebus quatuor temporum, & diebus aut alicuius vigiliæ, aut Quadragesimæ, idem motivum religionis, & temperantiæ respiciunt. Quod autem legislator in præcipiendo aut ieiunium, aut Sacrum, intendat vel pluviam, vel serenitatem, vel honorem alicuius Sancti, non infert diversitatem specificam: quia fines isti, cum extrinseci sint, non constituunt diversæ rationis præcepta. Qui vero ieiunium violaret contra votum editum ieiunandi die veneris, & contra præceptum Confessarii ieiunandi eodem die, & quatuor temporum eodem similiter die recurrentium, triplex peccatum specie distinctum patraret: unum contra temperantiam, impositam a præcepto ecclesiasti-

ftico : alterum contra religionem, quam refpicit votum : & tertium contra pœnitentiam præfcriptam a Confeffario.

III. Quæft. II. *An diverfitas fpecifica peccatorum fumatur ex circumftantiis?* Refp. Circumftantiæ morales extra effentiam actuum moralium funt, & illos extrinfecus dumtaxat comitantur, feu circumftant. Septem nnmerantur a S. Thoma 1. 2. *quæft.* VII. & a ceteris Theologis. *Quis* indicat perfonam, eiufque ftatum. *Quid* materiam prodit. *Ubi* locum facrum, vel profanum &c. defignat. *Quibus auxiliis* inftrumenta, feu media quibus peccatum commiffum eft, fignificat; ut fi follicitafti virginem medio lenone, fi percuffifti gladio, lapide, baculo. *Cur* finem extrinfecum perhibet, ob quem actionem exercuifti; ut fi furatus es ad fornicandum. *Quomodo* modum actus, intenfum, aut remiffum, coactum, aut voluntarium exprimit. *Quando* tempus denotat.

IV. Dupliciter afficere circumftantia actum poteft : aut transferendo illum ad aliam fpeciem diftinctam ab ea quæ intrinfecus ineft actui ex proprio obiecto; ut fi quis fornicetur cum perfona Deo per votum confecrata, vel furetur in loco facro, aut rem facram : aut afficit actum intra eamdem fpeciem illum augendo; ut fi quis furetur in magna, aut maxima quantitate. Circumftantiæ prioris generis vocantur mutantes fpeciem; pofterioris aggravantes intra eamdem fpeciem. Hæ pofteriores circumftantiæ aliæ funt leviter aggravantes, quæ ad malitiam mortalem non addunt nifi venialem; ut fi materia gravis furti fint quatuor iulii, & quis furetur quinque : aliæ funt notabiliter aggravantes, quæ addunt malitiam mortalem actioni iam mortali; ut fi quis furetur plures aureos. Singulas has circumftantias fufius explicui *Tom. IX. de pœnitentia*.

V. Ad quæfitum ergo propofitum refponfio iam patet, nempe peccata fpecie diftingui, feu novam fufcipere fpeciem malitiæ, ex circumftantiis fcilicet quæ fpeciem mutant, feu quæ fpecialem repugnantiam & contrarietatem habent cum recta ratione. Interdum circumftantiæ iftæ poffunt tribuere primam peccati fpeciem actui bono; ut fi quis elargiatur eleemofynam ob pravum finem vanæ gloriæ, vel Sacrum audiat ob finem fpectandi impudice mulierem : fæpe vero, ut dixi actioni mortaliter pravæ addunt novam malitiæ fpeciem; ut fi quis furetur in, loco facro. Circumftantiæ vero quæ non mutant fpeciem, cum non habeant diftinctam repugnantiam cum ratione, non tribuunt novam malitiæ fpeciem, fed eamdem dumtaxat aut aggravant, ut dictum eft, aut minuunt, ut patet in naturalibus, in quibus maior, aut minor rei perfectio non a forma fubftantiali, fed ab accidentali, feu a circumftantiis tribuitur.

VI. Quæft. III. *Utrum peccatum gravius ex obiecto fuperari in malitia poffit a peccato inferioris generis ratione circumftantiarum?* Refp. Sententia adfirmans communior, & probabilior eft. Periurium v. g. gravius peccatum ex genere fuo, feu ex

ex obiecto, est quam furtum, & homicidium; & tamen si quis trucidaret ingentem hominum innocentum multitudinem, aut expilaret ærarium publicum, quo aluntur pauperes, vel defenditur Respublica, graviora ipso periurio in prudenti hominum existimatione talia crimina haberentur. Hanc sententiam S. Thomas 2. 2. *quæst.* x. *art.* 3. docet. *Nihil probibet, peccatum quod est gravius secundum suum genus, esse minus grave secundum aliquas circumstantias*. Plura rationum momenta quæ afferri solent, prætereo, cum res seipsa manifesta sit.

VII. Quæst. IV. *Unde sumatur distinctio peccatorum numerica*? Resp. Istius quæstionis notitia tum pœnitentibus, tum Confessariis apprime necessaria est, cum necessarium sit, ut Tridentinum *sess.* XIV. *can.* VII. declarat, iure divino omnia, & singula peccata mortalia confiteri. Variæ a Theologis præscribuntur regulæ, quibus hæc numerica peccatorum distinctio dignosci valeat. Claritatis gratia distinctis quæsitis omnia exponere curabo.

VIII. Quæst. V. *An ex morali interruptione peccatorum tam interiorum, quam exteriorum circa idem obiectum sumatur distinctio numerica eorumdem*? Resp. Tunc iuxta communem Theologorum doctrinam actus voluntatis moraliter interrumpitur, quando nec formaliter, nec virtualiter perseverat. Porro ex triplici capite, inquiunt, actus voluntatis nec formaliter, nec virtualiter perseverat, sed interrumpitur. 1. per expressam retractationem, ut si quis actum priorem furandi retractet, & denuo eumdem actum resumat; quamvis id statim præstet, erunt duo peccata numero distincta. 2. per cessationem voluntariam ab actu voluntatis, dum quis voluntarie mentem alio distrahit post priorem actum; ut si, visa puella, & de ea delectatus, ad aliud se applicet. 3. per naturalem cessationem, aut oblivionem, aut distractionem, aut per somnum.

IX. Primum modum interruptionis communiter Theologi approbant, actum nempe voluntatis interrumpi per voluntariam retractationem. Huic tamen communi doctrinæ contradicit Cardinalis de Lugo *disp.* XVI. *de pœnit. num.* 52. contenditque, non semper prioris voluntatis revocationem impedire moralem peccati unitatem. Quoniam iuxta doctrinam *Lessii*, & *Layman*, aliorumque Probabilistarum; qui die ieiunii sub prandii finem cessat comedere, proponitque se amplius non comesturum, si post hoc propositum afferatur, ante completam mensam, novum ferculum ipsius palato accommodatum, valet absque ieiunii fractione denuo comedere: quia mensæ continuatio sufficit ad continuationem moralem prandii, quin obstet brevis illa voluntatis interruptio. Idem contingere potest, inquit, interdum in unitate peccati. Heinc infert, si quis animo vindictæ alium alapa percutiat, & post aliquas percussiones proponat abstinere a percussione, abstineatque reipsa; sed statim post denuo percutiat; non duo peccata confitenda, sed unum, inquit, commisit.

X.

X. Hæc plus subtiliter quam solide excogitavit De Lugo, vir acuto ingenio. Sed ut falsa reiicienda sunt saltem quantum ad actus internos, qui iuxta omnes interrumpuntur per voluntariam, & deliberatam revocationem. Quid? Carnes comedis die ieiunii, sub finem prandii te vetitæ comesturæ pœnitet, & contritione perfecta crimen deles. Continuo, adveniente novo ferculo, carnes iterum comedis. Hoc peccatum unum erit, moraliter continuatum cum peccato per contritionem deleto? Quis tale sibi persuadere commentum valet? Doctrina ex Lessio, & Laymano adducta suam habere probabilitatem potest: quia lex ieiunii præscribit unicum prandium, quod per actus internos voluntatis non interrumpitur: idcirco si sub finem mensæ quis deliberaret amplius non comedere, & ante finitam mensam comederet, tunc iste non violaret legem ieiunii: quia unitatem exteriorem prandii non interrumpit iuxta prudentem existimationem. Quæ doctrina licet admitti possit, consectaria tamen quæ hinc eruit De Lugo, falsa sunt.

XI. De secundo modo vix est inter Auctores dissidium. Eo ipso enim quod quis ab actu concepto cessat, & ad alia se convertit, prior voluntas dimissa est, & alia renovata, atque adeo peccata interrupta. Alioquin prior voluntas esset, & non esset dimissa; quod dici nequit.

XII. Distinguunt insuper Theologi, ut supra cum S. Thoma vidimus, peccata *cordis*, *oris*, & *operis*. Peccatum *cordis* non respicit opus externum, sed intus consummatur, ut sunt peccata odii Dei, & proximi, hæresis, iræ invidiæ, avaritiæ, iudicii temerarii. Peccata *oris* in eodem similiter complentur; ut mendacium, periurium, blasphemia, falsum testimonium, contumelia &c. *Operis* denique peccata in externo opere perficiuntur; ut homicidium, fornicatio, furtum, idololatria &c. Hæc omnia peccata interrumpi per actum voluntatis contrarium communiter Theologi fatentur.

XIII. Difficultas est, num interrumpantur non solum per voluntariam retractationem, sed etiam per temporum morulas interruptas. Et quantum ad peccata *cordis* communior & probabilior opinio adfirmat. Nam peccata eiusmodi, cum in actibus voluntatis consistant, postquam commissa sunt, nec formaliter, nec virtualiter remanent. Ergo, multiplicatis actibus voluntatis, multiplicantur peccata.

XIV. Heinc falsa & laxa est opinio Ioannis La-Crux, Petri Du-Fay, Tamburini, & aliorum, docentium, præfatos actus non interrumpi per naturalem oblivionem, somnum, inconsiderationem, sed per solam revocationem. Quare si quis hodie eliciat actum odii, & post decem dies eumdem actum non retractatum continuet, hunc unicum peccatum committere volunt. Filliucius, & Busembau aiunt, non multiplicari peccata, si interruptio brevis sit, & contingat per somnum, oblivionem, aut inconsiderantiam: quam opinionem ut laxam reiicit vel ipse

ipse Diana, nedum graviores Theologi. P. Suarez *Tom. IV. in III. Part. disp.* XXII. *sec.* 5. *num.* 11. concedit eiusmodi actus interrumpi per somnum, oblivionem, inadvertentiam, cum unus ex alio non dependeat, atque adeo esse distincta peccata; contendit tamen non esse necessario confitenda, quando interruptio est brevis, cum difficile cognosci valeat. Quam doctrinam merito reiiciunt, ut falsam, Salmanticenses *tract.* XX. *cap.* XII. *num.* 34. quia licet interdum interruptio sit adeo brevis, ut vix discerni possint plura peccata, tamen sæpe distincte manifestanda sunt. Et quando omnia distincte numerari nequeunt, tum manifestanda est temporis mora. Præceptum divinum confessionis impossibilia non iubet, sed præcipit ut singula peccata confiteamur eo modo quo moraliter possumus.

XV. Actus vero voluntatis qui respiciunt exteriora peccata *oris*, & *operis*, interrumpuntur moraliter, quoties opus exterius consummatur, aut quoties congrua temporis mora intercedit. Addunt plures recentiores, nisi præfati actus uniantur in aliquo effectu qui ad consummationem peccati conducat. Si quis propositum habeat furandi, illudque exequatur rem alienam reipsa surripiendo, & consummato hoc furto, aliud propositum renovet, duo committit peccata: quia primum propositum completum fuit, media furti executione. Qui vero furari deliberat, & continuo viam arripit, scalas admovet, instrumenta disponit, quamvis repetat interiorem primam intentionem, non multiplicantur peccata, ut in *IV. dist.* XLII. *quæst.* 1. *art.* 1. docet S. Thomas. *Contingit esse actus plures, secundum quod ad genus naturæ referuntur, qui tamen sunt unum, secundum quod in genere moris considerantur, ut patet in eo qui furatur: quia omnes actus eius, qui ad finem furti ordinantur, peccatum sunt, cum mala intentione fiant, qui possunt valde multi esse; & tamen omnes computantur ut unum peccatum: quia non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in perversum finem ordinantur.* Quæ Angelici doctrina iuxta eiusdem mentem intelligenda est, videlicet quando moraliter in prudenti existimatione præfatæ operationes coniunguntur ad furti executionem, ut paullo ante in fure applicante continuo, post deliberatum furtum, instrumenta, scalas, & ea omnia quæ necessaria sunt ad furti completam executionem. Ceterum si multum temporis intercederet, tunc actus interrumperentur.

XVI. Quæst. VI. *Quid dicendum de opinione* Salmanticensium, Lugo, *& aliorum, aientium perseverantem annum integrum in voluntate non restituendi unum peccatum committere?* Resp. Ex laudata S. Thomæ doctrina falsa, & laxa consectaria colligunt Salmanticenses *tract.* XX. *cap.* XII. *punct.* 5. *§.* 1. *num.* 37. ubi sequentia docent. „ Qui statuit non restituere rem alienam, si non retractat efficaciter vo-
„ luntatem, unicum peccatum committit, etsi *per unum annum* in ea voluntate
„ persistat, pluries idem propositum repetat; immo etsi interim offerantur occa-
„ sio-

„ fiones restituendi, vel alienetur, aut consumatur res, aut debitor impotens red„ datur ad restituendum, aut somno se tradat, vel alio distrahatur. " Pro hac opinione citant Salmanticenses Scholasticos *Tom. III. tract.* 11. *disp.* v. *dub.* 5. *num.* 32. Lugo, Dianam, Trullenchum, Vasquez, & semetipsos in *Tom. III. tract.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 14. *num.* 264. Hæc opinio est contra communem sensum. Per annum quis perseverans in prava voluntate non restituendi, unicum committit peccatum, etiamsi *pluries* renovet iniquum propositum? Etiamsi interim offerantur occasiones restituendi, & ipse res alienet, & se impotentem constituat ad solvendum quod debet? Paradoxa laxitatis hæc sunt. Dicendum ergo cum Angelico, eiusmodi peccata non multiplicari, quando breves morulæ intercedunt, ut si fur intra eumdem diem omnia paret ad furti executionem. Ceterum si plures dies intercedant, multiplicari peccata, dicendum est. Quoniam homo qui aut furari, aut occidere inimicum, aut non restituere proposuit, in plurium dierum mora ad alia negotia animum divertit, alia disparata negotia tractat, somno se tradit. Instaurare ergo novum propositum debet exequendi scelus deliberatum. Ergo iuxta communem sensum, quando interfluunt hæc longa intervalla, non solum unius anni, ut dicunt præfati Auctores, sed unius hebdomadæ, peccata multiplicantur.

XVII. Laxiora sunt quæ Salmanticenses ibidem *num.* 36. docent, inquientes: „ Si quis intendens occidere inimicum, arma præparat, viam carpit, Salmanti„ cam ad hoc venit, *& per multos dies* inimicum quærit, & tandem occidit; „ etsi pluries repetat prædictam intentionem, unum peccatum committit: *& sa„ tisfacit præcepto confessionis dicendo se homicidium perpetrasse, quin sit necessa„ rium declarare, quo tempore duravit in illa prava voluntate, & quoties eam in„ culcavit.* " Hæc mihi videntur falsa, & nimium laxa, præsertim quantum ad id quod præceptum confessionis spectat. Sit ergo

XVIII. REGULA PRIMA. Temporis diuturnitatem exprimere fur, occisor, fornicator &c. in confessione tenetur, & sincere patefacere, quot aut dies, aut hebdomadas, aut menses, aut annos perduravit in hac prava voluntate exequendi deliberatum scelus, ut ex temporis diuturnitate, & repetitione plus minusve iniqui propositi colligere Confessarius valeat & malitiæ gravitatem, & animæ statum.

XIX. REGULA SECUNDA. Quamvis definiri absolute nequeat certus peccatorum numerus in hac longa mora, in qua scelesti homines perseverant; tamen hæc mihi videtur regula communi sensui conformior, nempe ad multiplicationem dierum multiplicari peccata. Integer enim dies simul cum nocte sufficiens mihi apparet ad interrumpendum conceptum propositum. Quoniam somnus, alia negotia, quæ communiter tractare homines solent, adeo distrahunt voluntatem, ut

iuxta

iuxta prudentum existimationem die crastino fur, occisor, fornicator; alienæ rei usurpator nova voluntate concipiat scelus. Quod remanere, & continuari virtualiter dicunt in restitutione facienda, in furto exequendo primum propositum, quando plurium dierum mora intercedit, vanum ineptumque commentum est. Quid? Perseverare ergo poterit non modo per integrum annum, sed per totam vitam debitor in prava voluntate retinendi rem alienam, & unum peccatum patrabit contra iustitiam; licet pluries peccabit contra annuæ confessionis præceptum? Quid quod & *Tom. I. in Decal.* & *Tom. IX. diss.* 1. *de pœnit.* docuimus, peccatorem per mensem, immo præter propter per hebdomadam differentem suam in Deum conversionem novum peccatum patrare ob pœnitentiæ dilationem? Ipsi Salmanticenses docent, peccare eum qui differt implorare absolutionem ab excommunicatione: & non peccabit qui protrahit suam cum Deo reconciliationem? Verum, missis disputationibus, duæ, quas præscripsi, regulæ mihi, & communi fidelium sensui, & saniori doctrinæ valde conformes apparent. Quisque vero in suo sensu abundet, dummodo prima servetur regula, quæ negligi absque sacramentalis confessionis præiudicio nequit. Et hæc sufficiant de hac implicatissima materia.

XX. Quæst. VII. *An peccata numerice multiplicentur ex diversitate obiectorum?* Resp. Si obiecta specie differant, tunc non solum numero, sed etiam specie peccata multiplicantur. Quæstio ergo est de obiectis quæ solo numero distinguantur, quæque sint integra, & non partialia. Porro hoc in sensu communis, & vera sententia docet, peccata distingui numero per obiecta numero distincta; quemadmodum peccata specie distinguuntur per obiecta specie diversa. Ideo enim peccata specie multiplicantur ex obiectis specie diversis, quia respiciunt hæc obiecta tamquam terminos seu fines, a quibus speciem capiunt. Actus quippe voluntatis sunt veluti motus tendentes in sua obiecta, tamquam in terminum in quo quiescant. Motus autem suam unitatem capit a termino. Ergo peccata suam unitatem, aut diversitatem accipiunt ab unitate, vel diversitate obiectorum. Sententia hæc communis est inter Theologos.

XXI. Ex hac doctrina multa practica consectaria elicienda sunt pro maiori explicatione, & clariore tum Confessariorum, tum pœnitentium instructione. Infertur 1. contra Salmanticenses, & alios, illum qui unico actu, aut pluribus actibus successive blasphemaret duodecim Apostolos, non unum, ut cum aliis docent Salmanticenses *num.* 40. sed plura committere peccata, cum plures Sanctos iniuria afficiat. Infertur 2. eum qui pluribus contumeliis diversi generis hominem afficeret vocando eum furem, adulterum, homicidam, lenonem &c. absolute plura committere peccata: quia in diverso genere honorem læderet, & iuxta prudentum existimationem gravia detrimenta inferret. Spectandæ tamen circum-

ſtantiæ ſunt. Nam ſi homines de trivio, aut feminæ ſimul rixantes eodem iræ impetu ſe his diverſis contumeliis onerarent, cum iuxta communem exiſtimationem infamiam non ſubirent, quod audientes omnia præfata, & ſimilia convicia ex iracundiæ impetu proficiſci intelligerent, tum unicum eſſet peccatum, plus & minus grave iuxta circumſtantiarum varietatem.

XXII. Infertur 3. Qui præfatas contumelias contra plures homines proferret, tot peccata committeret, quot homines infamaret. Quoniam quilibet homo ius habet ad ſuum honorem, & famam. Ergo conviciator diverſa iura læderet, & diverſas perſonas dedecoraret. Et hanc opinionem probant cum aliis citati Salmanticenſes *num.* 42. licet paullo ante docuerint, unicum peccatum committere illum qui etiam pluribus actibus ſucceſſive blaſphemaret duodecim Apoſtolos.

XXIII. Infertur 4. Qui unico actu quatuor homines intendit occidere, vel reipſa occidit, quatuor peccata numero diſtincta perpetrat. Quare falſa, & laxa opinio eſt quam docet Caramuel in *Reg. S. Benedicti diſp.* LXII. *num.* 910. nempe præfatum occiſorem, aut calumniatorem unicum committere peccatum. Quoniam, inquit Caramuel, licet ſint plures homines occiſi, aut iniuriati in genere phyſico, unus tamen eſt in genere moris: quia unius actus unicum eſt obiectum. Quare iuxta ſententiam illorum qui defendunt circumſtantias aggravantes non eſſe aperiendas in confeſſione, ſat erit dicere, Semel volui occidere, aut, ut alii dicunt, ſemel *homicidavi* &c. Quam ſint hæc laxa, & a communi ſenſu aliena, nemo non videt.

XXIV. Non minus falſa, & laxa eſt opinatio quam defendit P. Zanardus in *Directorio*, verius *Corruptorio*, *part.* 1. *cap.* XVIII. nempe eum qui dormit cum amaſia, etiamſi ter eam cognoſcat, unum peccatum committere; *nec teneri dicere, Tot vicibus cognovi, ſed feci quod potui*. Zanardus, licet Dominicanus, Caſuiſta eſt laxarum opinionum collector, atque adeo improbanda eiuſdem opera moralia: quorum raro memini, quia eiuſdem opera a nemine leguntur, & vix reperiuntur, ſed merito iacent paſcendis blattis.

XXV. Infertur 5. Qui uno actu furatur animalia plurium dominorum ex eodem ſtabulo, vel grege, tot perpetrat peccata, quot ſunt domini: quia omnium dominorum iura lædit. Qui ſtatuit per totam Quadrageſimam non ieiunare, non recitare horas canonicas, tot peccata committit, quot ſunt dies.

XXVI. Infertur 6. Tactus, & oſcula quæ copulam antevertunt, non conſtituunt peccata diſtincta a copula; cum ad hanc ordinentur, efficiantque unicum obiectum totale. Leander, Ioannes Sanchez, Moya, quos citant *num.* 45. quibuſque ſubſcribunt Salmanticenſes, idem aſſerunt de tactibus & oſculis ſubſequentibus ad copulam. Sed probabilius alii negant: quia, copula conſummata, omnia completa ſunt; nec ſubſequentia integrant, ſeu perficiunt priorem actionem, ſed præ-

præparant ad aliam. Et in hoc sensu fatentur vel ipsi Salmanticenses eiusmodi oscula & tactus esse nova peccata. At contendunt communiter esse veluti mensæ bellaria, & ad primam actionem pertinere. Si quis, inquiunt, occidat inimicum, & statim gaudeat de morte, non committit distinctum peccatum: ergo idem dicendum de delectatione copulæ immediate habitæ. Falsissimum est antecedens, ergo falsum quoque consequens. Gaudium de morte illata non est novum peccatum? Immo peccatum est sævitiam plusquam ferinam occisoris patefaciens.

XXVII. Infertur 7. laxam esse opinionem Leandri, Dianæ, De Lugo, Salmanticensium, qui *num. 46.* docent, Confessarios, in peccato mortali plures successive confessiones audientes, & absolventes, unicum committere peccatum mortale: quia, inquiunt, licet actiones sint materialiter diversæ, formaliter tamen coniunguntur in una irreverentia irrogata sacramento, & Deo. Absolutio sacramentalis actio perfecta est, & integra, sicuti & sacramentum. Formalis hæc coniunctio chimærica est, omni destituta fundamento. Ergo Confessarius iste tot peccata committit, quot absolutiones impertitur, quot baptismata administrat. Si Confessarius integrum diem audiens confessiones, & absolvens committeret unum peccatum mortale, similiter luxuriosus integram noctem cum pluribus feminis fornicans unum committeret peccatum; quo quid absurdius dici potest?

XXVIII. Infertur ultimo. Opinio Bonacinæ, Filliucii, & aliorum, docentium, illum qui uno actu intendit occidere integram familiam, aut eam infamare, unum patrare peccatum, falsa evidenter est. Quidquid sit, quod iuris fictione, ut aiunt, familia una persona dicatur, revera tamen familia pluribus constat; immo una sola persona conflare familiam nequit. Et reipsa citati Auctores familiæ nomine personas plures intelligunt; sed plures personas unam personam dicunt, quia omnes coniunctæ sunt in eadem familia. Heinc qui unico actu, seu incendio integram occideret civitatem, integrum exercitum, unicum committeret peccatum; nec obstrictus esset in confessione dicere, nisi *semel homicidavi*. Tædet iam absurda paradoxa refellere.

XXIX. Quæst. VIII. *An in eodem actu physico possint esse plures malitiæ numero distinctæ?* Resp. Opinionem negantem defendunt Suarez, Layman, Filliucius, Leander, & alii. Affirmantem sententiam propugnat S. Thomas in *II. dist.* xlii, *art. 1.* his verbis. *Sicut autem supra ostensum est, actus non ponitur in genere moris, nisi propter voluntatem, scilicet secundum quod est a voluntate elicitus, aut imperatus: & ideo secundum unitatem voluntatis est sumendum iudicium de unitate eius quod in genere moris dicitur: unde contingit aliquid quod est unum in genere naturæ consideratum, ut unum motum continuum, esse plures secundum quod ad genus moris retorquetur, si voluntas in actu varietur; ut quando bona intentione*

ne quis incipit, & mala terminat, ut supra ostensum est. E contrario contingit esse actus plures, secundum quod ad genus naturæ referuntur, qui tamen sunt unum, secundum quod in genere moris considerantur; ut patet in eo qui furatur, quia omnes actus eius qui ad finem furti ordinantur, peccatum sunt, cum mala intentione fiunt, qui possunt valde multi esse; & tamen omnes computantur ut unum peccatum: quia non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in unum perversum finem ordinantur. Huic S. Thomæ doctrinæ subscribunt non modo Thomistæ, sed communiter etiam extranei, ut Vasquez, Azorius, Henriquez, Hurtado, Granados, Salas, Caramuel ipse sibi contrarius, Salmanticenses *num. 61.* Plura adducunt Theologi isti rationum momenta, quæ paucis perstringam.

XXX. Idem numero actus in esse physico plures malitias specie diversas habere potest. Ergo potiori iure pluribus affici pravitatibus valet solo numero distinctis. Quemadmodum enim idem physice actus cum pluribus virtutibus specie diversis pugnat; sic oppositionem habere sæpe potest cum pluribus numero distinctis iuribus. Ergo si lædit distincta numero iura, distinctas numero malitias contrahit. Dum coniugatus uno voluntatis actu desiderat solutam feminam, & coniugatam, hoc secundum adulterii malitiam continet qua caret primum cum soluta. Hæc malitia est in eadem adulterii specie: ergo solo numero distincta est. Præterea iura violata distincta non sunt specie, ergo numero. Denique distinctio numerica peccatorum, non solum a subiecto, sed etiam ab obiectis numero distinctis, & totalibus sumitur. Sed idem numero actus plura obiecta integra, & adæquata, numero solo distincta, respicere valet; ut patet in eo qui uno voluntatis actu occidere decem homines cupit. Ergo decem numero malitias distinctas contrahit.

XXXI. Opponunt. Duo accidentia solo numero distincta nequeunt in eodem subiecto existere. Ergo neque duæ numero malitiæ in eodem actu. Negatur consequentia, tamquam ineptissima, & disparatissima. Accidentia physica a subiecto solo suam capiunt, ut aiunt, *individuationem*. Accidentia autem moralia non a subiecto, sed ab ordine ad rationem, & ad legem. Hic autem ordo multiplex in eodem actu esse potest iuxta obiectorum multiplicitatem, vel iurium diversitatem. Argumentatio itaque est a genere physico ad genus morale, ab accidentibus absolutis ad accidentia respectiva.

XXXII. Alias obiectiunculas prætereo, potissimum quod earum discussio ad praxim nihil conferat; cum Suarez ipse concedat, obstringi pœnitentem ad manifestanda in confessione tot obiecta, seu personas, quot lædere deliberavit, aut læsit reipsa. Defendit enim ipse, circumstantias notabiliter aggravantes manifestandas in confessione esse. Et hoc ad praxim sat est. Cetera sunt metaphysicæ ar-

argutationes, nullius prorsus momenti. Quamvis & hoc in genere falsa prorsus sit P. Suarez, & aliorum opinatio.

CAPUT VII.

Nonnulla quæ praxim spectant de morosa delectatione, de perfecta & imperfecta deliberatione, de discernendis venialibus a mortalibus, resolvuntur.

I. NON pauca hactenus disputavimus quæ aut raro accidunt, aut a praxi abstracta sunt. Quæ hoc in capite dicturi sumus, & praxim immediate spectant, & frequenter occurrunt. Cogitationes morosæ torquere vel ipsos moratos homines solent: idcirco declarandæ accuratius istæ sunt.

II. Quæst. I. *Quid sit cogitatio morosa?* Resp. Eam describit S. Augustinus *Lib. XII. de Trinit. cap.* XII. his verbis. *Cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volens quæ statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt.* Duo itaque in cogitatione morosa distinguenda sunt, nempe cogitatio, & delectatio rei illicitæ. De delectatione morosa plura scripsi *Tom. IV. in Decal. Lib. VIII. diss.* 11. *quæst.* XV. *& seqq.* ubi laxa nonnullorum Casuistarum commenta profligare studui. Ne eadem repetam, lege quæ ibidem dicta sunt.

III. Quæst. II. *Quid sit perfecta, quid imperfecta deliberatio?* Resp. Perfecta deliberatio est, cum intellectus, omni turbatione, & impedimento sublatis, distincte apprehendit, & advertit, seu advertere potest, & debet, actum esse bonum, aut malum. Perfectam deliberationem intellectus consequitur ex parte voluntatis consensus, aut dissensus. Imperfecta deliberatio est, cum quis aut variis cogitationibus distractus, aut vehementi passione pressus, aut semi-ebrius, vel semi-dormiens neque distincte, neque plene, sed in confuso dumtaxat apprehendit, vel apprehendere potest actum malum, & eumdem vitandi obligationem: quo in casu consequens voluntatis consensus imperfectus, & semi-plenus est.

IV. Signa itaque imperfectæ deliberationis sunt. 1. si quis semi-dormiens fuerit, vel semi-ebrius. 2. si paullo post turbatam apprehensionem, & voluntatis semi-plenam deliberationem iudicet se omnino non fuisse facturum, si rem plene & distincte cognovisset. 3. si quis semi-dormiens leviter apprehendat, eique videatur & non videatur apprehendere. 4. si primo passionis impetu, primoque motu rem in confuso cognoscat.

V. Ut autem facilius colligas, quando sit semi-plena, & imperfecta deliberatio, statum & dispositionem animæ dubitantis expende, & inde inferre poteris,

fuerit nec ne imperfecta deliberatio. Si quis ita dispositus & paratus sit, ut plene advertens semper tentationem repellat, si mori potius vellet quam mortaliter Deum offendere; quando reperis Christianos his dispositionibus præditos, probabilius, immo probabilissimum est deliberationem fuisse semi-plenam, & imperfectam. Christiani similes, cum in somno, vel in vigilia motus inordinatos, aut pollutiones passi fuerint, dubitentque, an consenserint nec ne, existimare possunt probabilissime non consensisse: quia cum non soleant plene advertentes consentire, præsumendum in his perplexitatibus in eorum favorem. Tentationis diuturnitas non præbet sufficiens fundamentum consensum adfuisse, sive perfectum, sive imperfectum. Diu enim durare tentatio valet, voluntate repugnante.

VI. Quæst. III. *Quid sit ratio superior, & quid inferior?* Resp. Quemadmodum appetitus sensitivus dividitur in irascibilem, & concupiscibilem; ita ratio superior, quæ mens, & intellectus appellatur, licet sit potentia una, tamen in inferiorem, & superiorem tribuitur. Ratio inferior considerat humana motiva, quæ, comparata ad divina, inferiora sunt. Cum in aliquo negotio spectamus utilitatem temporalem, incommoda, gloriam, infamiam, delectationem, molestiam, & alia similia; hæc pertinent ad rationem inferiorem. Quando e contrario consideramus, num negotium, seu res agenda, vel acta, sit conformis legi æternæ, vel contraria; tunc consideratio eiusmodi pertinet ad rationem superiorem.

VII. Quæst. IV. *An peccatum esse possit in ratione inferiori?* Resp. Neque in superiori, neque in inferiori ratione peccatum reperiri potest absque voluntatis consensu; cum omne peccatum sit voluntarium. Heinc est, ignorantiam, & errorem invincibilem a peccato excusare, quia aufert libertatem. Si in ratione superiori nulla sit advertentia, nullaque negligentia, dum ratio inferior expendit commoda, vel incommoda quæ obvenire possunt vel ex hereditate, vel ex alio negotio, & appetitus sensitivus delectatur, nullum est peccatum. Si ratio superior in eiusmodi negotiis negligenter se gerat, & semi-plene, imperfecteque percipiat motiva temporalia, & delectationem inde consequentem repugnare legi æternæ, peccatum erit veniale. Quando vero ratio superior iudicium partis inferioris approbat, aut plene advertit, vel potest, debetque advertere esse contrarium legi æternæ, tum delectatio inde capta erit mortalis, si ex re letaliter mala capitur. Neque necesse est ut ratio actu advertat, & actu cogitet de lege æterna. Sed sat est ut possit advertere. Alioquin qui peccant ex habitu, vel ignorantia vincibili, essent a peccato immunes. Verum hac de re fuse disputatum est *Tom. II. Appar.* & alibi. Sæpe homines peccant, plura præsentis vitæ oblectamenta laudantes in familiaribus colloquiis, & inepte se se excusant, quod abstrahant a lege æterna, effutientes: *Hæc dicta sunt secundum hominem*. Quin contra naturam hominis rationalis est, & homini bestiali conforme amare quæ repugnant rationi, & æternæ

Dei

Dei legi. De illis qui *negative* se habent, insurgentibus concupiscentiæ motibus, dictum est locis citatis.

VIII. Quæst. V. *Quibus signis discerni peccatum mortale a veniali possit?* Resp. Plura supra *cap.* III. dicta sunt de distinctione peccati mortalis, & venialis. Perdifficilem hanc distinctionem fuisse ipsi ingeniorum aquilæ S. Augustino, *loc. cit.* animadverti. In præsentia tres dumtaxat regulas assignabo, quibus discerni mortale a veniali possit.

IX. *Regula prima*. Peccata quæ in Scripturis sanctis appellantur detestanda, execranda, abominabilia, morte digna, aut quæ dicuntur excludere a regno Dei, vel quibus adiicitur maledictio, aut *Væ*, sunt mortalia. Plura exempla occurrunt & *Prov.* VI. & *Isaiæ* V. & *Rom.* I. & *I. Cor.* VI. & *Matth.* XII. & alibi non raro.

X. *Regula secunda*. Quæ iuxta Ecclesiæ traditionem, SS. Patrum, & graviorum Theologorum doctrinam iudicantur mortalia, talia reputanda sunt. Contra loco venialium habenda sunt quæ a SS. Patribus, Episcopis, & gravioribus Theologis venialia existimantur. Quandoquidem Deus promisit Ecclesiæ suæ se collaturum lumen veritatis, & præsidia necessaria in animarum regimine, & in iis quæ ad æternam salutem assequendam sunt necessaria.

XI. *Regula tertia*. Peccata quæ secundum rectam rationem graviter lædunt iustitiam, caritatem Dei, & proximi, sunt mortalia; quæ leviter, venialia. Ut autem distinguere valeas, quandonam graviter, aut leviter hæc iura iustitiæ, vel caritatis lædantur, plura sunt consideranda. 1. Natura actus, qui excipiat, aut excludat materiæ parvitatem. 2. Materiæ gravitas, vel levitas tum ex parte obiecti vel finis, tum ex parte circumstantiarum in iis quæ eas admittunt. 3. An peccata ex genere suo gravia sint, vel secus. 4. Legis spiritus, & verborum forma. 5. Legislatoris intentio, & finis. 6. An peccatum commissum cum plena advertentia fuerit. 7. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Serio meditare, num te graviter læsum reputares tali aut tali actione.

XII. Quæst. VI. *Qui a venialibus abstinere non studet, est ne in gravi periculo labendi in mortalia?* Resp. Tremenda, formidandaque quæstio hæc est, nihil speculativa, sed tota practica. Affirmantem sententiam propugnant Patres omnes, & graviores Theologi, quorum nonnullas rationes supra *cap.* III. obiter indicavi, & nunc plures dabo. Venialia, ut ibidem diximus, ad mortalia disponunt. Sunt quippe teredines, & vermiculi corrodentes spiritualis vitæ medullam, nitorem offuscantes, & fervorem refrigerantes caritatis. Porro qui se exponunt periculo amittendi gratiam, & peccandi mortaliter, parum absunt a peccato mortali, & extremos abyssi cardines ambulant.

XIII. Sed magnum incutere terrorem vel sanctis viris debet illud tremendissi-

mum Prophetæ Ieremiæ *cap.* XLVIII. oraculum : *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter* : alii legunt *negligenter* . Porro illi opera Dei valde negligenter facere satis probabiliter præsumuntur qui peccata venialia ut aquam bibunt, eaque emendare nihil aut valde parum curant. An Dei opus negligenter non perficiunt Christiani qui sacratioribus mysteriis christianæ religionis animo distracto assistunt, qui vel ipsos festos dies, divino cultui consecratos, in profanis oblectamentis impendunt? Quid de Sacerdotibus Domini dicam, qui corde arido, & mente ineptissimis cogitationibus occupata, ad tremendissimum sacrificium celebrandum accedunt, nulla, aut brevissima præparatione præcedente, nulla devotione comitante; immo tam indevote, tam indecore sacra illa mysteria tractant, & tanta festinatione illa perficiunt, ut videantur credere omne aliud, præter realem Christi præsentiam, Deique maiestatem ibidem residere?

XIV. An Christiani, Sacerdotes, & Religiosi, qui venialia familiaria habent, qui comptuli, & barbatuli mundo placere, mundique delicias gustare student, divinum illud, supremumque mandatum implent: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis* &c.? An toto cordis affectu, an tota mentis vigilantia, an toto devotionis studio Deum diligunt qui innumeras Dei offensas in more habent? Quis umquam avarum vidit, pleno affectu pecuniam amantem, quotidie innumeras pecuniæ iacturas, licet parvas, negligere, aut parvi facere; nullamque adhibere curam easdem reparandi? Quis vidit umquam amore puellæ captum eam quotidie vel levibus iniuriis afficere? Totis viribus, tota virtute Deum diligunt qui tam flaccide, tam tepide, tam languide, quæ Dei sunt, peragunt? Tanta est istius mandati amplitudo, & tam extensa obligatio, ut in dies divinus amor in nobis proficere, & augeri debeat. Numquam in hoc amoris stadio sistere gradum licet, sed continenter progredi, & ad plenitudinem aspirare oportet. Huccine suos conatus dirigunt qui quotidianis culpis, veluti aquarum guttis, caritatis flammam coercent, & reprimunt?

XV. Perge porro, & alia Scripturarum oracula expendamus. *Præpara animam tuam ad tentationem* : inquit Ecclesiasticus. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem* : clamat Matth. cap. XXVI. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis* : concludit *Lucas cap.* XXI. An præparantur ad tentationum victoriam qui quotidianis voluntariis culpis infirmitatem propriam aggravant, qui continua socordia pravos culparum venialium habitus roborant, qui ad ipsam orationem confabulantes, & iocantes accedunt? An potius isti Deum non tentant? Nam, ut 1. 2. *quæst.* XCII. *art.* 3. *ad* 2. S. Thomas docet, *ille qui ante orationem animam suam non præparat*

rat... ad devotionem se non disponendo, non facit quod in se est, ut exaudiatur a Deo. Et ideo quasi interpretative tentat Deum. Non modo non vigilant, non modo vires non instaurant ad vincendos hostes, undique nos obsidentes, qui venialia peccata nihili faciunt, sed ea in dies voluntarie & deliberate multiplicant qui evellendis pro virili non attendunt, sed Deum potius tentant, & Dei maledictionem adversus eos qui opera Domini negligenter tractant, sibi arcessunt. Cedo: si quis iter per silvas & speluncas latronum & grassatorum plenissimas arriperet; si quis inter syrtes & charybdes, atque piratas navigaret inermis, otiosus, iocis & fabellis, vanisque diverticulis distentus, an demens, & stultus non haberetur? Et nos, qui in agone quotidie contendimus, non modo extraneis piratis expositi, non modo syrtes, & charybdes continenter offendentes, sed domesticis, & intestinis hostibus indefesse exagitati, & vexati: nos, qui corporis huius, & cupiditatum pondere ad mala impellimur, & pertrahimur: nos, inquam, non modo excubias continuas non agimus, non modo non vigilamus, non oramus, ut oportet, sed deliberate proprias augemus infirmitates, vires nostras ipsimet extenuamus, atque adeo inimicos nostros provocamus, illis rimas aperimus, ut facilius animæ nostræ arcem ingrediantur, eamque deprædentur. An dum vitam adeo desidem, inertem, & torpidam agimus, per vim cælum nancisci adnitimur? An gravissimum proficiendi in via Domini, & comparandæ proprii status perfectionis mandatum implemus? Minime gentium, clamant Patres omnes. *Semper tibi displiceat quod es* (inquit S. Augustinus ser. xv. de verb. Apostol.) *si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, Sufficit, periisti.* Plurima huc attinentia S. Bernardus *epist.* xci. scribit. *Minime profecto est bonus qui melior esse non vult; & ubi incipit nolle fieri melior, ibi etiam definit esse bonus.* Item epist. cclIII. *Nolle proficere, deficere est. Non vis proficere, o Christiane? Non? Vis ergo deficere .... Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere, in quo perveni: nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod esse non potes? ... Ibi tu, Christiane, fige tui cursus, profectusque metam, ubi Christus posuit suam. Factus est obediens usque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis* &c. Plurima alia ibi Bernardus habet, quæ prætereo. Verum, SS. Patrum documentis missis, pauca ex sess. vi. Tridentini decerpere iuvat. Siquidem *cap.* x. hæc habentur. *Sic ergo iustificati, & amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem; hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem per observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt, & magis iustificantur, sicut scriptum est:* Qui iustus est, iustificetur adhuc: *& iterum:* Ne verearis iustificari usque ad mortem .... *Hoc iustitiæ incrementum petit sancta*

ta Ecclesia cum orat : Da nobis, Domine, fidei, spei, & caritatis augmentum. Et rursus *cap.* XIII. subdit sacra Synodus : *Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant; & cum timore & tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, & castitate Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo : in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti : Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus : si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*.

XVI. Quid, si laudati a Concilio Pauli Apostoli præcepta adducerem? An otiosi, tepidi, mendaces cum timore & tremore salutem operantur? An obediunt Principi Apostolorum Petro *Epist. II. cap.* I. dicenti: *Satagite ut per bona opera vestra certam vestram vocationem & electionem faciatis*. An isti satagunt, conanturque per vim acquirere regnum Dei? Quid de istis Ecclesiasticus cap. XIX.? *Qui spernit modica, paullatim decidet*. Quid *Prov.* XXIV. Salomon? *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti; & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat*. Ager iste vita est Christiani, Sacerdotis, Religiosi claustralis, negligentis, otiosi, pigri. Vita hæc vinea est silvescens venialium culparum spinis, & urticis repleta, & lapidum maceriæ destructioni proxima. Testimonia Patrum in hanc vividam Salomonis parabolam brevitatis gratia prætereo. Per agricolæ pigritiam in agri cultu exprimit Salomon pigritiam spiritualem, quasi dicat : Sicut pedibus transiens per pigri vineam, squalorem eiusdem vidi ; sic mentis oculis lustrans vitam, animam, & conscientiam hominis inertis, qui illam excolere negligit, non modo virtutibus vacuam vidi, sed repletam etiam carduis, urticis, & spinis vitiorum, carnis, & dæmonis incursionibus expositam. Inquit enim *Lib. Pastor. admon.* 34. S. Gregorius : *Qui peccata minima flere, ac devitare negligit, a statu iustitiæ, non quidem repente, sed partibus totus cadit*.

XVII. Paveant ergo Christiani omnes. Totis artubus contremiscant & reformident Sacerdotes, & Religiosi, qui peccata venialia tam facile deglutiunt ; qui otio, curiositati, confabulationibus indulgent; qui mortificationem carnis, coercere oculos, reprimere sensus negligunt; qui iugum observantiæ regularis vi potius coacti trahunt quam deferant; qui silentii, solitudinis, precum leges passim violant. Contremiscant Sacerdotes barbatuli, calamistrati, & cincinnati, vanuli, & ad mollitiem effeminati. Contremiscant Episcopi, Abbates, Priores, & Prælati omnes, qui vineas animarum, propriæ custodiæ deputatas, silvescentes vepribus conspicientes, non clamant, non urgent agricolas ad evellendas veneficas herbas, virtutum grana suffocantes. Manet, inquit alicubi Bernardus, tonsura, vestis necdum

dum mutata est, ieiuniorum regula custoditur, statutis horis psallitur; verum sub habitu Religionis animum habet saecularem, sub pannis conversionis cor perversum. Quia inquit Osea Propheta *cap.* VIII. *Comederunt alieni cor eius, & ipse nescivit.*

XVIII. Concionatoria sunt haec, & ascetica, clamabunt leviculi Sophistae, & aliena a Theologo, cuius est controversas opiniones resolvere. Talia effutire illi solent quibus argutare, tricari, & cavillari in deliciis est. Plus me commovent, & acrioribus stimulis urgent pauca quae ex divinis Scripturis cursim delibavi, quam nonnullorum Casuistarum ingentia volumina, quorum lectio arida, & sterilis mihi omnino est. Contra doctrina Scripturarum sanctarum, & Patrum interpretationes, & ignita eloquia a somno me excitant, perterrefaciunt, & ad negotium meum agendum veluti impellunt. Faxit Deus ut bonorum operum fructus respondeat, & ne, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.



DIS-

DISSERTATIO II.

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBUS.

PRAELOQUIUM.

SEptem vitia capitalia conflant legionem illam sane formidandam, quæ modo coniunctim, modo divisim mortalium animas obsidet, & contrucidat, aliis inferioris nequitiæ cohortibus in subsidium vocatis. Capitale quippe vitium nuncupatur illud quod est aliorum caput, & princeps, & quemadmodum caput influit in cetera corporis membra, istorumque ope indiget, & ministerio, ut sua fungi officia valeat. Magnus Gregorius *Lib. XXXI. Moral. cap.* XVII. quem S. Thomas 1. 2. *quæst.* LXXXIV. *art.* 5. sequitur, superbiam extra septenarium numerum ponit. Vitium istud veluti Rex est, duces, & præfectos subditos septem, nempe vitia capitalia habens, quorum ministerio universam iniquitatis monarchiam regit, atque gubernat. Primum locum in hac vitiorum legione tenet inanis gloria, quam sequuntur avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia: quæ omnia sub principatu superbiæ belligerant. Nihilominus communiter superbia ipsa, cuius filia est inanis gloria, maioris claritatis gratia numerum septenarium loco primo ingreditur, non repugnante ipso laudato Angelico Doctore, qui ex S. Gregorio 1. 2. *quæst.* LXXXII. *art.* 2. advertit, *quod septem capitalium vitiorum quinque sunt spiritualia, & duo carnalia.*

Hæc quinque spiritualia scelera eo sunt funestiora, eoque securius animarum stragem & ruinam operantur, quo sunt latentiora. Nos sensibus illigati vix spiritualium imagines formare didicimus. Facile scelera quæ corporeis instrumentis perpetrantur agnoscimus, & cavemus; verum spiritualia hæc vitia adeo sæpe nos latent, ut exteriorum virtutum specie tecta, libero incessu animas nostras ingrediantur, eaque nos tamquam amicos, benevolosque hospites suscipimus, cum iisdem dulciter conversamur, quin eorum insidias & machinationes deprehendamus. Illo ipso tempore quo superbiæ astutias, fraudes, & secretiora iniquitatis arcana reseramus, superbiæ tumore, eiusque præstigiis capi possumus, nisi valde in via Domini experrecti simus. Superbi, ut magis refulgeant, atque ut suum nanciscantur finem, plurium virtutum larvam induunt: præferre liberalitatis, comitatis, affabilitatis speciem solent pro temporum diversitate. Sagacissima avaritia prævidens tutius se per ea quæ iusta sunt, quam per iniusta opes congesturam, sæpe honesta & iusta negotia amplectitur, & quæ videt improbari tamquam iniusta, ut furta, tapi-

rapinas, concussiones, hæc omnia detestari se fingit: & reipsa ob timorem opes amittendi, sæpe declinat, & fugit eiusmodi scelera.

Porro nisi Confessarius apprime horum capitalium criminum naturam, indolem, proprietates, & funestissima consectaria penetraverit, nulla curare ratione suos poterit pœnitentes; immo vitia ipsa fovebit, dum excolere virtutes arbitrabitur. Superbia, inanis gloria, avaritia innumeras externarum virtutum formas assumunt. Superbi, avari, vani fundunt preces, exterioris pietatis simulacrum præferunt, humilitatem ipsam ementiri student, dum famulari eamdem superbiæ cognoscunt. Pharisæos propter quamdam virtutis speciem, ut probos habebit, in quos ceteroquin Deus maledicta intorquet. Sepulcra forinsecus dealbata, ut pietatis sanctuaria venerabitur, atque ad mysteriorum frequentiam admittet, quæ intrinsecus vitiorum putredine difluunt.

Quid opus est, inquies, ut Confessarii capitalium scelerum exactam notitiam assequantur? Lectione, studio, mentis acumine, prudentia matura? Hæc requiruntur ut sint Confessarii *theoretici*. Verum, ut sint Confessarii *practici*, ut per evangelicæ virtutis semitas ducere animas valeant, quid illis opus est? Humilitate. Post? Humilitate. Postremum? Humilitate. Nisi Confessarii ipsi in humilitatis, mortificationis, & solidæ virtutis palæstra sint strenue exercitati, nisi sint in proprii cordis recessibus investigandis periti, nisi sint perspicaces, & fortes in moderandis animi proprii motibus, coercendisque appetitionibus; difficile pœnitentes suos per viam virtutum dirigent. Quid si Confessarii matronarum, magnatumque frequentia circumdati, erecto collo, & contracto supercilio intumescerent? Quid, si dominari in Clero, ambire honores, occupare primas cathedras anhelarent? Isti ne ad exercendos in evangelicæ humilitatis schola Christianos apti forent? An qui proprii animi vineam silvescere permittit, alienis agris excolendis idoneus erit? Fontes vel aridi, vel lutulenti limpidas ne derivabunt aquas ad irrigandos extraneos campos? Quicumque ergo animarum regimen suscipiunt, prius propriam sanctificare impense studeant animam.

CAPUT I.

Quid sit superbia. Quo in sensu initium omnis peccati in divinis Scripturis nuncupetur.

I. Plura de superbia, eiusque veneficis effectibus scripsi *Tom. I. Appar. diss.* 2. Verum adeo late patet flagitii istius dominatus, ut vix comprehendi oratione valeat. Idcirco, præter ibidem dicta, nonnulla adiicere lubet.

II. Hanc superbiæ finitionem 2. 2. *quæst.* clxii. tradit S. Thomas: *Est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*. Superbia est omnium peccatorum gravissimum, ut

loc.

loc. cit. art. 6. tradit idem S. Thomas his verbis. *In peccato duo attenduntur, scilicet conversio ad commutabile bonum, quæ materialiter se habet in peccato; & aversio a bono incommutabili, quæ est formalis, & completiva ratio peccati. Ex parte autem conversionis non habet superbia quod sit maximum peccatorum: quia celsitudo, quam superbus inordinate appetit, secundum suam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis.*

Sed ex parte aversionis superbia habet maximam gravitatem: quia in aliis peccatis homo a Deo avertitur vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cuiuscumque alterius boni; sed superbia habet aversionem a Deo ex hoc ipso quod non vult Deo, & eius regulæ subiici. Unde Boetius dicit, quod cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit. Propter quod etiam specialiter dicitur Iacobi IV. *quod Deus superbis resistit. Et ideo averti a Deo, & eius præceptis, quod est quasi consequens in aliis peccatis, per se ad superbiam pertinet, cuius actus est Dei contemptus. Et quia id quod est per se, potius est eo quod est per aliud, consequens est quod superbia sit gravissimum peccatorum secundum suum genus: quia excedit in aversione, quæ formaliter complet peccatum.*

III. Gravissimum igitur peccatum superbia est tum ex parte aversionis a Deo, tum ex eo quod multorum criminum fons & caput est. Peccata quæ superbia secum defert, exemplo primi hominis in *Enchirid. cap.* xlv. explicat S. Augustinus, inquiens: *Quamvis & in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, & in omnes homines pertransiit, propter quod etiam parvuli baptizantur, possunt intelligi plura peccata, si unum ipsum in sua quasi membra dividatur singula. Nam & superbia est illic, quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia non credidit: & homicidium, quia semetipsum præcipitavit in mortem: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: & avaritia, quia plusquam illi sufficere debuit, appetivit: & si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest.*

IV. Superbia est omnium vitiorum periculosissimum: quia & omnibus virtutibus bellum intentat, & iustis magnopere insidias astruit; ut acute S. Gregorius *Lib. XXXIV. Moral. cap.* XVIII. exponit. *Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia* (sive gula) *abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis, ac pestifer morbus corpus omne corrumpit; ut quidquid illa invadente agitur, etiamsi esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur. Quasi enim tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit, & quo*

quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur.

V. Iustos præsertim aggreditur superbia: quia & iustum Angelum, & iustum primum hominem impetivit, & devicit. Quare sanctus David continenter *Psal.* xxxv. Deum precabatur: *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.* Vigilare itaque summa diligentia iusti præsertim debent, ut thesaurum divinarum virtutum ab hoc insensissimo, & fraudulentissimo hoste custodire valeant. Dum ego incredibilem huiusce delicti nequitiam, fraudem, astutiam, & subtilissimas decipiendi artes serio meditor, dum victum Luciferum, prostratum Adam, dum prima & cælestium spirituum, & generis humani lumina considero, totus contremisco, deiicitur animus, deficiunt verba, & qua via ultimos huiusce sceleris recessus subire valeam, ignoro. Vulnera profundissima contrahimus in ipsa conceptione omnes, & nobiscum sensim sine sensu serpunt, & cum ipsa ætate sinus ampliores sibi aperiunt. Suam habent quasi ætatem carnalia vitia, & frigescente corpore languent. Verum superbia cum ipsa ætate crescit, & quo seniores evadimus, eo superbia iuvenescit, & tyrannidem instaurat. Deus, inquiunt Patres, non cito superbiæ morbum sanat, ne, ipsa devicta superbia, infelix homo superbiat. Si dixerimus nos carere superbia, tum magis dominatur superbia; non secus ac infirmus, qui tum periculosius ægrotat, cum se sanum existimat. Adeo, inquies, tanti sceleris vires, & insidias exaggeras, ut spem adimas de ea triumphandi, & in eiusdem tyrannidem desperatos coniicias. Falleris. Potentissimi hostis, qui in cælo ipso stragem intulit, & universum genus humanum trucidavit, versutiam, dolos, & acutissima seducendi, hallucinandi, & excantandi præstigia describere quoquo modo studeo, ut heinc discamus omnes cum timore & tremore salutem nostram operari; ut intelligamus tunc præcipue vigilandum nobis esse, cum nos a vitiis abesse credimus. Lubet hæc omnia S. Augustini *Lib. de nat. & grat. cap.* xxvii. verbis confirmare. *Ipsam superbiam, quæ & in recte factis animo insidiatur humano, non cito Deus sanat, pro qua sananda illi piæ animæ cum lacrymis, & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam, & quodammodo calcandam, & obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere, se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit, & dicit: Ecce ego vivo. Quid triumphas? Et ideo vivo, quia triumphas. Ante tempus enim fortasse de illa quasi triumphare delectat, cum extrema eius umbra de illo meridie absorbebitur, qui, Scriptura dicente, promittitur: Et educet, quasi lumen, iustitiam tuam, & iudicium tuum, sicut meridiem.*

VI. Superbia est & peccatum speciale, & peccatum generale. Peccatum speciale est, dum respicit tamquam obiectum propriam excellentiam, qua superbus supra ceteros sese extollit. Si quas dotes præ ceteris superbus habeat, vel se habere exi-

existimet; huc omnes refert, ut ceteris supereemineat, vel supereminere videatur. Heinc superbia ab inani gloria distinguitur: quia hæc tendit in excellentiam famæ, & gloriæ tamquam in obiectum proprium: homo quippe vanus in hominum fama & prædicatione suam collocat præstantiam. Distinguitur quoque superbia a præsumptione, quæ versatur circa opus arduum, & excellens, ut infra clarius dicetur.

VII. Quæst. unica. *Quot sunt superbiæ species?* Resp. Quatuor 2. 2. *quæst.* clxii. *art.* 4. enumerat ex S. Gregorio S. Thomas. 1. Æstimare bonum a se ipso habere. 2. Sibi datum desuper, credere pro meritis accepisse. 3. Iactare se habere quod non habetur. 4. Despectis ceteris appetere singulariter videri habere quod non habetur. Prima species igitur est, quando aliquis existimat, aut ita se gerit, ac si a se ipso haberet bona sive corporis, sive animæ, sive naturalia, sive supernaturalia, quæ a Deo reipsa habet, iuxta illud Davidicum: *Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt: quis noster Dominus est?* Psal. xi. Altera est, cum quis agnoscit quidem se a Deo bona habere, sed propriis meritis illa tribuit, vel ita apud se existimando, aut volendo ut alii ita sentiant; aut opere externo ita se gerendo, ac si propriis meritis illa comparasset, ut perspicue S. Thomas *loc. cit. ad* 1. exponit. Tertia est, dum quis ea sibi bona arrogat quæ revera non habet, sive opere, sive desiderio; aut desiderat ut alii existiment eum talia habere bona. Quarta denique est, dum quis, aliis despectis, videri satagit, aut cupit singulariter habere quod habet, & aliis scientia, virtute, eruditione, aliisque sive animi, sive corporis, sive naturæ, sive gratiæ, sive fortunæ donis antecellere, & supra ipsos refulgere.

VIII. Duæ primæ species sunt peccata mortalia, cum ex deliberata voluntate procedunt: tertia, & quarta ob materiæ levitatem excusari a gravi culpa possunt. Si tamen gravem Dei irreverentiam, aut proximi grave damnum, vel gravem contemptum coniuncta habeant, gravia esse peccata certum est. Qui de dotibus ad regendam Ecclesiam, ad moderandos magistratus, ad Prælaturas exercendas necessariis gloriatur, qui ditissimos se simulant, & haberi ut tales, vafris artibus curant, ut sua negotia promoveant, ut contractus ineant, & in locupletissima amplissimaque familia nubant, cum inopes sint; si aliena restituere, & debita solvere omittant, ut vanum familiæ splendorem sustineant; si divitiis, potentia, auctoritate insolescant, & ad propriam excellentiam supra ceteros efferendam abutantur, spretis divinis legibus, peccant mortaliter.

IX. S. Bernardus duodecim gradus superbiæ totidem humilitatis gradibus oppositos numerat, nempe curiositatem, mentis levitatem, ineptam lætitiam, iactantiam, singularitatem, arrogantiam, præsumptionem, defensionem peccatorum, simulatam confessionem, rebellionem, libertatem, peccandi consuetudinem. Qua de

ro

re lege S. Thomam *loc. cit. ad* 4. ubi hæc omnia expendit. Vividis coloribus *Lib. XXXIV. Moral. cap.* XVIII. superbiæ characteres depingit S. Gregorius. *Elatio alios ex rebus sæcularibus, alios vero ex spiritualibus possidet. Alter namque intumescit auro, alter eloquio, alter infimis, & terrenis rebus, alter summis cælestibusque virtutibus. Una tamen eademque res ante oculos Dei agitur, quamvis ad humana corda veniens in eorum obtutibus diverso amictu pallietur.* Si plura cupis, lege ibidem prolixum sermonem.

X. Hactenus de superbiæ peccato speciali: nunc breviter describo quatuor modos quibus esse potest peccatum generale. Primo modo secundum caussam finalem, quatenus alia peccata ordinantur ad finem superbiæ, qui est propria excellentia. Secundo superbia initium, & caussa est omnis peccati, prout parit inordinatam concupiscentiam erga bonum commutabile, quæ est omnis peccati proxima universalis caussa. Concupiscentia enim est filia, & mater peccati, inquit *Lib. I. de nupt. & concupis. cap.* XXIV. S. Augustinus. Concupiscentia *peccatum dicitur ab Apostolo, non quod proprie, & vere in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Idque Tridentinum declarat *sess.* V. Superbia itaque primi hominis peperit filiam primogenitam, quæ concupiscentia appellatur, quæ est omnis peccati mater. Ergo superbia prima origo est, in quam omne peccatum revocatur. Tertio modo superbia caussa peccati dicitur removendo prohibens, idest Christi gratiam, cuius ope peccatum declinatur. Heinc iusti interdum ob levem etiam superbiæ motum, cui assensum præbent, a Deo deseri solent, & in turpia flagitia prolabuntur. Quarto denique modo superbia generale peccatum dicitur ratione obiectorum, in quæ veluti in propriam materiam tendit. Excellentia enim personæ obiectum superbiæ est. Hæc autem excellentia ex variis rebus assurgit: idcirco superbia in perverso celsitudinis appetitu posita per varias res, seu obiecta divagatur, ut hanc suam excellentiam conquirat.

CAPUT II.

Superbiæ remedium humilitas. Eiusdem excellentia, & gradus.

I. SI in quocumque Theologiæ argumento tractando parum aptum, & idoneum me prodidi; in hac humilitatis christianæ virtute exponenda me prorsus aridum, sterilem, & ineptum sentio. Superbiæ morbum experior; at humilitatis exercitium ignoro. Et nisi confessio hæc germana & sincera esset, filia superbiæ, nempe versutissima hypocrisis, foret. Hanc ergo excellentissimam virtutem veluti hos-

hospes & peregrinus descripturus, nihil a me ipso promam, sed Sanctorum documenta rescribam.

II. Humilitas definitur a S. Thoma 2. 2. quæst. clxi. art. 1. quod sit *virtus temperans & refrenans animum, ne immoderate tendat in excelsa*. Virtus hæc non opponitur magnanimitati: quia humilitas reprimit appetitum ne tendat in magna præter rationem rectam. Magnanimitas autem animum ad magna impellit secundum rationrm rectam. Humilitatem Patres vocant omnium christianæ religionis præceptorum compendium, tutissimum omnium virtutum thesaurum, totam christianæ sapientiæ disciplinam. Hac humilitate Redemptor noster diabolum superavit, & mundum.

III. Humilitatis necessitatem ad æternam salutem assequendam Christus ipse sæpe nobis declaravit *Matth. cap.* xi. inquiens: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*. Quæ verba sic exponit *Lib. de S. Virginitate cap.* xxxv. S. Ambrosius, inquiens: *Non ait, Discite a me mundum fabricare, aut mortuos suscitare, sed* quia mitis sum, & humilis dorde. *O doctrinam salutarem! O Magistrum, Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata, atque transfusa est! Noluit docere quod ipse non esset, noluit iubere quod ipse non fecerat.*

IV. Hanc autem necessitatem Salvator noster *Matth.* xviii. inculcat. *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic maior est in regno cælorum.* Rursus Luc. xviii. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur*. Fidem Centurionis magnopere exaltavit, quia tam humiliter credidit, ut dixerit: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum*. Quamobrem clamat *Psal.* cxxxviii. David: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit*. Mulier Chananæa, quod magno clamore non obtinuit, humili confessione assecuta est. *Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. Reiectus fuit in templo Pharisæus superbus, tametsi plurium bonorum operum plenus; & exauditus peccator publicanus, quia humilis. Tandem prospectans Redemptor noster passionis suæ tempus appropinquare, lavare discipulorum pedes voluit, iussitque id præstare servos quod Dominus & Magister peregerat. Tandem cruentum suum sacrificium humilitate consummavit. *Humiliavit semetipsum* (inquit Apostolus Philip. 1.) *factus obediens usque ad mortem*.

V. Christianæ humilitatis officia duo præcipua sunt: unum Deo hominem subiicere; alterum, homines infra ceteros homines deprimere. *Humilitas præcipue* (inquit Angelicus 2. 2. quæst. clxi. art. 2.) *videtur importare subiectionem hominis ad Deum*, sine quo nihil sumus, & si quid sumus, ab eo totum accepimus. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus*: inquit Paulus. De nostro non habemus nisi

nisi mendacium, & peccatum : reliquum omne ab eo nobis manat. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis; sed omnis sufficientia nostra ex Deo est* : subdit idem Apostolus *II. Cor.* III.

VI. Alterum humilitatis officium est hominem ceteris hominibus submittere, iuxta Apostoli mandatum ad Philipp. II. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*. Verum cum humilitas non in falsitate, sed in veritate collocata sit, explicandum est qua ratione absque veritatis dispendio possit homo, & debeat se infra ceteros deprimere. Hoc autem S. Thomas 2. 2. quæst. CLXI. art. 3. sapienter more suo declarat, inquiens : *Dicendum, quod in homine duo possunt considerari; scilicet id quod est Dei, & id quod est hominis. Hominis autem est quicquid pertinet ad defectum; sed Dei est quicquid pertinet ad salutem, & perfectionem, secundum illud Oseæ* XIII. Perditio tua, Israel, ex te est; ex me tantum auxilium tuum. *Humilitas autem, sicut dictum est . . . proprie respicit reverentiam qua homo Deo subiicitur. Et ideo quilibet homo secundum id quod suum est, debet se cuilibet proximo subiicere, quantum ad id quod est Dei in ipso : non autem hoc requirit humilitas ut aliquis id quod est Dei in seipso, subiiciat ei quod apparet esse Dei in altero.*

Nam illi qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere, secundum illud I. ad Cor. II. Ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : *& ideo absque præiudicio humilitatis possunt dona quæ ipsi acceperunt, præferre donis Dei quæ aliis apparent collata : sicut Apostolus ad Ephes.* III. *dicit* : Aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis eius.

Similiter etiam non hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod est suum in seipso, subiiciat ei quod est hominis in proximo : alioquin oporteret ut quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio; cum tamen Apostolus absque præiudicio humilitatis dicat Gal. II. Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores.

Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse quod in alio non est, ex quo se potest ei subiicere per humilitatem.

VII. S. Augustinus *ser.* XXIII. *ex homiliis* L. duos homines inter se comparans, unum qui pauca & leviora, alterum qui plura & gravissima patravit scelera, hæc habet. *Hic multa commisit, & multorum debitor factus est. Ille gubernante Deo pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic & iste deputat quod non commisit. Adulter non fuisti in illa tua vita præterita, plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum, malumque discernens, nondum credens in illum qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus : Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit : ut suasor deesset, ego feci. Locus & tempus defuit:*

& ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus : ut non consentires ; ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius cui debes & quod non amisisti. Mihi debet iste, quod factum est, & dimissum vidisti : mihi debes & tu, quod non fecisti. Nullum est enim peccatum quod facit homo, quod non possit facere & alter homo, si desit Rector, a quo factus est homo. Duæ itaque considerationes, altera Dei, altera sui, requiruntur ad humilitatem christianam concipiendam, fovendamque. In hac duplici cognitione humilitatis virtus posita est. Ecquis non se humiliabit ad divinæ maiestatis considerationem? Quis sui ipsius animam contemplans, tanta huius mortalis corporis mole pressam, tot peccatis onustam, tot miseriarum pondere aggravatam, tot carnalium desideriorum fæce infectam, tot curis irretitam, tot erroribus implicatam, cæcam, curvam, infirmam, periculis expositam, suspicionibus obnoxiam, necessitatibus anxiam, continenter pro vita belligerantem, & frequenter succumbentem : quis hæc, inquam, & mille alia ærumnarum, & calamitatum durissima iuga serio meditans, erigere caput, extollere oculos, contrahere supercilium ausus fuerit? Quis humiliatum, & depressum animum non experitur?

VIII. Verum parum prodesset tot rationum momentis humilitatis virtutem agnoscere, nisi humiliatio ipsa responderet. Duplex ergo distinguenda humilitas est : altera mentis, animi altera : illam cognitio, hanc affectus parit. Sterilis illa, fecunda hæc: illa doctorem, hæc executorem cultoremque humilitatis efficit. Istius geminæ humilitatis picturam S. Bernardus *ser.* XLII. *in Cant.* egregie delineat. *Est humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & est humilitas quam caritas format, & inflammat: atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit. Etenim tu, si temetipsum intus ad lumen veritatis, & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione diiudices; non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortasse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed opere interiori veritatis, & minime adhuc de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter, atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita affectus amore fuisses; voluisses procul dubio, quod in te est, eamdem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Sane, quod in te est, dixerim : quoniam plerumque non expedit innotescere omnibus omnia quæ nos scimus de nobis: atque ipsa veritatis caritate, & caritatis veritate vetamur palam fieri velle quod noceat agnoscenti. Alioquin si privato amore tui tentus detines pariter intra te iudicium veritatis inclusum, cui dubium est, minus te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum, vel honorem? Vides igitur non esse id ipsum, hominem de seipso non altum iam sapere veritatis lumine redargutum; & humilibus sponte consentire munere caritatis adiutum: illum enim necessitatis est, hoc voluntatis. CHRISTUS semetipsum exinanivit.*

nivit, formam servi accipiens, & formam humilitatis tradens. Ipse se exinanivit, ipse se humiliavit, non necessitate iudicii, sed nostri caritate. . . . Time Deum, & noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum. Magis autem acquiesce Deo, & fit voluntas subdita veritati, nec tantum subdita, sed & devota. Nonne Deo subiecta erit anima mea? *At parum est esse subiectum Deo, nisi sit & omni humanæ creaturæ propter Deum.*

IX. Paucis hanc evangelicam doctrinam perstringit 2. 2. *quæst.* clı. *art.* 2. S. Thomas. *Cognitio proprii defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiva appetitus; sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter. Et ideo dicendum est, quod humilitas proprie est directiva, & moderativa motus appetitus.*

X. Duodecim humilitatis gradus SS. Benedictus, Bernardus, & Thomas loco proxime citato *art.* 6. recensent. 1. Est timor Dei, æterni supplicii consideratio, vitæ æternæ, & legis divinæ meditatio. 2. Abdicatio propriæ voluntatis, & ad divinam conformatio. 3. Subiectio ad maiores, & sincera obedientia Prælatis, qui pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus nostris. 4. Tolerantia, & patientia constans iniuriarum, quas sive inimici, sive falsi fratres irrogant, & benedicere maledicentibus. 5. Manifestatio sincera pravarum cogitationum proprio moderatori. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*, inquit Iacobus. Et David antea Psal. xxxı. *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.* 6. Lubenti animo ferre abiectionem, & contemptum sui. 7. Omnibus se viliorem, & inferiorem, non lingua modo, verum etiam affectu cum Davide *Psal.* xxı. confiteri: *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* 8. Nihil agere contra evangelicam legem, & Ecclesiæ præscripta, & proprii status regulam. 9. Linguæ refrenatio: quia *in multiloquio non deerit peccatum, & vir linguosus non dirigetur in terra.* 10. Moderatio risus & lætitiæ. *Fatuus in risu exaltat vocem suam; vir autem sapiens vix tacite ridebit*, inquit Ecclesiastes. 11. Locutio lenis, temperata gravitate, & hilaritate, prudentiæ sale condita, non clamosa, sed submissa, iuxta monitum Ecclesiastici: *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram. Idcirco sint pauci sermones tui . . . Verba oris sapientis gratia, & labia insipientis præcipitabunt eum. Stultus verba multiplicat . . . Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effundentur.* 12. In omni loco humilitatem præferre non solum animo, sed toto corporis habitu, ut cum Davide dicere valeas: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.*

XI. Humilitatem, christianæ professionis basim & fundamentum, ex Scripturis di-

divinis, & Patribus rudi penicillo delineavi. Quomodo tantæ virtutis officia exercere valeas, quin ad extrema aut vilitatis & deiectionis, aut tumoris & elationis declines, sed mediam viam inter hos scopulos secure perambules, frustra me postulas instructionem. Sola humilitatis exercitatio, Dei gratia vivificata, ab extremis te immunem servabit.

CAPUT III.

Tres superbiæ filiæ. Inanis gloria, ambitio, & præsumptio.

I. VANAGLORIA, quæ a S. Gregorio primum vitium capitale reputatur, & ab aliis ut filia primogenita superbiæ habetur, describitur 2. 2. *quæst.* CXXXII. *art.* I. a S. Thoma, quod sit *perversus seu inordinatus appetitus manifestationis propriæ excellentiæ*. Inquit enim: *Gloria claritatem quamdam significat: unde glorificari idem est quod clarificari, ut Augustinus dicit super Ioan. . . . . Claritas autem, & decor quamdam habent manifestationem. Et ideo nomen gloriæ proprie importat manifestationem alicuius de hoc quod apud homines decorum videtur, sive illud sit bonum corporale aliquod, sive spirituale. Quia vero illud quod simpliciter clarum est, a multis conspici potest, & a remotis; ideo proprie per nomen gloriæ designatur, quod bonum alicuius deveniat in multorum notitiam, & approbationem; secundum quod Sallustius dicit in Catilinario*: Gloriari ad unum non est.

Largius tamen accepto gloriæ nomine, non solum consistit in multitudinis cognitione, sed etiam paucorum, vel unius, aut sui solius; dum scilicet aliquis proprium bonum suum considerat ut dignum laude. Quod autem aliquis bonum suum cognoscat, & approbet, non est peccatum: dicitur enim I. ad Corinth. 2. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. *Similiter etiam non est peccatum, quod aliquis velit bona opera sua ab aliis approbari. Dicitur enim Matth.* V. Luceat lux vestra coram hominibus: *& ideo appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosum; sed appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importat: nam quodlibet vanum appetere vitiosum est, secundum illud Psal.* IV. Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Potest autem gloria dici vana tripliciter. Uno modo ex parte rei de qua quis gloriam quærit; puta, cum quis quærit gloriam de eo quod non est, vel de eo quod non est gloria dignum; sicut de aliqua re fragili, & caduca. Alio modo ex parte eius a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cuius iudicium non est certum. Tertio ex parte ipsius qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi salutem.

II. Quando inanis gloria sit nec ne peccatum mortale, exponit ibidem *art.* 3 S.Tho-

S. Thomas his verbis. *Ex hoc aliquod peccatum est mortale, quod caritati contrariatur. Peccatum autem inanis gloriæ, secundum se consideratum, non videtur contrariari caritati quantum ad dilectionem proximi. Quantum autem ad dilectionem Dei potest contrariari caritati dupliciter. Uno modo ratione materiæ, de qua quis gloriatur; puta, cum quis gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur divinæ reverentiæ, secundum illud Ezech.* XXVIII. Elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum *& I. ad Cor.* IV. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? *Vel etiam cum quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo: quod probibetur Hieremiæ* IX. Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire, & nosse me. *Aut etiam cum quis præfert testimonium hominum testimonio Dei; sicut contra quosdam dicitur Ioan.* XII. Qui dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei.

Alio modo ex parte ipsius gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam tamquam ad ultimum finem: ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera, & pro quo consequendo non prætermittit facere etiam ea quæ sunt contra Deum. Et sic est peccatum mortale. Unde Augustinus dicit in V. de Civit. Dei . . . quod hoc vitium, *scilicet amor humanæ laudis*, tam inimicum est piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ quam Dei timor, vel amor, ut diceret Dominus, (Ioan. v.) Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem expectantes, & gloriam quæ a solo Deo est, non quærentes?

Si autem amor humanæ gloriæ, quamvis sit inanis, non tamen repugnet caritati neque quantum ad id de quo est gloria, neque quantum ad intentionem gloriam quærentis, non est peccatum mortale, sed veniale.

III. Plura ibidem in argumentorum solutione Angelicus docet quæ timorém incutere debent cuique æternæ salutis avido. In responsione ad primum dicit, quod *opus virtuosum amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fiat, etiamsi illa inanis gloria non sit peccatum mortale*. In responsione vero ad tertium subdit, quod *inanis gloria dicitur esse periculosum peccatum, non tantum propter gravitatem sui, sed etiam propter hoc quod est dispositio ad gravia peccata: inquantum scilicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus, & nimis de seipso confidens. Et sic etiam paullatim disponit ad hoc quod homo paullatim privetur interioribus bonis*. Non modo Deo, sed ipsis hominibus homo vanus se deridendum propinat: vento vanitatis huc atque illuc agitur, non secus ac follis. Homo gloriosus ad omnia seria negotia ineptissimus est. Et, quod est magis lugendum, vitium istud adeo familiare est, ut vix peccatum reputetur, & tantum non loco virtutis habeatur. Vir magnus est, inquiunt, doctus, eruditus, & singulari virtute præditus; *parum tamen vanus est, & gloriabundus*. Parum vanus? Tanta est in eo vana glo-

ria, ut eiusdem fumus vel ipsos hominum oculos percellat: & dicis, *parum vanus*? Si tumor intus se continere nequit, sed foras erumpit, collige quam inflatum sit cor, & animus coram Deo, qui intuetur corda & renes, quam sit ventosus.

IV. AMBITIO est *perversus appetitus honoris, & dignitatis*; ut si ambias officia, & dignitates, ad quas assequendas, vel exercendas meritis cares, & aptitudine. Tripliciter autem, inquit Angelicus 2. 2. *quæst.* cxxxi. *art.* 1. contingit appetitum esse inordinatum. *Uno modo per hoc quod aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem. Alio modo per hoc quod honorem sibi cupit non referendo in Deum. Tertio per hoc quod appetitus eius in honore quiescit, non referendo honorem ad utilitatem aliorum. Unde patet quod ambitio semper sit peccatum.*

V. Ambitio peccatum mortale est, 1. Cum homo finem ultimum constituit in honore. 2. Dum quis appetit, & quærit honores dignitatesque cum damno proximi, & detrimento divini honoris; ut si alium impedias vere dignum a consequenda dignitate, quam cum proximi utilitate, Deique gloria exercuisset. 3. Dum honor, officium, dignitas per vias illicitas comparantur; ut si per simoniam, fraudem, detractionem beneficia assequaris. 4. Dum quis honorem assequi contendit, omni titulo & aptitudine destitutus.

VI. Consuetum est ambitionis iniquitatem tegere pallio servitutis præstandæ publicæ utilitati, & promovendi commune bonum. Ingredere ultimos cordis tui recessus, ubi reperies, non proximi utilitatem, sed tuam elationem esse quæ te ad dignitates ambiendas impellit. Testimonia ambitionis tuæ sunt in administranda dignitate dissimulatio, amor quietis, tranquillitatis plausus. Animadvertit 2. 2. *quæst.* clxxxvii. *art.* 2. S. Thomas, quod *sicut ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis proprio motu feratur in hoc quod aliorum gubernationi præficiatur; ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis omnino contra Superioris iniunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuset.* Infinitus essem, si Patrum testimonia contra ambitiosos referre vellem. Flagitium istud universale est. Quisque in suo statu ambit, & quo magis homines sunt ineptiores, eo sunt ambitiosiores. Ille tametsi ignorans ambit animarum regimen, saltem confessiones audiendo, cum ad maiora ascendere nequeat; iste Parochiam, ille Prioratum, vel Abbatiam, ille splendidiora & pinguiora pulpita procurando. Pauci sunt qui ab hoc ambitionis fumo immunes sint, & nemo est qui sua palliola, & prætextus non habeat, quibus scelus contegat.

VII. PRAESUMPTIO aut est de Dei misericordia, aut de propriis viribus. De hac, secus de illa, nunc sermo est: & definitur *appetitus inordinatus aggrediendi aliquid supra vires*; ut cum quis appetit exercere officium Concionatoris, Confessarii,

sarii, Iudicis, Advocati &c. dotibus necessariis destitutus. Praesumptio haec soror est ambitionis, idcirco pauca de ea verba facio. Peccatum praesumptionis peccant illi qui conscii aut propriae pusillanimitatis audent suscipere officium imperandi; aut propriae imbecillitatis & propensionis ad venerem, assumunt onus audiendi feminarum confessiones, vel cum eisdem conversari non recusant. Qui haec pericula, & alia similia sponte adeunt, praesumptuosi sunt.

§. UNICUS.

MONITUM AD CONFESSARIOS.

PLura de superbia perstrinxi, plurima *cit. Tom. I. Appar.* scripsi. Omnia tamen pauca ad remedii necessitatem. Casuistae non pauci de peccatis carnalibus, de gula, de luxuria fusum habent sermonem; de superbia obiter & cursim loquuntur. Verum ne hoc sit an falsum, lege La-Croix *Lib. V. cap.* 111. *num.* 289. Heinc & Confessarii non pauci, & Christiani communiter tanti sceleris ignorantia sane deploranda tenentur. Nobile & splendidum reputatur superbiae vitium, & vix inter virtutes non colitur. Erubescunt communiter, si procacissimos paucos excipias, homines honesti de luxuria, de furto, de ebrietate, de violentia, de fraude. Verum enimvero quis est quem superbiae, quem vanae gloriae pudeat? Immo quis non gloriatur de honore, de excellentia, de celsitudine? Est vir honoris, inquiunt communiter viri mundani, honoris nomine, non virtute parti, sed vana & perversa opinione fulti spectrum quoddam intelligentes. Quis Christianorum de superbiae crimine se in confessione accusat? Quis Confessariorum interrogat, examen instituit, animos poenitentium lustrare studet? Unde hoc? Inde sane quod existiment vix reperiri in mundo christiano flagitium istud. Raro, inquiunt, peccatum mortale superbiae occurrit. Raro occurrit? Hoc est crimen cuius a nostro protoparente ex asse heredes instituti sumus; hoc est omnium peccatorum principium, & caput. Ante hoc scelus ab omni culpa abstinuere protoparentes nostri. Hoc patrato, mundum universum iniquitas replevit. Superbia non eripit virgini honorem, non proximo pecuniam: quid ergo furatur? Quid? Deo gloriam, Deo principatum, & thronum surripere tentat. An concipi quid foedius, an quid scelestius, an quid horrendius potest? At nos materiales & carnales aegre nisi materialia & carnalia percipimus. Praeclare fulgentissimum humilitatis exemplar S. Thomas 2. 2. *quaest.* clxii. *art.* 6. *ad* 3. animadvertit, Deum peccata carnalia permittere, quibus superbiam deprimat puniatque. Obiicit sibi, maius aeque per minus non castigari. Superbia criminum maximum est. Non ergo rite per luxuriam, quae minus peccatum est, plectitur. Respondet, utique luxuriam inferius esse scelus; at simul esse vitium foedissimum, spurcissimum, quod in cani-

nibus, & porcis, ut rem viliſſimam, vel ruſtici homines abominantur: idcirco in porcorum gregem detrudit Deus illos qui excelſa appetere inordinate audent. Graviſſimum ſcelus ſpirituale manifeſtat, & plectit per vitium carnale, tamquam per abſurdum, & manifeſtiſſimum ſupplicium; non ſecus ac Philoſophi, qui obſtinatos & pervicaces manifeſtas veritates pernegantes, & concedentes impoſſibilia occulta, reducunt ad impoſſibilia manifeſta & abſurda. Sic Deus ſuperbos ad abſurdum luxuriæ reducit aliquando quidem in remedium, aliquando in ſupplicium, & infamiam. Audi angelicam doctrinam. *Dicendum, quod ſicut in ſyllogiſmis ducentibus ad impoſſibile quandoque aliquis convincitur per hoc quod ducitur ad inconveniens magis manifeſtum; ita etiam ad convincendum ſuperbiam hominum Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia; quæ etſi ſint minora, tamen manifeſtiorem turpitudinem continent. Unde Iſidorus dicit in Libro II. de ſummo bono... omni vitio deteriorem eſſe ſuperbiam, ſeu propter hoc quod a ſummis perſonis & primis aſſumitur, ſeu quod de opere iuſtitiæ, & virtutis exoritur, minuſque culpa eius ſentitur: luxuria vero carnis ideo notabilis omnibus eſt, quoniam ſtatim per ſe turpis eſt: & tamen, diſpenſante Deo, ſuperbia minor eſt. Sed qui detinetur ſuperbia, & non ſentit, labitur in carnis luxuriam, ut per hanc humiliatus a confuſione exurgat. Ex quo etiam patet gravitas ipſius ſuperbiæ. Sicut enim medicus ſapiens in remedium maioris morbi patitur infirmum in leviorem morbum incidere; ita etiam peccatum ſuperbiæ gravius eſſe oſtenditur ex hoc ipſo quod pro eius remedio Deus permittit ruere homines in alia peccata.*

Expergiſcimini itaque o Confeſſarii, & ſuperbiæ morbum, in omnibus filiis Adam dominantem, primum omnium inveſtigate, ſerio expendite, ſeverius diſpicite. Ideo enim tanta in mundo luxuria, quia tanta ſuperbia. An non imperitiſſimi medici illi qui, primaria, & in primis prævalente infirmitate neglecta, atque omnium morborum radice prætermiſſa, conſequentes dumtaxat morbos ſub examen inducunt, & iſtos curare ſtudent, intacta radice relicta! Radicem ergo ſuperbiæ averruncare in pœnitentibus veſtris conamini, & profundo vulneri humilitatis remedium diligenti ſtudio applicate. Si evangelicam humilitatem eos docueritis, ſi in eadem exercueritis & voſmetipſos, & illos; omnes incredibilem virtutis & ſanctitatis profectum comparabitis. Nolite aures præſtare nonnullis Caſuiſtis inquientibus: Non ſe accuſant Chriſtiani de hoc vitio: ergo eodem non laborant. Non ſe accuſant Chriſtiani, quod per menſes & menſes & annum perſeveraverint in peccato mortali, & diſtulerint converſionem in Deum. Ergo differre per annum pœnitentiam non eſt novum peccatum? Hallucinationes ſunt iſtæ funeſtiſſimæ, & tremendiſſimæ cæcitatis. Ut deprehendere facile poſſitis, num ſuperbia dominetur in pœnitentibus, inveſtigate, an ſint *obſtinati*. Obſtinatio enim argumentum certiſſimum, & luculentiſſimum ſuperbiæ eſt. Superbiam in

An-

Angelis consecuta obstinatio est, quæ ita adhæret superbiæ, ut divelli ab ea nullo modo possit. Huc ergo molimina, & studia Confessariorum tendant, ut evangelicæ humilitatis spiritum in suis pœnitentibus excitare studeant. Si hoc assecuti fuerint, sancti erunt Christiani.

CAPUT IV.

De septem filiis vanæ gloriæ.

I. PRimogenitam superbiæ diximus vanam gloriam, cuius septem filias enumerat *Lib. XXXI. Mor. cap.* xxxi. S. Gregorius. Hæ autem sunt, 1. inobedientia, 2. iactantia, 3. hypocrisis, 4. contentio, 5. pertinacia, 6. discordia, 7. novitatum præsumptio. De singulis pauca perstringam.

II. *Inobedientia*. Peccatum inobedientiæ, inquit S. Thomas 2. 2. *quæst.* cv. committit qui violat ex contemptu præceptum Superioris. Hæc inobedientia est natura sua peccatum mortale, etiam in re parvi momenti, si contemptus formalis sit. Qui enim contemnit Superiorem, Deum contemnit: *Qui vos spernit, me spernit*: Luc. x. Eo tamen gravior est inobedientia, quo gravior est res præcepta, & quo superior est qui præcipit.

III. *Iactantia* describitur quod sit *inordinata propriæ excellentiæ deprædicatio per verba*; ut si quis verbis se se extollat supra id quod est in se secundum veritatem, aut secundum quod de eo homines opinantur; quemadmodum 2. 2. *quæst.* cxii. *art.* 1. docet S. Thomas, ubi doctrinam Pauli Apostoli *II. Cor.* xii. refert. *Parco, ne quis existimet me supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me*. Peccatum veniale est, subdit *ibidem art.* 2. Angelicus, quando quis ex mera vanitate de se talia iactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum. Est vero peccatum mortale, si quid iactet contra Dei gloriam, aut contra proximi caritatem. Iactantia de peccato mortali similiter peccatum mortale est: puta, iactantia de fornicatione, non modo humilitati, verum etiam castitati adversatur. Quare in confessione exprimenda est peccati species de quo quis se iactavit, & scandalum audientibus illatum. Si quis iactavit se rem habuisse cum tali femina, aut laudavit alterius peccatum, hæc omnia manifestanda in confessione sunt.

IV. *Hypocrisis*. Eius picturam exhibet 2. 2. *quæst.* cxi. *art.* 4. S. Thomas his verbis. *In hypocrisi duo sunt, scilicet defectus sanctitatis, & simulatio ipsius. Si ergo hypocrita dicatur ille cuius intentio fertur ad utrumque, ut scilicet aliquis non curet sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere, sicut consuevit accipi in sacra Scriptura; sic manifestum est quod est peccatum mortale. Nullus enim totaliter privatur sanctitate, nisi per peccatum mortale.*

Si autem dicatur hypocrita ille qui intendit simulare sanctitatem, a qua deficit per pec-

peccatum mortale, tunc quamvis sit in peccato mortali, ex quo privatur sanctitate; non tamen semper ipsa simulatio est ei peccatum mortale, sed quandoque veniale. Quod discernendum est ex fine. Qui si repugnet caritati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale; puta, cum simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit. Si vero finis intentus non repugnet caritati, erit peccatum veniale; puta, cum aliquis in ipsa fictione delectatur: de quo dicitur IV. Ethic. quod magis videtur vanus quam malus: eadem enim ratio est de mendacio, & simulatione.

Contingit tamen quandoque quod aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quæ non est de salutis necessitate: & talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali.

V. Qui alios per salutis viam ducunt, ut Concionatores Dei verbum annuntiantes in peccato mortali, hypocriseos flagitio inquinantur. Hoc enim erat peccatum Scribarum, & Pharisæorum, quos Christus redarguit Luc. XI. *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.* Et rursus Matth. XXIII. *Væ autem vobis, Scribæ, & Pharisæi, qui clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Hæc ipsa maledictio fulminata est contra Concionatores qui in ministerio verbi sanam doctrinam annuntiantes, eamdem morum pravitate labefactant: qui clavem scientiæ ferentes, & viam salutis aperientes verbis, flagitiosis operibus nec ipsi intrant, nec introeuntes sinunt intrare. Quare S. Thomas in *IV. dist.* XIX. *quæst.* II. *art.* 2. *ad* 4. docet, *Prædicatorem, & Magistrum Theologiæ peccare mortaliter, si notorio peccato sint obnoxii: si vero occulto, Prædicatorem peccare letaliter, si in eo statu prædicare audeat, non autem Magistrum Theologiæ, si Theologiam profiteatur.* Hanc eamdem doctrinam confirmat Caietanus in *III. Part. quæst.* LXIV. *art.* 6. *ad* 1. Et sane quis a gravissimo scelere excusabit Concionatores, verius Declamatores illos qui e publico suggestu solemni ritu sanctam Dei legem annuntiant, eiusdem sanctitatem extollunt, invehuntur adversus insanientis mundi oblectamenta, theatrales ludos, comædias, pompas, luxum, & fastum: & postea illi ipsi & ludis, & theatris, & ceteris illecebris operam navant: qui in pulpito unam sustinent personam, & in civili societate alteram gerunt? Omnia maledictionis fulmina quæ contra Pharisæos hypocritas Christus intorsit, in horum pseudo-concionatorum caput recidunt. Unde hodie tam exiguus verbi divini fructus, nisi ex plurium Concionatorum perversa hypocrisi?

VI. Hypocrisis rei sunt innumeri Christiani, & Ecclesiastici qui in minimis sunt religiosissimi, & quasi superstitiosi, qui vix vino linguam intingere audent, & eam in sanguinem honoris, inquit Optatus Milevitanus, proximi famam depo-

populando immergere minime perhorrefcunt: qui quafdam exteriores obfervantias filentii, abftinentiæ, devotionis &c. ad unguem obfervant, & graviffima mandata, quæ fpectant iuftitiam, æquitatem, mifericordiam, finceritatem, caritatem, conculcant. Et hoc vitio maxime laborabant Pharifæi hypocritæ. *Væ vobis Scribæ, & Pharifæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anetum, & cyminum; & reliquiftis quæ graviora funt legis* &c. Legatur integrum XXIII. caput S. Matthæi adverfus hypocritas.

VII. *Contentio* eft *impugnatio veritatis cum altercatione verborum*. Ex genere fuo peccatum letale eft. Frequenter contentionem improbat Apoftolus. *Nolite contendere verbis: ad nihil enim utile eft, nifi ad fubverfionem audientium*: II. Timoth. V. *Si quis videtur inter vos contentiofus effe, nos talem confuetudinem non habemus, neque Ecclefia Dei*: I. Cor. XI.

VIII. Plura de contentione 2. 2. *quæft.* XXXVIII. *art.* I. & *lect.* III. *in cap.* II. *Epif.* II. *ad Timoth.* docet S. Thomas. Eft peccatum mortale contentio, fi falfitati in re gravi faveat cum impugnatione veritatis, & confidentia clamoris. Peccant quoque letaliter illi qui veritatem, qui doctrinam, five ad fidem, five ad mores attinentem, impugnant falfis ratiunculis, & diftinctiunculis ducti, quia femel adoptarunt opiniunculas contrarias, carni & fanguini faventes. Peccant letaliter, inquit Merbefius *Sum. Chrift. Part. II. quæft.* VII, Sacerdotes qui novis quorumdam placitis imbuti, regulas ad rite miniftrandum facramentum pœnitentiæ, a Sancto Carolo Borromæo ex Patribus excerptas, & Confeffariis propofitas, contentiofo animo impugnant. In hoc quoque crimen incurrunt qui ita verbis contendunt, ut inde audientium fubverfio fequatur, aut fubfequi probabiliter timeatur.

IX. Peccant letaliter plures fcioli, qui e fcholis abeuntes, nihil fere præter infanabile difputandi cacoethes retulerunt; nihilominus fanioris doctrinæ præceptiones, regulafque firmiores in difputationem magno clamore adducunt, & frigidis quibufdam diftinctiunculis ineptiffimas opiniones propugnare contentiofo animo audent: qui placitis femel e fchola delatis pugnaciffime adhærefcunt, quin ferio & debito ftudio inveftigare curaverint veritatem: fed nimia confidentia folius proprii ingenii acumine nixi ingenti verborum clamore reportare de adverfario victoriam, & ex victoria inanem gloriam unice affectant.

X. Peccant quoque graviter rabulæ forenfes, advocati, procuratores, litigatores improbi, qui adverfam partem diuturna tergiverfatione defatigatam a profequenda lite deterrent: qui incondito clamore, & importuna garrulitate extorquere a iudice fententiam adnituntur.

XI. Contentio, quæ in confutatione falfitatis confiftit cum debito acrimoniæ modo, nullum eft peccatum; immo laudabile ftudium, fi veritas propugnata fidei aut morum doctrinam promoveat, & noxias opiniones refellat. Præ oculis ha-

ben-

benda regula est quam *tract.* VIII. *in Epist. I. S. Ioannis* Augustinus tradit. *Dilige, & quodvis fac : sive taceas, dilectione taceas : sive clames, dilectione clames : sive emendes, dilectione emendes : sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis. Non potest de ista radice nisi bonum existere* . De rebus vanis & ineptis ad salutem contendere, & ad solam famam, vanamque gloriam captandam instituere disputationes, peccato non caret. Quamobrem inquit *II. ad Timoth.* II. Apostolus: *Stultas autem, & sine disciplina quæstiones devita, sciens, quia generant lites : servum autem Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, & cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati*.

XII. *Pertinacia* est *adhæsio propriæ sententiæ, plusquam oportet, dum quis in ea perseverat contra agnitam veritatem*, inquit S. Thomas 2. 2. *quæst.* CXXXVIII. *art.* 2. Mortalis est, dum, manifestata doctrina fidei vel morum, eidem resistit, & in proprio errore obfirmate persistit. Graviter proinde peccant illi qui damnatas a summo Pontifice propositiones in materia fidei, vel morum aut aperte tuentur, aut suscipere simulant damnationem, sed interim captiosis commentis, & distinctiunculis eludere, cavillari, extenuare, & in nihilum redigere exquisita arte pertentant. Graviter quoque peccant mercatores, & alii quibus etsi sæpius inculcatum a gravioribus Theologis, & Prædicatoribus sit, licitum non esse quidquam supra sortem in mutuo exigere, absque vero & reali titulo, quotidie tamen ex pecuniis mutuo traditis proventum faciunt : quia præferunt opiniones quæ propriæ cupiditati favent, tametsi audiant eiusmodi opiniones Scripturis divinis, SS. Patribus, & Theologorum doctiorum sententiæ adversari.

XIII. *Discordia* in voluntatum contrarietate sita est. Quemadmodum concordia, quam caritas parit, multorum animos in unum coniungit ob bonum Dei, & proximi; ita discordia, quam parturit inanis gloria, animos dividit circa bonum divinum, & proximi, in quod ex præcepto divino tendere astringuntur. Discordia itaque est voluntatum, non opinionum dissensio. Discordantes vero in varietate sententiarum, salva unitate voluntatum, in discordiæ flagitium non labuntur, nisi talis dissensio vel cum maiori quam par est pertinacia coniuncta sit, vel circa ea sit quæ sunt de necessitate salutis, puta circa fidem, vel bonos mores. Lege plura apud S. Thomam 2. 2. *quæst.* XXXVII. *art.* 1. ubi *ad* 2. advertit, aliquando facere discordiam non modo peccatum non esse, sed rem laudabilem, quando nempe aufertur mala concordia. *Causare discordiam per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile. Et hoc modo laudabile fuit quod Paulus posuit dissensionem inter eos qui erant concordes in malo. Nam Dominus de se dicit Matth.* X. *Non veni pacem mittere, sed gladium*. Nihil sanctius vera concordia, quam parit caritas ad propugnandam veritatem; at nihil exitialius falsa concordia, quam parit inanis gloria ad tuendas sententias, & opinationes quæ carnalium appetitionum

num caussam agunt. Heu quam multos decipit huius falsæ concordiæ præstigium, & fictæ pacis simulacrum! Plura alibi scripsi adversus hanc simulatam pacem, & ementitam concordiam.

XIV. *Præsumptio novitatum* est cum quis inani gloria inflatus novas excogitat opiniones, novasque vestitus formas in animarum perniciem; aut antea excogitatas, & antiquatas in scenam reducit. Peccatum mortale est, quando inde oriuntur scandala, morum perversio, antiquæ disciplinæ deformatio. Illud enim novum dicitur in materia fidei, & morum quod ad primos sacræ doctrinæ fontes, ad Apostolorum traditionem, ad communem SS. Patrum doctrinam revocari non potest. Dicenda aliqua hic essent de luxu, & fastu, quo homines se se in incessu, in vestibus, in ædificiis, in supellectili, in mensa, in sermone extollunt supra ceteros. Verum alibi profligare hæc vitia studui.

CAPUT V.

De avaritia.

I. Avaritia definitur 2. 2. *quæst.* CXVIII. *art.* 1. a S. Thoma *immoderatus amor habendi*: & *art.* 4. ibidem dicitur, quod sit *inordinatus amor divitiarum*. Item *art.* 8. appellatur *superfluus amor habendi divitias*. Quæ definitiones eodem recidunt. Hic inordinatus amor duplici modo considerari potest. Primo erga proximum, aut per excessum in accipiendo, aut per defectum in tribuendo. Et secundum hoc, inquit Angelicus, est *peccatum in proximum*. Secundo erga se ipsum, puta quod immoderate quis divitias amet, aut desideret, aut delectetur in eis: & sic avaritia est peccatum hominis in seipsum. Priori modo avaritia est peccatum mortale ex suo genere, si sit contra iustitiam, aut caritatem, aut misericordiam; nisi aut imperfecta deliberatio, aut materiæ parvitas excuset. Posteriori modo, quando avarus ex immoderato affectu erga divitias frustrat semetipsum necessariis, aut immoderato labore se torquet, ut divitias comparet, (& hoc in genere sæpe etiam pauperes peccant, qui dum carent facultate, ardent cupiditate) si tantus sit affectus, ut in eo homo constituat ultimum finem, tunc est peccatum mortale. Si vero avaritia sit inordinatus amor rerum temporalium, sine voluntate faciendi, vel omittendi quidquam contra legem Dei, tunc erit peccatum veniale, inquit S. Thomas *loc. cit. art.* 4.

II. Avaritia est vitium capitale, ut *loc. cit. art.* 7. ostendit S. Thomas, cui accedunt omnes Theologi: & hoc vitinm capitale, non carnale, sed spirituale appellatur a S. Thoma ibidem art. 6. *Delectatur enim avarus*, inquit, *in hoc quod considerat se possessorem divitiarum: & ideo avaritia est peccatum spirituale.*

III. Heinc colligitur 1. Avaritiæ peccatum perpetrant homines, dum per fas & nefas pecunias, & agros congregant. 2. Quando tanto divitiarum amore flagrant

ho-

homines, ut in eisdem constituant ultimum finem. 3. Dum ita cupide amant hæc temporalia bona, ut eorum iacturam, aut diminutionem pati nolint vel propter Deum, vel propter proximum. 4. Dum nullum terminum cupiditati insatiabili ponunt, & ita lucro inhiant, & applicati sunt, ut negligant ea quæ ad salutem æternam requiruntur. 5. Qui tempore penuriæ frumenta abscondita tenent, ut pretium augeatur. Contra istos Deus *Prov.* XI. maledictionem intorquet: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem super caput vendentium*. Præclaram hac de re vel ipse ethnicus Cicero *Lib. III. Offic.* regulam tradit, quam alibi rescripsi. 6. Peccant peccatum avaritiæ qui habentes scientiam salutarem, communicare eam proximo recusant. Si enim peccant qui frumentum, & vinum ad alenda corpora destinata abscondita retinent; quanto magis peccabunt qui verba salutis ceu frumenta ad alendam Ecclesiam, seu animas necessaria, liberaliter impertiri fidelibus detrectant? Quare Salomon incredibili sapientia præditus *Sap.* VII. aiebat: *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico*: & rursus *Ecclesiastici* XXIX. inquit: *Quod habes in manu, eiba ceteros. Sapientia enim abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Melior est qui abscondit stultitiam quam qui abscondit sapientiam suam.*

IV. Innumera sunt Scripturarum documenta contra hanc avaritiæ pestem ipsi generi humano infestam. Clamat Dominus per Isaiam V. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Et Propheta Ezechiel cap. XXII. *Principes eius in medio eius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & avare lucra sectanda*. Et Propheta Amos cap. VI. *Væ qui opulenti estis in Sion . . . qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti . . . qui canitis ad vocem psalterii, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.*

V. Non minus tremendæ sunt minæ, & supplicia in novo, quam in veteri Testamento contra avaros. *Luc. cap.* XII. hæc habentur. *Hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.*

VI. Acute animadvertit S. Augustinus *serm.* CLXXVIII. alias XIX. avarum hunc non alienæ substantiæ fuisse raptorem, non fraudulentum, non pauperum oppresso-

forem, non viduarum expilatorem, sed de suo divitem. *Non de cuiusquam vicini agris, non limite perturbato, non spoliato paupere, non circumvento simplice, sed tantummodo de suis colligendis cogitabat . . . Ait illi Deus*, Stulte. *Ubi tibi sapiens videris, ibi stulte*. Stulte, *inquit*, hac nocte repetent animam tuam a te: hæc quæ præparasti, cuius erunt? *Si servaveris, tua non erunt. Si erogaveris, tua erunt. Quid reponis quod relicturus es? Ecce increpatus est stultus male recondens. Si stultus est qui recondit sua, vos invenite nomen ei qui tollit aliena . . . Fortassis aliquis respondeat, & dicat: Non valde magna pœna erat illi homini, cui dixit Deus*, Stulte. *Non sic dicit Deus*, Stulte, *quomodo homo dicit. Tale in quemquam Dei verbum iudicium est. Numquid enim Deus stultis daturus est regnum cælorum? Quibus autem non est daturus regnum cælorum, quid eis restat nisi pœna gehennarum?*

VII. S. Ioannes Chrysostomus, quamquam ubique suæ incredibilis eloquentiæ uberrimam vim prodat, tamen in describenda avari hominis inexplebili crudelitate, & fame insatiabili ultimas suæ facundiæ vires exerit *hom.* XXIX. in Matth. *Fingite*, inquit, *videre tetrum hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex utroque humero dracones pro manibus dependeant, cuius os cavernæ instar magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti enses stent, ex lingua venenosus fons scaturiat: venter omni fornace sit voracior, cuncta quæ immittuntur, subito consumens, pedes alati, quavis etiam flamma vehementiores: facies canis ac lupi simul: nec hominis vocem emittat, sed insuave quiddam ac terribile mugiat, faces præterea in manibus teneat. Imaginemur illum obvios quosque iugulare, carnes eorum lacerare, ac devorare. Multo truculentior est avarus in omnes, ut mors insiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis humani hostis: quippe qui vellet nullum hominem esse, ut omnia possideret. Neque hic sistit gradum, sed cum omnes perdiderit cupiditate sua, etiam terræ substantiam cupit abolere, ac ipsam in aurum conversam vellet aspicere*. Plurima alia ibidem persequitur Chrysostomus. Verum hæc, & plura alia Scripturarum & Patrum testimonia brevitatis studio prætereo. Nihil enim notius quam avaritiæ sitim esse insaturabilem, cum vel Poeta ipse exclamet:

— *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri sacra fames?

VIII. Avaritiæ filiæ sunt proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentiæ, obduratio, furtum, homicidium, usura, simonia, divinorum neglectus, fiducia in rebus sæculi, & mala pene omnia.

IX. *Proditio* est *iniusta manifestatio vel personæ, vel alicuius rei in detrimentum proximi contra fidem datam*. Et hoc quadrupliciter contingit. 1. prodendo personam, sicuti Iudas ex avaritia prodidit Christum. 2. prodendo loca, puta ur-

bem, castrum &c. 3. prodendo res mobiles. 4. revelando alterius secreta tibi commissa. Est peccatum mortale ex genere suo.

X. *Fraus* est *vafra deceptio alterius in facto*, ut contingit in contractibus tam ratione materiæ, quam pretii. Est similiter peccatum mortale ex genere suo.

XI. *Fallacia* est versuta deceptio alterius in verborum circuitione. De quo vitio plura in Decalogum dicta sunt, sicut & de *perjurio*.

XII. *Inquietudo* est *anxia & immoderata applicatio ad conquirendas, augendas, conservandasque divitias cum nimio timore ne in futurum defuturæ sint*. Letalis est, dum finem ultimum in rebus caducis constituit, & ita rebus terrenis se se immergit, ut negligat ea quæ ad æternam animæ salutem necessaria sunt.

XIII. *Violentia* est, cum bona aliena per vim usurpantur; ut cum debitores potentes pauperum, & mercenariorum debita solvere recusant, & inferiores defatigant, opprimunt oneribus, iniquis pecuniarum, vel operum, & laborum exactionibus.

XIV. *Obduratio contra misericordiam* est illa tenacitas qua cor avari super pauperum miseriis insensibile est, & induratum, quin ullo modo emolliatur ad eorum inopiam sublevandam. De *furto*, de *homicidio Tom. IV.* in Decalogum: de *usura Tom. VII.* de *simonia* supra actum est.

CAPUT VI.

De luxuria, & gula.

Laxæ PP. Viva, Busembaum, *& aliorum opiniones refelluntur.*

I. HAEC duo sola vitia inter septem capitalia carnalia sunt, & ita sibi propinqua, ut dixerit S. Augustinus: *Venter, & genitalia sibi vicina sunt, & pro ordine membrorum, ordo quoque vitiorum existit*. De luxuria fuse scripsi *Tom. IV. in 6. Decal. mandatum*: idcirco pauca hic obiter delibo. Luxuria est *inordinatus appetitus voluptatis venereæ*. Peccatum mortale est genere suo. Ne actum agam, consule *loc. cit. Lib. VIII.* ubi reperies monstrosa laxitatis paradoxa quæ nonnulli Casuistæ in hac lutulenta materia excogitarunt.

II. *Gula* soror luxuriæ, aut verius dixerim mater, definitur *inordinatus edendi, & bibendi appetitus*, ut ex S. Thoma 2. 2. *quæst.* CXLVIII. *art.* I. colligitur. Appetitus iste semper perversus est, dum finem in delectatione, & voluptate constituit. In gulæ favorem docuerunt Ioannes Sanchez, Escobarius, Moya, & alii, ut refert P. La-Croix *Lib. V. num.* 300. licitum esse intendere delectationem quæ capitur ex cibo, vel potu moderato. Sed hæc thesis est 8. damnata ab Innocentio

XI.

XI. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem* &c. Hæc proscriptio, subdit *ibid.* P. La-Croix, *reddit opinionem illam difficilem*. Ita ne vero? Difficilem? Eccur difficilem? Ante damnationem erat difficilis, quia consuetis distinctiunculis implicabatur. At post damnationem facilis evasit: quia intelligitur vel ab ipso vulgo damnata: & hac ratione sublata est omnis difficultas, quam ante prohibitionem obtrudebant citati Auctores.

III. Neque tamen hinc inferas velim, voluptatem, & saporem cibi & potus peccatum esse. Quoniam, inquit *Lib. IV. contr. Iulian. cap.* XIV. S. Augustinus, *non solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis*. Immo sapor est medium quod cibi sumptionem facilem reddit. Perversio autem appetitus in hoc sita est, quod hoc medium transmutet in finem. Quare qui comedunt & bibunt ob solam voluptatem, peccant ut minus venialiter, quod pervertant naturæ ordinem intentum in cibo & potu, qui est vitæ sustentatio, non voluptas. Similiter peccant venialiter qui propter solam voluptatem audiunt musicam, olfaciunt rosam, prospectant flores; quidquid in oppositum opinetur P. Viva in commentariis in dictam *thesim* 8. *num.* 6. ubi hæc habet. „ Verum quidem est quod possit PROPTER SE intendi directe oblectatio aliqua, quæ reperitur in ludo v. g. in olfactu floris, in auditione musicæ, & aliis actibus moraliter indifferentibus. " Hæc P. Viva opinatio non modo damnata est in præfata thesi, sed evidenter falsior & laxior. Voluptas cibi & potus necessaria est ut medium ad naturæ sustentationem: & nihilominus qui illam *propter se directe* appetit, peccat saltem venialiter. Voluptas ludi, olfactus rosæ, & musicæ non est necessaria ad vitæ sustentationem. Numquid homo sine ludo, sine musica, sine olfactu rosæ vivere nequit? Ergo voluptas captata ex ludo, musica &c. *per se directe* damnabilior est quam voluptas capta ex cibo, & potu. Ratiuncula quæ ab Auctore isto obtruditur, nimis vana est. Huiusmodi voluptas, inquit, ludi, musicæ, olfactus rosæ ad hoc ipsum instituta est ut animum relaxet: & ideo *propter se directe intendi potest*. Voluptas cibi instituta est ob conservationem individui; & voluptas rei uxoriæ propter conservationem speciei. Propterea ne intendi propter se directe potest? Ineptirem ipse, si fusius laxam opinationem labefactare pergerem.

IV. Gula est peccatum mortale, quatenus *inordinatio concupiscentiæ accipitur in gula secundum aversionem a fine ultimo*, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* CXLVIII. *art.* 2. Homines enim gulæ dediti, ventri suo, tamquam ultimo fini, famulantur, ut *Rom.* XVI. inquit Apostolus. *Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*. Item ad Philip. III. *Quorum Deus venter est. Si vero in vitio gulæ*, inquit idemmet Doctor, *intelligatur inordinatio concupiscentiæ secundum ea quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationem ciborum,*

rum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale.

V. Tribuitur gula in species duas, nempe *comessationem* seu crapulam, & *ebrietatem*. Illa in immoderata cibi, hæc in nimia potus sumptione consistit. Utraque ex suo genere est peccatum mortale. *Homicidia, ebrietates, comessationes* &c. *qui talia agunt regnum Dei non consequentur*: ad Galat. v.

VI. Quis sibi in animum induceret, Casuistas reperiri qui contra tam manifesta Scripturarum oracula scribere ausi essent, comessationem, qua quis, secluso scandalo, & gravi sanitatis damno, se cibo, & potu ingurgitat usque ad vomitum, & reipsa ad vomitum se provocat, ut iterato epulari possit, non esse peccatum mortale? Et tamen hæc scribit P. Herman Busembaum *Lib. V. cap.* III. *dub.* 5. apud P. Claudium La-Croix *num.* 293. *pag.* 43. „ Hinc *probabile est*, quod „ docet *Navar. Tol.* &c. & non repugnat *Laymanus*, secluso scandalo, & aliis, „ veniale tantum esse *usque ad vomitum* se cibo & potu IMPLERE. Idque etiam, si quis VOMAT, UT ITERATO POSSIT BIBERE. " Hanc comessationem, & potum vel ipsi Escobarius, Sa, aliique multi similes, fatente ibidem Busembao, defendunt esse mortalem.

VII. Quam sit detestabilis recensita opinio P. Busembaum, & aliorum, Scripturæ sanctæ patefaciunt. Isaias cap. v. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum*. Evangelista Lucas cap. VI. *Væ qui saturati estis, quia esurietis*. Iterum cap. XXVIII. Isaias: *Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque, ita ut non esset ultra locus*. Porro in divinis Scripturis *τὸ Væ* æternum supplicium perhibet. *Væ* (inquit Beda in cap. XXIII. Prov.) *æternum interitum nominat*. Et S. Hieronymus in *cap.* v. Amos: *Væ pœnarum ultimum est*. S. Augustinus, sive potius S. Cæsarius *serm.* CCXCIV. scribit: *Frequenter usque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt .... Peiores animalibus iudicandi sunt. Cum enim animalia amplius quam eis opus est, bibere nolint, illi & duplum, & triplum, quam eis oportet, potum accipiunt. Et unde tribus aut quatuor diebus refectionem rationabilem potuerant habere, uno die cum grandi peccato suo contendunt perdere potius quam expendere. Atque utinam vel potum tantummodo perderent, & non etiam ipsi perirent.*

VIII. S. Basilius in *Ascet. cap.* I. hæc habet. *Ventrem plus æquo implere, & cibis aggravare, maledictione dignum est, dicente Domino: VÆ qui saturati estis*. Sed quid ultra Patrum testimonia congero? Vel ipsi ethnici Scriptores hanc comessationem & potum, ad vomitum usque, in Romanis helluonibus tamquam corruptelam detestabilem, a qua bruta ipsa abhorrent, improbabant. Est enim gula, ut dixi, omnium nefandorum criminum mater. Idcirco contra Sodomam Ezechiel clamat cap. XVI. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas*

ritas panis, & abundantia. Quinque exceſſus gulæ communiter Auctores ex S. Gregorio recenſent hoc verſu comprehenſos.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.

IX. Gulæ filias, & mala inde manantia enumerat 2. 2. *quæſt.* CXLVIII. *art. 6.* Angelicus Doctor his verbis. *Gula proprie conſiſtit circa immoderatam delectationem quæ eſt in cibis, & potibus: & ideo illa vitia inter filias gulæ computantur quæ ex immoderata delectatione cibi & potus conſequuntur.*

Quæ quidem poſſunt accipi vel ex parte animæ, vel ex parte corporis. Ex parte autem animæ quadrupliciter. Primo quidem quantum ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi, & potus: & quantum ad hoc ponitur filia gulæ hebetudo ſenſus *circa intelligentiam, propter fumoſitates ciborum perturbantes caput; ſicut e contrario abſtinentia confert ad ſapientiæ perceptionem, ſecundum illud Eccl.* II. Cogitavi in corde meo abſtrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam. *Secundo quantum ad appetitum, qui multipliciter deordinatur per immoderantiam cibi, & potus, quaſi ſopito gubernaculo rationis: & quantum ad hoc ponitur* inepta lætitia: *quia omnes aliæ inordinatæ paſſiones ad lætitiam, & triſtitiam ordinantur, ut dicitur in II. Ethic. . . . Et hoc eſt quod dicitur III. Eſdræ* III. *quod* vinum omnem mentem convertit in ſecuritatem, & iucunditatem. *Tertio quantum ad inordinatum verbum: & ſic ponitur* multiloquium*: quia, ut Greg. dicit in Paſt. . . .* niſi gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, dives ille qui epulatus quotidie ſplendide dicitur, in lingua gravius non arderet. *Quarto quantum ad inordinatum actum: & ſic ponitur* ſcurrilitas, *ideſt iocularitas quædam proveniens ex defectu rationis, quæ ſicut non poteſt cohibere verba, ita non poteſt cohibere exteriores geſtus. Unde ad Epheſ.* V. *ſuper illud*, Aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, *dicit Gloſſ. quod* a ſtultis curialitas dicitur, ideſt iocularitas, quæ riſum movere ſolet. *Quamvis poſſit utrumque horum referri ad verba in quibus contingit peccare, vel ratione ſuperfluitatis, quod pertinet ad multiloquium, vel ratione inhoneſtatis, quod pertinet ad ſcurrilitatem.*

Ex parte autem corporis ponitur immunditia, *quæ poteſt attendi ſive ſecundum inordinatam emiſſionem quarumcumque ſuperfluitatum, vel ſpecialiter quantum ad emiſſionem ſeminis. Unde ſuper illud ad Epheſ.* V. Fornicatio autem, & omnis immunditia *&c. dicit Gloſſ. . . . ideſt incontinentia pertinens ad libidinem quocumque modo.*

X. Plura adverſus gulam ſcripſi *Tom. V. Lib. II. de ieiunio*. Item in aliis duobus operibus *La Quareſima appellante*, & *La diſciplina antica e moderna* &c. Si plura cupis, lege *loc. cit.*

CAPUT VII.

De ebrietatis peccato.

Bussembaum, Lessii, La-Croix, *& aliorum laxæ opiniones refelluntur.*

I. EBrietatis finitio est, *quod sit excessus in potando usque ad violentam usus rationis privationem*. Excessus iste in potu usque ad violentam usus rationis privationem debet esse voluntarius, ut peccatum sit. Quoniam, ut 2. 2. *quæst.* cl. *art.* 2. docet S. Thomas, contingere potest quod aliquis *nesciat potum esse immoderatum, & inebriare potentem; & sic ebrietas potest esse sine peccato. Alio modo contingit quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimet inebriare potentem; & sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse quod aliquis bene advertat potum esse immoderatum, & tamen magis vult ebrietatem incurrere quam a potu abstinere; & talis proprie dicitur ebrius . . . Et sic ebrietas est peccatum mortale.*

II. Malitia igitur ebrietatis in hoc sita est, ut homo sciens, & volens bibat cum tanto excessu, ut usu rationis se se privet. Dicitur hæc privatio *violenta*, ut distinguatur a privatione naturali usus rationis, quæ a somno inducitur. Contra ebrietatis scelus clamant Scripturæ sanctæ, & mortem æternam minantur. Isaias cap. v. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperum, ut vino æstuetis.* Lucæ xxi. Christus Dominus inquit: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* S. Paulus Apostolus I. Cor. vi. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi . . . regnum Dei possidebunt.*

III. Ebrietas est peccatum mortale ex genere suo, ut *lect.* iii. *in cap.* xiii. *Epist. ad Rom.* S. Thomas docet, inquiens: *Est considerandum, quod ebrietas ex suo genere est peccatum mortale, cum scilicet homo ex proposito inebriatur, quia videtur præferre delectationem vini integritati rationis.* Idem repetit *lect.* iii. *in cap.* v. *I. Cor.* Doctrinæ S. Thomæ subscribunt communiter Theologi omnes. Tempus me deficeret, si Patrum testimonia recensere vellem contra ebrietatem. Pauca delibabo.

IV. S. Basilius omnium Græcorum Patrum eloquentissimus *homil. contr. ebriet.* hæc scribit. *Qua in re, dic homo miser, differs a brutis? Nonne rationis munere? . . . Hoc igitur te rationis lumine per ebrietatem privans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris, similisque illis videri: immo & bestiis longe pejores eos exi-*

existimaverim qui ab ebrietate superantur . . . . Nec solum eo peiores brutis , quod mente insani, aut ebrii, sed etiam quod sensibus longe infra illa deficere videantur. Quod , quæso, animal ita visu, audituve , atque ebrius homo , debilitatur ? Nonne familiarissimos interdum ignorant ? Alienis vero sæpe ut domesticis congrediuntur &c.

V. S. Ambrosius inter Latinos Patres doctissimus & eloquentissimus *Lib. de Elia & ieiunio cap.* XVII. scribit. *Quid autem ostentationes potantium loquar? Quid memorem sacramenta quæ violare nefas arbitrantur. Bibamus, inquiunt : opto salutem Imperatorum; ut qui non biberit, fiat reus indevotionis. Videtur enim non amare Imperatorem qui pro eius salute non biberit. O piæ devotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate: & hæc vota ad Deum pervenire iudicant, sicut illi qui calices ad sepulcra Martyrum deferunt , atque illic ad vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant , qui æstimant illis ebrietatem placere qui ieiunio passionem sustinere didicerunt! . . . Quid retexam auditum mihi non poculi, sed proflui genus, quo in ora hominum tamquam per fistulas, aut canales vina funduntur? Hos homines, an utres verius existimaverim? Et tamen ipsi utres, nisi moderata transfusio fit, sæpe rumpuntur. Per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt, & si quis respiraverit, commissum flagitium, soluta acies , loco motus habetur. Aqua decurrens a Libano cautes rupeas solvit , quomodo mollibus putant nequaquam nocere visceribus vinolentorum impetus fluentorum?*

VI. Heinc infertur, quam laxæ sint opiniones de ebrietate plurium recentiorum. P. Busembaum *Lib. V. cap.* III. *dub.* I. *art.* 2. apud P. La-Croix *num.* 308. aberrat a veritate in ipsa ebrietatis definitione, inquiens: *Malitia ebrietatis plenæ & perfectæ in eo consistit quod quis sine iusta & gravi causa tantum ob voluptatem , aut ingluviem sciens & volens privet se usu rationis.* Definitio hæc ad laxitatem viam aperit, & Patrum doctrinæ adversatur. Vidimus ex S. Ambrosio plures abundantiore potu se se ingurgitare pro salute Imperatoris, Regis, Principis. Et qui non potant, amare, & revereri Imperatorem non videntur. Alii pro salute exercitus, alii pro comitum felicitate, alii pro filiorum sanitate , alii ut notam singularitatis declinent, alii connivendi gratia, alii, ne amicos contristent, inebriantur. Quoniam inquit in *cap.* I. *ad Tit.* Hieronymus post Ambrosium, *accusationis occasio est adiuratum per Regem frequentius non bibisse.* Ebrietates istæ iuxta *P. Busembaum* non erunt plenæ & perfectæ, quia voluptatis caussa non sunt captatæ.

VII. Verum laxiora sunt consectaria, quæ ex sua finitione eruit P. Busembaum. Qui se inebriat, inquit, *absque iusta & gravi causa*. Occurrit ergo iusta & gravis caussa ebrietatis admittendæ? Quidni? reponit ille ibidem his verbis. *Non est peccatum inebriare se ex præscripto medicorum, si aliter sanitas recuperari non possit.*

ft. Syl. Cai. Laym. An in Hypocrate, vel Galeno præscripta occurrit hæc ebrietatis medicina? Supremus medicus divinus, in cuius manu salus & vita hominis est, ebrietatem damnat, & execratur: & præscribere illam medici audebunt? Largiorem potum ad vomitum excitandum sumi posse sanitatis caussa S. Thomas 2. 2. *quæst.* cl. *art.* 2. *ad* 3. docet, exclusa ebrietate. *Nec tamen ad vomitum procurandum requiritur quod sit potus inebrians: quia etiam potum aquæ tepidæ vomitum causat: & ideo propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.* Sic Ecclesiæ Doctor. At Doctores moderni nonnulli oppositum sentiunt. Verum ab ulteriori confutatione abstineo, quod casus iste chimæricus sit. In quo, quæso, medicorum libro reperit P. Busembaum, aliique, morbum aliquem cui curando necessaria ebrietas sit? P. Claudius La-Croix ibidem *num.* 311. plures recenset Auctores, prædictam opinationem propugnantes: & postea *num.* 312. subdit ipse, non esse obligationem se inebriandi: quia, inquit, *contraria opinio, quod id non liceat, est probabilis.* Hoc unum deerat quod doctrina Doctorum Ecclesiæ neque ut probabilis admitteretur. At non modo probabilis, sed unice vera est sententia S. Thomæ.

VIII. P. La-Croix ibi *num.* 313. adiicit. „ Ad morbum gravem, etiam non le-„ talem, curandum, *aut cavendum* licitam esse inebriationem, docent multi cum „ *Gobat* a *num.* 15. si aliter curari, aut caveri nequit. " Hæc opinio longe laxior est præcedenti. Etiam ad morbum non letalem, non modo curandum, sed etiam *præcavendum* licita est inebriatio? Verum hæc doctrina falsa, & perniciosa est, ut mox evidenter demonstrabo.

IX. Pergit ibidem P. Busembaum, inquiens: *Non item est peccatum* (se inebriare) *si quis cogatur intento ense. V. Less. Lib. IV. cap.* 111. *dist.* IV. *num.* 37. *Azor. Reg. in Baldell.* Ebrietas est vitium capitale: est ex genere suo peccatum mortale, ut Theologi docent. Et hæc ebrietas licita erit ad mortem comminatam vitandam? Licitum ergo erit fornicari, adulterare, peierare ad mortem evitandam? Sunt hæc absurda, universæ antiquitati inaudita. Hanc P. Busembaum, & aliorum opinionem improbavit S. Augustinus *ser.* CCXXXII. seu verius S. Cæsarius *ser.* CCXCV. in append. S. Augustini, his verbis. *Solent ebriosi ita se excusare, ut dicant: Persona potens me coegit ut amplius bibam: & in convivio Regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus . . . Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: Aut bibes, aut morieris: melius erat ut caro tua sobria occideretur quam per ebrietatem anima moreretur.* Iterum serm. CCXCIII. *Qui alterum cogit ut se plusquam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio quam animam eius per ebrietatem occideret.*

X. Respondet P. Lessius *loc. cit.* a P. Busembaum, S. Augustinum docere, moriendum

dum potius esse quam se inebriare, quando tyrannus, aut quisque alius in Religionis contemptionem ad ebrietatem compellit. En quam verum sit, recentes non paucos, ut suas novas opinationes defendant, aut reponere Patres non resolvisse casus temporum, aut vanis commentis illorum eludere decisiones. Hæc P. Lessii interpretatio vana, arbitraria, & prorsus falsa est. Qua ratione, vel probabili coniectura huc intrudit P. Lessius Religionis contemptum? Ubi in S. Augustini, vel Cæsarii testimonio leve aliquod vestigium? Si consisteret cavillatorium hoc interpretamentum, quisque dicere posset, non esse mentiendum, non fornicandum, quando mors a barbaro intentatur in contemptum Religionis; ceterum licitum esse mentiri, fornicari, adulterare ad evadendam mortem, quæ in contemptum Religionis non intentatur. Quæ absurda quam sint horrenda, & quam necessario consequantur doctrinam P. Lessii, nemo non videt.

XI. Alia commenta excogitarunt recentiores non pauci in ebrietatis favorem. Hæc quippe addit P. Busembaum ibidem. *Si iusta causa est, ut v. g. si grande malum non possit impediri, nisi auctor inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem, quæ saltem ipsi non sit voluntaria, ut scilicet præter intentionem, ideoque inculpabiliter inebrietur, v. g. vinum fortissimum, aut medicatum propinando, cuius vi ignorata decipiatur. Unde sic posse inebriare eos qui alioquin essent proditurì urbem, vel te abducturi. Lessius loc. cit. & Sanch. lib. II. de Matrim. dist. 11. An vero hoc casu liceat inducere ad ebrietatem ipsi voluntariam, dubium est. Lessius num. 32. affirmat: quia, inquit, licet suadere, & inducere ad minus malum, ut impediatur maius.*

XII. Vides ebrietatem factam ab his Auctoribus pharmacum opportunum, & efficax ad curandos, præcavendosque morbos, ad conservandas civitates, ad plurima evitanda mala. Idcirco P. Busembaum posuit in definitione ebrietatis illicitam esse sine iusta & gravi causa. Contra, si iusta & gravis caussa adsit, tum licita, & honesta evadit. Prodenda est civitas? Inebrietur proditor. Abducendus es in servitutem? Inebrietur prædator. Imminet tibi gravis infirmitas? Poculum ebrietatis sumito. Iniuste detineris in carcere? Inebria custodem. Dormire nequis? Te inebria. Recusat ille manifestare secretum quod manifestare tenetur? Inebria illum. Somnia videntur hæc: at totidem verbis docent multi Doctores moderni. P. Lessius, inquit P. La-Croix loc. cit. num. 316. *excusat Indos a mortali, qui tabaco se inebriant, inducendo somnum in se, eo quod privare se ratione per somnum non sit peccatum.*

XIII. Pergit ibidem P. La-Croix recensere more suo opiniones excusantes ebrietatem. P. Illsung docet, cubantes super *lupulum*, & se inebriantes non peccare: quia, inquit, *talis inebriatio caret magno voluptatis illicio*. Hæc ratio nec ipsi P. Croix firma apparet. Num. 317. hæc addit. *Ang. Tanner. Fagund. Gobat* cap. VI. num. 37. *universaliter docent ebrietatem nullam esse mortalem, nisi DIU privet usu, & po-*

& potentia rationis. Diu ergo, non modo usu, sed etiam potentia rationis privare ebrietas debet, ut sit peccatum mortale. Et quæ temporis longitudo requiritur? Una hora, inquiunt, videtur esse longum tempus. Qui vero per tres quadrantes ingurgitatus mero, & plene ebrius absque usu, & potentia rationis iaceret ut bestia, hic venialiter tantum peccaret iuxta Tannerum, Fagundez, Gobat, & La-Croix, qui ultra progreditur, & *num. 329.* hæc subiicit. *Si quis ex gravi causa faciat inebriari alterum ad elicienda secreta quæ alter tenetur manifestare, multi dicunt non peccare, si ad materialem tantum ebrietatem inducat*. Alium casum exponit ibi P. Croix *num. 332.* & est sequens. *Iniuste in custodia detentus non peccat inducendo custodes ad materialem ebrietatem*. Et, missis pluribus aliis, quærit *num. 326.* quid consilii dandum marito sit qui conqueritur uxorem *suam esse bibulam?* Et respondet, P. Gobatum remedia suggerere *cap.* XLIII. *num.* 48. remedia *physica contra ebrietatem cap.* II. *§. 2. moralia autem §. 3. & 4.*

XIV. Hæc rescribere placuit, ut intelligat Lector, quanta industria Busembaum, Illsung, Gobat, Lessius, La-Croix, & alii curaverint ebrietatis peccata minuere. La-Croix longum censum conficit opinionum quæ aut excusant ebrietatem, aut eam reiiciunt. Scripturarum oracula, SS. Patrum acres, & vehementes declamationes alto premit silentio. Sub finem dumtaxat illis qui amant castitatem, suggerit, debere immoderatas potationes fugere: quia Paulus *Ephes.* V. ait: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Idque confirmat auctoritate Aristophanis, & Hieronymi. At numquid non amantibus castitatem licitæ erunt immoderatæ potationes? Absit.

XV. Ebrietas natura sua mala est, vitium capitale est, & ex genere suo mortale; nihilosecius medicina evasit, & remedium ad morbos curandos, ad somnum conciliandum, ad mala præcavenda, ad extorquenda secreta, ad fugam e carceribus capiendam. Quis hæc inaudiens, eaque comparans cum Scripturarum oraculis, & Sanctorum doctrina, commotum non se sentit? Magis ergo detestatione quam confutatione refellenda sunt. Quoniam nonne scelus est uti fornicatione, mendacio, adulterio ad recensita mala præcavenda, ad morbos curandos? Cur? Quia hæc scelera natura sua mala sunt. At nonne & ebrietas natura sua exitiosa est? Nonne genere suo peccatum mortale est?

XVI. Tabernarii, inquit S. Antoninus *II. Part. tit.* VI. *cap.* III. *§.* 2. scientes, aut prævidentes inebriari eos qui ad popinas accedunt, peccant mortaliter, si propter avaritiam non negant iisdem vinum, & non impediunt ebrietatem. Quoties enim sine magno periculo impedire peccatum ebrietatis possunt, & omittunt, graviter peccant contra præceptum, quo *unicuique mandavit Deus de proximo suo*. Nec est quod se excusent, dicentes paratos illos esse ad ebrietatem: nam vides quempiam paratum ad se corporaliter interficiendum: numquid non astringeris executionem suicidii impedire?

XVII.

XVII. P. Gobat *Tom. III. tract. v. cap. vi. num.* 41. excusat a mortali eos qui nimio potu se replent, quique simul pharmacum habent, vel pulverem, quo aut impediunt privationem rationis, aut amissum rationis usum brevi recuperant. Sed hæc opinio Gobat falsa est, & divinis Scripturis adversa. Contra istos clamat Salomon Prov. xxiii. *Cui væ? Nonne his qui commorantur in vino?* Clamat Propheta Isaias: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

XVIII. Cibus, & potus remedia sunt contra mortem instituta: idcirco sumenda sunt, *quemadmodum medicamenta*, inquit *Lib. X. Conf. cap.* xxxi. S. Augustinus. Excessus sumptionis numquam culpa caret. Sed quo est maior, eo culpa gravior. Magnus excessus in cibo, tametsi rationem non eripiat, peccatum grave est. Sic quoque magnus excessus in potu natura sua grave peccatum est.

XIX. Non minus mirificæ sunt plurium Casuistarum opinationes in describendis signis, unde colligi possit ebrietatem esse peccatum mortale. Aliqui assiduitatem, & frequentiam se inebriandi signum esse inquiunt ebrietatem esse mortalem. Utique assiduitas ostendit ebrietatem esse voluntariam; at ebrietas potest sine assiduitate esse mortalis. Potest quis semel in ebrietatem incidere, aut vini robur, aut stomachi debilitatem ignorans: idcirco dictum in definitione est, illum peccare mortaliter qui *sciens & volens se inebriat*. Aliquis autem semel potest scienter se inebriare. S. Augustinus, sive S. Cæsarius *ser.* xli. dicit ebrietatem esse mortalem, *si sit assidua*: quia, inquit 2. 2. *quæst.* cl. *art.* 2. *ad* 1. S. Thomas, *assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam iterationem actus; sed quia non potest esse quod assidue inebrietur, quin sciens & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem.*

XX. Regula generalis, qua præcise dignoscatur, quisnam excessus sit peccatum mortale, vix designari valet. Sed hinc nemo animos suscipere debet ad excedendum; immo contra ab excessu magnopere quisque cavere sibi debet, ne periculo se se committat graviter excedendi. Illa enim peccata quæ definitos limites non habent, summopere formidanda sunt: quia divino, non humano iudicio ponderantur.

XXI. Aliqui Casuistæ ebrietatem a mortali excusant, si eo non pervenerit, ut homines magis irrationales quam rationales appareant. Si homines in pecora, & in bruta non trasmutantur, tunc, iuxta Auctores istos, non peccant mortaliter: puta, si retrahere se nequeunt a via, ne opprimantur a curru, vel equo transeunte, a quo vel ipsa bestia sibi cavet.

XXII. P. Busembaum Lib. V. cap. iii. art. 2. *Si quis post potum discernere adhuc possit inter bonum, & malum, licet nonnihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videa-*

deatur; nondum plena est ebrietas: ideoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, si DELIBERATE fit commissum. V. Layman loc. cit. Plena ebrietas notatur ex his signis quae dat Lessius num. 30. &c. Si quis non meminerit dictorum, factorum, quomodo, vel quando domum deductus. 2. Si commisit ea quae numquam sana mente solet: v. g. si praeter morem turpia sit locutus, turbavit domum, uxorem verberavit &c.

XXIII. Quamvis igitur homines mero se ingurgitent usque ad vomitum *reipsa secutum*, quamvis oculi revoluti *cernant duplicia*, quamvis domus *gyrari* videatur, & lingua *titubet*, quamvis domum veluti porcelli deportentur; si tamen meminerint portatos se esse, quamvis *deliberate* usque ad hunc excessum potent, & se se ingurgitent, nihilominus liberi sunt a peccato mortali, & solum venialem culpam ex gravioribus perpetrant. Hæc mihi laxitatis portenta videntur. Heinc mirari desinamus, cum diebus festis homines mero potatos publicas vias inambulantes conspicimus, pedibus vacillantes, & veluti vento actos modo ad dexteram, modo ad sinistram declinantes, oculisque duplicia, & arbores, domosque gyrare cernentes.

XXIV. Confessarii, Summulam Busembaum legentes, eiusmodi potatores, & vino coctos, solius peccati venialis reos reputant. Declamant Concionatores contra vitium ebrietatis; at surdis canunt, & aerem verberant: quia Confessarii, legentes præfatorum Casuistarum libros, fidem Concionatoribus nullam adhibent.

XXV. Ut multa in pauca contraham, quamvis, ut dixi, certa præfiniri regula nequeat, quando mortalis sit excessus; certissimum tamen est, homines descriptos a P. Busembaum, & Lessio, aliisque, qui deliberate potant usque ad vomitum, cernuntque duplicia, & domum in gyrum duci sibi videre videntur, lingua titubantes, peccare mortaliter. Præterea illud est advertendum, quod potantes usque ad mentis perturbationem, licet non omnimodam & totalem, malitiam ebrietatis aggravant, quia excessus incertitudinem contemnunt: qui excessus divino, non humano iudicio ponderatur. Accedit quod potantes usque ad mentis turbationem tum calefacti magis inardescunt ad bibendum, & tum vix se coercere valent, neque advertere possunt futura absurda, ad quæ illos abripere illa turbatio mentis possit.

XXVI. Ex his omnibus colligant Confessarii, impendendam non esse eiusmodi potatoribus, qui fortes sunt ad bibendum vinum, & robusti ad miscendam ebrietatem, absolutionem, nisi prius certa abstinentiæ, & temperantiæ argumenta exhibuerint. Numquam plus iusto severi Confessarii erunt in deneganda illis qui vitio ebrietatis laborant, absolutione. Et nisi sub initium illos maiori qua valent severitate sanare ab hoc pestifero morbo studuerint, illorum scelerum participes evadent. Serio perpendant Confessarii, frequentantes popinas innumera scelera patrare,

re. Scandala ingerunt, & alios ad idem ſcelus provocant: detractiones, rixas, blaſphemias, periuria, mendacia, & id genus ſimilia committunt: caſtitatem violant, familiam turbant, pecunias ſæpe familiæ ſuſtentandæ neceſſarias uno die dilapidant, debita contrahunt, ludos agunt, tempus perdunt, filios ſcandalizant, & tandem corporis, & animæ ſalutem præcipitant: dies feſtos proſanant, officia hominis chriſtiani negligunt, & profeſſionem evangelicam infamant. Ne multa: frequentia popinarum plurium delictorum occaſio eſt: & merito tabernæ *dæmonum officinæ* appellantur. Induant ergo Confeſſarii vigorem & fortitudinem ſacerdotalem: obſecrent, arguant, increpent, & a ſacramentis penitus illos arceant, donec tanti ſceleris emendationem exhibeant. Regulas temperantiæ, & ſobrietatis diſcant Confeſſarii ab ipſa Scriptura ſancta, a Patribus, ab ipſa natura, quæ a ſuperfluis abhorret. Mittant, quæſo, nonnullos Caſuiſtarum libros, in quibus ea docentur quæ pugnant cum communi ſenſu. In memoriam revocent S. Caroli Borromæi, & omnium Patrum doctrinam, Confeſſarios nempe plures ſua pernicioſa benignitate in cauſſa eſſe cur tot Chriſtiani in vitiorum cœno volutentur. Quoniam ſi Dei miniſtri ſceleris horrorem repræſentarent, ſi timorem incuterent; forſitan, inquit S. Thomas Villanovanus, a vitiis populum revocarent. Severiſſimi præſertim ſint cum Clericis, cum Curatis, cum patribusfamilias, qui tanto gravius peccant quanto in altiori gradu reſulgent.

CAPUT VIII.

Malitia iræ, eiuſque ſex filiæ exponuntur.

I. ANtequam definitionem iræ explicem, præmitto, iram ſecundum ſe, prout eſt motus appetitus ſentientis, nihil mali præſerre. Aliquæ enim paſſiones non malitiam continent, ſed virtutum inſtrumenta ſunt. *Iraſcimini*, inquit David Pſal. IV. *& nolite peccare*. Itaque affectus iræ, inquit Tullius Chriſtianorum, Ludovicus Granatenſis *Dom. X. poſt Pentecoſ. conc. I.* cum ſit ab ipſa natura nobis ingeneratus, & ab opifice Deo inditus (a quo mali nihil emanare potuit) fatendum eſt, hunc animi motum ad humanæ vitæ ſalutem, ſicut & ceteros, qui ſimili modo nobiſcum nati ſunt, eſſe neceſſarium. Qua de re D. Chryſoſtomus ſic ait. *Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur. Itaque qui cum cauſa non iraſcitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit, & non ſolum malos, ſed etiam bonos ad malum invitat*. Hactenus ille. Quam eius ſententiam ſic accipere debemus, ut illam D. Gregorii non obliviſcamur, quæ ſic habet. *Ira, etiam cum delinquentium culpas inſequitur, non debet menti noſtræ quaſi domina præire; ſed poſt rationis tergum quaſi ancilla rationis ſubmiſſa famulari*. Hæc ille.

II.

II. Ceterum, pergit Granatensis, quamvis hic affectus Conditoris beneficio nostræ naturæ inditus fuerit, nos tamen, quemadmodum ceteris, non ad salutem, sed ad perniciem nostram furenter abutimur. Impressit nobis naturæ Auctor coniugii desiderium procreandorum liberorum gratia, quibus naturæ nostræ mortalitas in sobole quodammodo resarcitur. Quis autem enumerare valeat quot stupra, quot adulteria, quot incestus, quotque sacrilegia propter intemperantiam nostram ex hoc fonte oriantur? Universus fere mundus libidinum flammis ardere, & præceps ex igne libidinis in gehennæ ignem ferri videtur. Ingeneravit etiam mentibus nostris idem Conditor nostri amorem, qui nos ad quærenda quæ ad vitæ usum necessaria essent, incitaret; at per immoderantiam nostram ex hoc fonte teterrima generis humani avaritia nascitur, quam Apostolus malorum omnium radicem esse ait. Ad hunc ergo modum ira nos etiam abutimur, quæ cum ad vindicativæ iustitiæ officium data sit, nos eam in furorem, rabiemque ita convertimus, ut vix ulla capitalior pestis in humana vita grassetur. Hactenus Granatensis.

III. Descriptam doctrinam paucis perstringit 2. 2. *quæst.* clviii. *art.* 2. S. Thomas. *Ira, sicut dictum est, proprie nominat quamdam passionem. Passio autem appetitus sensitivi intantum est bona, inquantum ratione regulatur; si autem ordinem rationis excludat, est mala. Ordo autem rationis in ira potest attendi quantum ad duo. Primo quidem quantum ad appetibile in quod tendit, quod est vindicta. Unde si aliquis appetat, quod secundum ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus; & vocatur ira per zelum.*

Si autem aliquis appetat, quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis (puta si appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio iustitiæ, & correctio culpæ) erit appetitus iræ vitiosus; & nominatur ira per vitium.

Alio modo attenditur ordo rationis circa iram quantum ad modum irascendi; ut scilicet motus iræ non immoderate fervescat nec interius, nec exterius; quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat iustam vindictam.

IV. Ira itaque iuxta communem definitionem est appetitus inordinatus iniustæ vindictæ. S. Augustinus appellat vindictam *libidinem ulciscendi*. Iniusta & indebita vindicta est. 1. quando quis innocentem punire concupiscit. 2. dum reum maiori quam mereatur, pœna plecti appetit. 3. dum læsus præter ordinem iustitiæ puniri reum desiderat vel a seipso, vel ab alio, qui nulla in hunc finem auctoritate præditus est. 4. demum indebita, & iniusta ultio est, cum non appetitur ob debitum finem, nempe ob iustitiam,

&

& legum observantiam, aut delinquentis correctionem, & publicam utilitatem, & exemplum. Ira secundum hanc considerationem est peccatum mortale ex genere suo, quia opposita iustitiæ, & caritati; ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* CLVIII. *art.* 3. his verbis. *Motus iræ potest esse inordinatus, & peccatum dupliciter, sicut dictum est. Uno modo ex parte appetibilis; utpote cum aliquis appetit iniustam vindictam: & sic ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur caritati, & iustitiæ.*

Potest tamen contingere quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus. Quæ quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetentis; puta cum motus iræ prævenit iudicium rationis: vel etiam ex parte appetibilis; puta cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum, ita quod etiam si actu inferatur, non esset peccatum mortale; puta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid huiusmodi.

Alio modo potest esse motus iræ inordinatus quantum ad modum irascendi; utpote si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ: & sic ira secundum se non habet ex suo genere rationem peccati mortalis; potest tamen contingere quod sit peccatum mortale; puta si ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei, & proximi.

V. Distinguendus itaque est appetitus vindictæ, de qua dictum est, ab ira quæ animum commovet, & ad indignationem côncitat absque vindictæ desiderio. Hæc enim ira aut nullum, aut veniale peccatum est. Quare qui sine ullo vindictæ appetitu irascuntur, si modum non excedant, vel nullum, vel veniale crimen admittunt. Venialiter quoque dumtaxat peccant quorum ira est quidem cum appetitu vindictæ coniuncta, sed absque voluntatis assensu. Similiter venialis noxa ad summum est ira illorum qui citra ullam deliberationem corripiuntur repentino vindictæ appetitu, qui sistit in ipso appetitu sentiente, & ultra non progreditur. Peccant item venialiter qui repentinos iræ motus non conantur reprimere continuo ac eos ratio advertit: vel non impediunt, ne suboriantur, cum impedire valeant. Venialiter similiter peccant qui levem vindictam a proximo repetere volunt. Tandem illi qui ex naturali temperamento ad iram propensi sunt, ut melancholici, senes, pueri, mulierculæ, & ceteri, qui nulla, vel levi caussa irasci solent, communiter venialis culpæ terminos non transiliunt, nisi ad huiusmodi commotionem, & ultionis appetitum deliberatus voluntatis consensus accedat. Quia tunc appetitus vindictæ desineret in peccatum mortale. Quare qui hanc pravam ulciscendi, & imprecandi mala propensionem in semetipsis experiuntur, omni diligentia eam comprimere astringuntur: alioquin consensus præsumitur voluntarius in caussa, seu in omissione adhibendi necessarium studium triumphandi de hac effrenata fera.

VI.

VI. Tres iræ gradus distinguit Christus Dominus Matth. v. *Ego autem dico vobis : quia omnis qui irascitur fratri suo , reus erit iudicio : qui autem dixerit fratri suo , Racha , reus erit concilio : qui autem dixerit , Fatue , reus erit gehennæ ignis .* His verbis, *Ego autem dico vobis*, perstringit Salvator noster Scribarum & Pharisæorum errorem. Damnabant isti homicidium dumtaxat, cum corpus humanum vulneribus inflictis vita privabatur; at iniquum animi motum, quo homicidium, aut grave proximi damnum desideratur, licitum putabant, sicut mœchiam solo animo conceptam. Quem etiam errorem Christus profligavit ibidem. *Ego autem dico vobis , quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam , iam mœchatus est eam in corde suo.*

VII. Primo itaque letaliter peccat qui sive offensus, sive secus, ira inflammatur adversus proximum, cuius aut homicidium, aut grave nocumentum expetit. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio* , idest capitis pœna plectendus est, non humano, sed divino iudicio, cui peccatum internum subiectum est. Non solum ergo homicidium, opere externo consummatum, peccatum est, ut contendebant Pharisæi; sed etiam ipsa voluntas occidendi, aut proximo graviter nocendi grave scelus est, sicut & animo mœchari.

VIII. Secundus iræ gradus est, cum quis hunc internum iniustæ vindictæ animum signo aliquo externo manifestat : *Qui autem dixerit fratri suo , Racha, reus erit concilio*. Vox illa *Racha* interiectio est, quæ convicium aliquod significat, vel *sine cerebro* , ut vult S. Hieronymus, vel morum pravitatem , vel fortunarum inanitatem, ut interpretatur S. Basilius. Qui igitur mortalis vindictæ appetitu succensus in convicia simul proruperit, peccatum gravius perpetrat, reusque est concilio, seu, ut interpretatur Augustinus, concilio *Sanedrin* ex septuaginta senioribus conflato. Quoniam sicut ad concilium istud graviora delicta punienda deferebantur; sic præfatum delictum in supremo Dei tribunali ultimo supplicio plectetur.

IX. Denique tertius gradus præfatæ iræ , seu appetitus iniustæ vindictæ est, quando alio externo convicio consummatur . *Qui dixerit fratri suo, Fatue* , idest exprobrando stultitiam; quæ est convicium gravius priori *Racha*. Qui igitur gravi ira succensus grave damnum proximo desiderat, & eius honori, vel fortunis, vel corpori nocere cupit, exprobrando homini fatuitatem naturalem cum ultionis appetitu, vel fortunæ eius bona intervertendo, aut lædendo , vel corpori vulnera infligendo, gravissime peccat. Quare si primus gradus est peccatum mortale, alii duo gradus graviorem continent malitiam.

X. Hæc omnia paucis complectitur 2. 2. *quæst.* clviii. *art.* 5. *ad* 3. S. Thomas inquiens : *Dicendum, quod gradus iræ quos Dominus ponit, non pertinent ad diversas iræ species, sed accipiuntur secundum processum humani actus. In quibus primo ali-*

aliquid in corde concipitur ; & quantum ad hoc dicit : Qui irascitur fratri suo. *Secundum autem est, cum per aliqua signa exteriora manifestatur exterius, etiam antequam prorumpat in effectum; & quantum ad hoc dicit:* Qui dixerit fratri suo, Racha, *quod est interiectio irascentis. Tertius gradus est, quando peccatum interius conceptum ad effectum perducitur : est autem effectus iræ nocumentum alterius sub ratione vindictæ : minimum autem nocumentorum est quod fit solo verbo : & ideo quantum ad hoc dicit :* Qui dixerit fratri suo, Fatue: *& sic patet quod secundum addit supra primum, & tertium supra utrumque. Unde si primum est peccatum mortale in casu in quo Dominus loquitur, sicut dictum est . . . multo magis alia. Et ideo singulis eorum ponuntur correspondentia aliqua pertinentia ad condemnationem : sed in primo ponitur iudicium, quod minus est : quia, ut Augustinus dicit . . . .* in iudicio adhuc defensioni locus datur *: in secundo vero ponit concilium, in quo iudices inter se conferunt, quo supplicio damnari oporteat ; in tertio ponit gehennam ignis, quæ est certa damnatio.*

XI. Ira est vitium capitale, ut ibidem *art. 6.* ostendit S. Thomas, habetque sex filias, & sunt sequentes.

XII. *Indignatio*, quæ est *animi commotio contra eum cui quis irascitur ob malum ab ipso acceptum*. Potest esse mortalis, si sit cum gravi pusillorum scandalo, si crescat usque ad gravem contemptum, aut grave odium, procedatque ad neganda ea quæ sub mortali debentur, puta eleemosyna in gravi necessitate.

XIII. *Tumor mentis* est *motus, seu æstus animi non superbi, sed iracundi, qui variis cogitationibus turgescens modos perquirit ultionis*.

XIV. *Clamor* est *inordinata & confusa vocis elatio*. Potest esse mortalis, si grave scandalum proximo præbeat, aut si per importunam illam vociferationem grave detrimentum inferre expetat iracundus vociferator.

XV. *Contumelia* est *iniuriosa locutio contra proximum præsentem & audientem*. Si animo deliberato dehonestandi graviter proximi honorem proferatur contumelia, est peccatum mortale. Advertit S. Thomas 2. 2. *quæst.* lxxii. *art.* 3. quod aliquando licitum sit, immo oporteat contumeliam repellere. *Tenemur*, inquit, *habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum eius qui contumeliam infert, ut videlicet eius audacia reprimatur, & de cetero talia non attentet, secundum illud Prov.* xxvi. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. *Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas*. Magna tamen cautione & moderatione opus est, ne zeli, & iustæ correctionis atque repressionis pallio latitet odium, & immoderata vindicta.

XVI. Duæ postremæ iræ filiæ sunt *blasphemia*, de qua *Tom. III. Lib. III. diss.* iii.

III. *in Decal.* De *rixa* vero lege *Tom. II. diss.* VIII. *cap.* IV. *in Decal.* ne eadem bis repetamus.

CAPUT IX.

De invidiæ iniquitate, & quæ sint illius filiæ. Laxissima P. Thomæ Tamburini *doctrina refellitur.*

I. DE invidia obiter pauca dicta sunt *Tom. II. in Decal. Lib. I. diss.* VIII. *cap.* II. *quæst.* III. nunc eiusdem malitiæ gravitas, & filiæ quæ inde oriuntur, explicandæ occurrunt.

II. Invidia sic communiter definitur : *Est tristitia de bono alterius, perinde ac si nostrum malum foret, quatenus illo nostram excellentiam æquari, aut minui conspicimus :* seu est tristitia de bono alterius apprehenso ut malo nostro . Si quis ex bono grandi alterius prospiciat sibi imminere aliquod detrimentum , tunc tristitia, seu dolor de bono, & felicitate proximi timori, non invidiæ adscribendus est. Potest quis dolere de bono alieno, quo ipse caret , & quod possidere desiderat : atque eiusmodi mœror seu dolor æmulatio nominatur. Qui vero tristatur de bono alieno, propterea quod eiusdem possessorem indignum reputet, alterum vero eo carentem dignum existimet, eiusmodi dolor indignatio appellatur. Invidia itaque proprie tristatur de bono alterius, inquit 2. 2. *quæst.* XXXVI. *art.* I. S.Thomas, *inquantum est diminutivum propriæ gloriæ, vel excellentiæ*. Dicitur in definitione, *perinde ac si foret nostrum malum* : quia communiter invidia fervet inter æquales iuxta tritum proverbium : *Figulus figulo invidet*. Ultimæ particulæ, *quatenus illo nostram excellentiam æquari, aut minui conspicimus*, significant invidiam proficisci ex bonis quæ vulgari hominum opinione honorifica, & gloriosa reputantur; ut sunt opes, divitiæ, fastigia dignitatum , titulorum insignia , eximia virtus , consummata eruditio, & doctrina, favor & gratia Principum, & cetera id genus.

III. Hæc omnia perspicue *loc. cit. art.* 2. describit S. Thomas his verbis . *Invidia est tristitia quædam de alienis bonis. Sed hæc tristitia potest contingere quatuor modis. Uno quidem modo, cum aliquis dolet de bono alicuius, inquantum ex eo timetur nocumentum vel sibi ipsi, vel etiam aliis bonis : & talis tristitia non est invidia, ut dictum est; & potest esse sine peccato . Unde Greg. XXII. Moral. . . ait* : „ Evenire plerumque solet ut, non amissa caritate, & inimici nos ruina lætificet, & rursum eius gloria sine invidiæ culpa contristet, cum & ruente eo „ quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque iniuste opprimi formidamus. “

Alio modo potest aliquis tristari de bono alterius, non ex eo quod ipse habet bonum, sed ex eo quod nobis deest bonum illud quod ipse habet : & hoc proprie est zelus,

zelus, ut Philos. dicit in II. Rhet. . . Et si iste zelus sit circa bona honesta, laudabilis est, secundum illud I. Corinth. XIV. AEmulamini spiritualia : *si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato, & sine peccato.*

Tertio modo aliquis tristatur de bono alterius, inquantum ille cui accidit bonum, est eo indignus : quæ quidem tristitia non potest oriri ex bonis honestis, ex quibus aliquis iustus efficitur; sed, sicut Phil. dicit in II. Rhet. . . est de divitiis, & de talibus quæ possunt provenire dignis, & indignis : & hæc tristitia secundum ipsum vocatur nemesis, & pertinet ad bonos mores. Sed hoc ideo dicit, quia considerabat ipsa bona temporalia secundum se, prout possunt magna videri non respicientibus ad æterna. Sed secundum doctrinam fidei temporalia bona quæ indignis proveniunt, ex iusta Dei ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem : & huiusmodi bona quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura, quæ servantur bonis. Et ideo huiusmodi tristitia prohibetur in Scriptura sacra, secundum illud Psal. XXXVI. „ Noli æmulari in malignantibus, „ neque zelaveris facientes iniquitatem. “ *Et alibi Psal.*LXXII. „ Pene effusi sunt „ gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. “

Quarto modo aliquis tristatur de bonis alicuius, inquantum alter excedit ipsum in bonis : & hoc proprie est invidia. Et istud semper est pravum, ut etiam Philos. dicit in II. Rhet . . . quia dolet de eo de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi.

IV. Invidia est monstrosus abortus superbiæ, cum ex amore propriæ excellentiæ proficiscatur. Adeo vile simul, & perniciosum est vitium istud, ut eiusdem turpitudini & gravitati describendæ me prorsus imparem agnoscam. Idcirco Patrum pennicillo utar, ut eiusdem teterrimam imaginem depingam.

V. S. Ioannes Chrysostomus *homil.* XLI. *in Matth.* his coloribus invidiam delineat. *Tale certe malum est invidia, quæ ita grassatur in animas, ut omnem malignitatem, & nequitiam prætergrediatur. Nam adulterio dediti teterrimam voluptatem quæritant in suo crimine, quod brevi tempore perpetratur. Invidi autem multo ante seipsos discruciant quam eos quibus invident, perturbent, & torqueant. Sua invidia ita laniantur, & tam assidue, ut nullum peccandi finem faciant. Sed quemadmodum lutulentæ sues cœno, & dæmones nostro gestiunt exitio, sic invidi in proximorum calamitatibus tripudiant. Si quid mali proximo accidisse rescierit, tunc nonnihil acquiescit invidus, & respirat : alienas enim iacturas suos quæstus existimat, & aliorum felicitatem suam reputat miseriam, & calamitatem; nec magis considerat, quid sibi lætum, & prosperum obtingat, quam quid proximo adversum & calamitosum inferatur. Nonne igitur eiusmodi homines lapidibus essent appetendi? Nonne omni supplicio mactandi? Siquidem non secus ac canes rabie perciti allatrant omnes, & sunt veluti dæmones conspicui, & peiores*

Oo ij *sunt*

sunt furiis fabuloso Poetarum carmine decantatis. Nam quemadmodum scarabæi alieno stercore pascuntur; ita invidi adversa ceterorum hominum fortuna nutriuntur, & sic toti hominum cœtui inimicitias, & bella denuntiant.

Et alii quidem homines si brutas animantes immaniter cædi, dilaniarique videant, nonnihil miserentur; tu vero si hominem salute ceu singulari beneficio donatum videas, in rabiem adversus benefactorem ageris ad instar ferocissimorum animantium. Et quid hac insania vel immanitate detestabilius umquam reperiatur? Nonne igitur iure ac merito fornicatoribus, & publicanis patuit aditus in cælum, e quo invidi æternum sunt expulsi, licet eius heredes legitimi forent? Filii autem regni eiicientur foras, *ut Evangelium attestatur. Illi, fornicatores nimirum & Publicani, abdicata omni pravitate, & nequitia bonis insperatis ab ipso Deo sunt cumulati; Pharisæi autem iis bonis quibus iam donati fuerant, sua sunt invidia destituti. Quod sane iustissimum est. Nam invidia pestiferum, & perniciale malum hominem de omni humanitatis gradu deiectum in teterrimum dæmonem transformat. Invidia primum in terras homicidium invexit. Invidia fratrem inflammavit in fratrem, & ad fraternæ caritatis contemptum impulit. Invidia insontis Abel terram innocuo sanguine respersit, & fœdavit. Invidia fecit ut Dathan, Core, & Abiron Moysi, & Aaroni obtrectantes, una cum familiis vasto terræ hiatu vivi absorberentur.*

At forte quis dixerit, facile damnari invidiam, sed multo utilius fore, si ad eam fugiendam remedia præscriberentur. Quo igitur pacto tantam luem, & nequitiam a nobis propulsare poterimus? Debemus ergo primum intueri, ut quemadmodum fornicatoribus Ecclesiæ aditus intercluditur, ita & invido intercludendus est; immo addo, invidos multo magis quam fornicatores ab cœtu fidelium ablegandos esse. Si enim hoc tale tantumque malum, ceu indifferens, & levioris momenti esse videatur, ab nonnullis, ceu nihili faciendum, spernitur, & admittitur. Profecto si eius malignitatis atrocitatem perspectam & cognitam habeamus, illud nullo negotio declinabimus . . . Quisnam admissæ invidiæ conscius, id criminis lacrymis expiavit? Aut Deum iratum sibi propitiare, & amissam eius gratiam sibi reconciliare studuit? Nemo eam invidiæ atrocitatem sic informavit animo, ut ad eam expiandam tot lacrymas effundendas, & tot labores adeundos esse crederet. Dicam amplius: vir omnium mortalium invidentissimus tuto & secure secum agi putat, si vel leve ieiunium obierit, vel tenuem erogaverit eleemosynam, ita ut nihil mali commisisse videatur; cum tamen furiosissima, & omnium ferventissima passione detineatur, & ardeat. Nam unde Cain fraterna se cæde contaminavit? Unde Esau fratrem exagitavit? Quid Laban adversus Iacob, quid Iacob liberos in fratrem Ioseph inflammavit? Quid Core, Dathan, & Abiron adversus Moysem incendit? Quid adversus ipsum Aaronem, & Mariam eius sororem murmurare impulit?

Quid

Quid dæmonem ad dæmonis statum adegit, & illi diabolo, hoc est calumniatori, nomen dedit? Perpende prætcrea te tibi maiorem inferre iniuriam quam illi cui invides; utpote qui gladium, quem distrinxeras in ipsum, in tua ipsius præcordia retorqueas.

Quid enim mali vel incommodi fratricida Cain fratri suo Abel eum necando attulit. Nonne illum præter intentionem suam, & invitum citius ad regnum transmittendo multo beatiorem reddidit, & seipsum in infinitas miserias implicavit? Quid Esau fratri Iacob nocuit? Eius invidia nihil obstitit quominus locupletaretur, & circumflueret bonis; cum iste invidus e patria, & domo extorris, fratri nequidquam insidiatus, exteras regiones pervagatus miserrimam mortem oppetierit? Quid denique Ioseph mali importatum est per invidiam fratrum, qui eum tantum non interfecere? Nonne ad eas angustias non sunt adducti, ut inedia propemodum interirent, dum ipse totam AEgyptum regia auctoritate moderaretur & regeret? Nam quanto maiore invidia proximum prosequeris, tanto maiora illi procuras bona. Deus enim, qui omnia circumspicit, suscipit & tuetur innocentem, & permotus iniustitia, qua obteritur, eum multo altius attollit, & illustrem facit, & invidentem sua ipsius malitia in ipsummet retorta plectit, & deprimit. Si enim viros de inimicorum miseriis lætatos, criminosam hanc lætitiam impune ferre non patitur . . . quanto maioribus suppliciis afficit eos qui, instigante invidia, male volunt viris a quibus nullam umquam passi sunt iniuriam? Ergo, fratres, multorum capitum belluam, seu monstrum strenue perimamus.

VI. Eloquentissimam, unaque elegantissimam hanc Chrysostomi concionem; tametsi longam, transcribere volui, ut tamquam in pellucidissimo speculo maculas, labes, & nequitiam teterrimæ invidiæ quisque contemplari valeat: ut Confessarii, & Parochi habeant, unde exhortari, imbuere, urgere Christianos possint ad bellum huic versuto, & tortuosissimo vitio intentandum: ut patefacere insidias, damna, & calamitates quæ heinc proficiscuntur, & exemplis animare valeant ad se armandum adversus vaferrimum monstrum. Exaggerent invidorum vilitatem. *Parum enim*, inquit alicubi Tullius, *fidit suæ qui alienæ invidet virtuti*. Sed præclarius *Lib. V. Moral. cap.* XXXI. S. Gregorius Papa. *Parvulus est qui invidia occiditur: quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Sed inter hæc sciendum est, quia quamvis per omne vitium quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit: de quo nimirum scriptum est:* Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. *Nam cum devictum cor livoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant quam graviter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor, cumque in latebris*

cordis crescens absconditur odium, dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum. Nihil lætum de propriis libet, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena: quantoque extranei operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis lividæ profundius suffoditur: ut quo alii ad meliora properant, eo ipsi deterius ruant, qua ruina videlicet etiam illud destruitur quod in aliis actibus perfecto opere surrexisse putabatur. Nam invidia, cum mentem tabefecerit, cuncta quæ invenerit bene gesta, consumit.

VII. P. Thomas Tamburinus adversus hanc Scripturarum, Patrum, Theologorum omnium doctrinam calamum suum acuere nequaquam erubuit. Audi lector, & lege quæ *Lib. V. in Decalog. cap. 1. §. 3. num. 35. & seq.* scribere ausit Tamburinus. Hæc sunt eiusdem verba. „ Inquires tertio, an sicut potest quis modo „ hactenus explicato *gaudere de malo alterius*, quia sibi bonum sit; ita e contra „ licite queat tristari de alterius bono, ut sibi malum est. Respondeo. Hic vi- „ detur esse actus invidiæ, quam sic communiter describunt Doctores ex S. Tho- „ ma 2. 2. *quæst.* XXXVI. *art.* 2. & 3. Valent. Con. Suar. Bonac. aliique apud Ca- „ strop. . . *Est inordinata tristitia qua quis dolet de bono alterius, non quatenus est* „ *illius bonum, sed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam, seu proprium* „ *bonum*.

„ *36.* Hæc *communiter*. Quæ tamen MIHI difficilia semper visa sunt. “ Habes heinc fatentem Tamburinum se contra communem Theologorum doctrinam belligerare in favorem & defensionem invidiæ. Audi nunc eiusdem pro invidia argumentationem *ibi num. 37*.

„ Iam sic arguo. Quando doleo de bono alterius, ut est diminutivum meæ „ excellentiæ, non doleo de bono alterius absolute, sed formaliter de malo meo, „ seu de diminutione meæ excellentiæ, quæ mihi mala est . . . . Sicut enim si „ gauderem de malo alterius, v. g. *de morte patris, ut causante immediate bonum* „ *meum*, puta hereditatis successionem, non esse peccatum, supra *omnes* vidimus; „ *sic contra si doleam de bono alterius*, ut causante immediate malum meum, cul- „ pa non erit. “

VIII. Quis non perhorrescit ad tam detestanda commenta? P. Tamburinus, ut peccatum capitale invidiæ de medio tollat, præmittit tamquam fundamentum inconcussum suæ opinionis doctrinam a Romana Sede damnatam. Infit enim: *An sicut potest quis modo hactenus dicto gaudere de malo alterius &c.* deinde concludit: *Sicut enim si gauderem de morte patris, ut causante immediate bonum meum, non esse peccatum, supra omnes vidimus*. Quid? Omnes hanc damnatam doctrinam docent? Qui sunt hi omnes? Antiprobabilistæ? Non certe. Quinam ergo? Penes Tamburinum sit. Romana Sedes sub Innocentio XI. tres theses, quibus nititur hæc Tamburini doctrina, damnavit, quæ sunt 13. *Si cum debita moderatione*

ne facias, potes absque peccato mortali de vita alterius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.* 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas*. Damnatam thesim 13. totidem verbis a P. Castropalao defensam refert *ibid.* Tamburinus *num.* 32. Ex hac damnata doctrina, quam ipse Tamburinus cum Palao, & Sa defendit, infert, & propugnat aliam damnabiliorem de invidia. Opponit sibi. *Urges. At sic tolleretur de medio peccatum invidiæ unum ex septem vitiis capitalibus*. Suis familiaribus distinctiunculis rem implicat. Obiicit sibi Doctorum auctoritatem *num.* 40. „ Et S. quidem Thomas, ceterique „ Doctores citati lit. H. quando tamquam certum supponunt invidiam esse tristi- „ tiam qua quis dolet de bono alterius ut est diminutivum propriæ excellentiæ, „ SUNT INTELLIGENDI descripsisse invidiam ab effectu. "

IX. Sancti Ecclesiæ Patres, & Doctores omnes, qui scilicet tamquam certissimam doctrinam constituunt præfatam invidiæ notionem, sunt intelligendi descripsisse invidiam ab effectu? Ecquis tantum audet, ut mitissime loquar, qui adversus communem Patrum, & Ecclesiæ Doctorum sententiam erigere cervicem non dubitet? *Sic intelligendi* sunt Doctores Ecclesiæ? Cur sic intelligendi? Quia Tamburinus sic dicit. Intelligendi sunt *descripsisse invidiam ab effectu?* Ita ne vero? An Patres, an basilice S. Thomas non distinguunt iniquitatem invidiæ absolute acceptæ ab eiusdem effectibus, seu filiabus? Verum quid contra inaudita P. Tamburini paradoxa verba congero? Iudicet ipse christianus lector, an libri eiusmodi, qui scatent pluribus damnatis opinionibus, & ex quibus aliæ damnabiliores inferuntur, sint nec ne legendi ab imperitis. P. Claudius La-Croix *Lib. V. num.* 294. meminit huiusce doctrinæ Tamburini, & scribit: *Doctrina illa in praxi est difficilis*. Difficilis tantum? Est æque damnata ac illa de gaudio mortis patris ob hereditatem &c. quoniam ex hac infert Tamburinus licitam esse tristitiam de bono alterius. Verum, ut evidentius pateat, quam sit falsum ultimum Tamburini commentum, effectus invidiæ describendi sunt.

X. S. Gregorius Papa, & ex eo S. Thomas 2. 2. *quæst.* XXXVI. *art.* 4. sequentes effectus, seu filias invidiæ recenset; sunt autem odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, & afflictio in prosperis. De his filiabus hæc habet Angelicus ad 3. *Numerus filiarum invidiæ sic potest sumi: quia in conatu invidiæ est aliquid tamquam principium, & aliquid tamquam medium, & aliquid tamquam terminus. Principium quidem est ut aliquis diminuat gloriam alterius; vel in occulto, & sic est* susurratio; *vel manifeste, & sic est* detractio. *Medium autem*

est; quia aliquis intendens diminuere gloriam alterius, aut potest, & sic est exultatio in adversis; *aut non potest, & sic est* afflictio in prosperis. *Terminus autem est in ipso odio: quia sicut bonum delectans causat amorem; ita tristitia causat odium, ut supra dictum est . . . Afflictio autem in prosperis proximi uno modo est ipsa invidia, inquantum scilicet aliquis tristatur de prosperis alicuius, secundum quod habent gloriam quamdam: alio vero modo est filia invidiæ, secundum quod prospera proximi eveniunt contra conatum invidentis, qui nititur impedire. Exultatio autem in adversis non est directe idem quod invidia, sed ex ea sequitur. Nam ex tristitia de bono proximi, quæ est invidia, sequitur exultatio de malo eiusdem.*

XI. De odio, de susurratione, de detractione late egimus *in Decalog.* idcirco in præsens ab istorum explicatione abstineo. De exultatione quoque in adversis, & de tristitia in prosperis proximi satis hactenus dictum est. Gladius invidiæ lingua est. Superbi præsertim invidi sunt. Ut enim suam excellentiam aut extollant, aut conservent, alienæ excellentiæ invident. Hæc quinque scelera, superbia, invidia, odium, detractio, & susurratio, sacrilego fœdere coniuncta sunt, & funestissimam animarum stragem operantur. *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Sap. II. Et eo sunt horum confœderatorum spiritualium criminum clades tremendiores, quo sunt occultiores. Superbi, invidique in negotiis summi momenti, unde proficiscuntur consectaria gravissima, & timentur absurda perniciosissima, ut de æmulis triumphent, ut proprium iudicium prævaleat, ut negotium pro ingenio succedat, nihil prorsus curant, quod hinc innumera proficiscantur mala. Susurratio est peculiare invidiæ telum. Eo præcipue susurratio tendit, ut amicos dividat; & inter eosdem discordias disseminare studet, ut *Ecclef. cap.* XXVIII. habetur. *Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Et rursus cap. V. *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Item Prov. VI. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.*

XII. Ad susurrationem duo potissimum requiruntur. Primum, ut aliquod proximi malum alteri aperiatur inordinate. Si enim Superiori, aut alteri ob bonum finem, & proximi emendationem id patefiat, laudabile, non vituperabile est. Alterum, ut malum pandatur honestæ, & rectæ amicitiæ infringendæ caussa. Si enim malum publicaretur ad pravam labefactandam amicitiam aliquorum qui prava machinantur, & ad iniquitatem patrandam coniuncti sunt, tum mali delatio

latio non modo culpa vacaret, sed merito & laude abundaret. Plurima alia de hac pestifera sobole praetereo.

CAPUT X.

De acedia, eiusque filiabus.

I. Acedia definitur 2. 2. *quaest.* XXXV. *art.* I. a S. Thoma, quod sit *tristitia de bono spirituali, inquantum est bonum divinum*. Est tristitia de bono divino, non in se spectato, sed quatenus in nobis est, vel potest esse. Odium Dei aversatur bonum divinum, prout in Deo; invidia, prout in proximo; acedia, prout in nobis. Peccatum autem acediae est tristitia de bono divino, non quocumque, sed de bono divino imperato, & ad salutem necessario, ut 2. 2. *quaest.* XXXV. *art.* 3. *ad* 2. docet S. Thomas inquiens: *Acedia non est recessus mentalis a quocumque spirituali bono, sed a bono divino cui oportet mentem inhaerere ex necessitate. Unde si quis contristetur de hoc quod aliquis cogit eum implere opera virtutis, quae facere non tenetur, non est peccatum acediae; sed quando contristatur in his quae ei imminent facienda propter Deum.*

II. Acedia peccatum esse, Scriptura sancta testatur. *Eccles.* VI. haec habentur. *Subiice humerum tuum, & porta illam, & ne acidieris in vinculis eius. In omni animo tuo accede ad illam*. S. Thomas *loc. cit. art.* I. evincit acediam esse peccatum hac ratione. *Acedia secundum Damascenum est quaedam tristitia aggravans; quae scilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat; sicuti ea quae sunt acida, etiam frigida sunt. Et ideo acedia importat quoddam taedium operandi; ut patet per hoc quod dicitur in glossa . . . super illud Psalm.* CVI. Omnem escam abominata est anima eorum: *& a quibusdam dicitur, quod acedia est torpor mentis, bona negligentis inchoare.*

Huiusmodi autem tristitia semper est mala, quandoque quidem etiam secundum seipsam, quandoque vero secundum effectum. Tristitia enim secundum se mala est, quae est de eo quod est apparens malum, & vere bonum; sicut e contrario mala delectatio est quae est de eo quod est apparens bonum, & vere malum. Cum ergo spirituale bonum sit vere bonum, tristitia quae est de spirituali bono, est secundum se mala. Sed etiam tristitia quae est de vere malo, mala est secundum effectum, si sic aggravet hominem, ut eum totaliter a bono opere retrahat. Unde & Apostolus II. ad Cor. II. *non vult ut poenitens maiori tristitia de peccato absorbeatur.*

Quia ergo acedia, secundum quod hic sumitur, nominat tristitiam spiritualis boni, est dupliciter mala; & secundum se, & secundum effectum. Et ideo acedia est peccatum. Malum enim in motibus appetitivis dicimus esse peccatum, ut ex supradictis patet.

III.

III. Deinde *ibidem art.* 3. ostendit, acediam ex genere suo esse peccatum mortale, quia tristitia sæculi operatur mortem : inquit enim : *Peccatum mortale dicitur quod spiritualem vitam tollit, quæ est per caritatem, secundum quam Deus nos inhabitat. Unde illud peccatum ex suo genere est peccatum mortale quod de se secundum propriam rationem contrariatur caritati. Huiusmodi autem est acedia. Nam proprius effectus caritatis est gaudium de Deo, ut supra dictum est . . . acedia autem est tristitia de bono spirituali, inquantum est bonum divinum. Unde secundum suum genus acedia est peccatum mortale.*

Sed considerandum est in omnibus peccatis quæ sunt secundum suum genus mortalia, quod non sunt mortalia, nisi quando suam perfectionem consequuntur. Est enim consummatio peccati in consensu rationis. Loquimur enim nunc de peccato humano, quod in actu humano consistit, cuius principium est ratio. Unde si sit incboatio peccati in sola sensualitate, & non pertingat usque ad consensum rationis, propter imperfectionem actus est peccatum veniale : sicut in genere adulterii concupiscentia quæ sistit in sola sensualitate, est peccatum veniale : si tamen pervenitur usque ad consensum rationis, est peccatum mortale. Ita etiam & motus acediæ in sola sensualitate quandoque est propter repugnantiam carnis ad spiritum : & tunc est peccatum veniale. Quandoque vero pertingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam, & horrorem, & detestationem boni divini, carne contra spiritum omnino prævalente : & tunc manifestum est quod acedia est peccatum mortale.

IV. Quam sit virulenta, & immanis acediæ iniquitas, ex bello quod divinis præceptis intentat, colligere facile quisque potest. In primis adversatur primo & maximo mandato diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus. Acediosus continenter hoc præceptum violat, cuius tepor vomitum, seu indignationem divinam contra se concitat, ut habetur Apoc. III. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Servum pigrum, & acediosum talento, quo eum donaverat, privavit, eumque in tenebras exteriores eiecit. Ficulneam sterilem succidi iussit, & in flammas proiici. Quibus figuris homines pigros, inertes, otiososque æternis suppliciis puniendos significat Redemptor noster. Heinc S. Bernardus *ser.* XX. *in Cantic.* hæc scribit. *Disce, o Christiane, a Christo quomodo diligas Christum : disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter : dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia, Christus . . . Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu : dilige tota rationis vigilantia, & circumspectione : dilige & tota virtute, ut nec mori pro eius amore pertimescas.*

V.

V. Violat præterea acedia præceptum quo astringimur in Domino delectari. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*: Matth. v. & Paulus ad Philip. iv. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*. Adversatur denique acedia præceptis & operandi cum metu ac tremore salutem nostram, & vigilandi ac orandi ad præcavendas tentationes, & proficiendi in via evangelicæ perfectionis. Quæ omnia fuse pertractat Merbesius, & sanctorum Patrum testimoniis illustrat in *Sum. Christ. Part. I. quæst.* xiv. ut pigros otiososque a funesto torporis somno excitet.

VI. Acediæ filiæ sunt sequentes: malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita. De singulis pauca delibabo.

VII. *Malitia* est voluntarius horror, derisio, & contemptio bonorum spiritualium, & proborum hominum, qui concionibus, exhortationibus, & virtutum exemplis ad christianæ professionis observantiam excitare acediosos conantur. Quæ gravissima nequitia est reprobationis character. De his *Sap.* v. dicitur: *Turbabuntur timore horribili .... dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*. Quot sunt hodie qui per summam nequitiam tamquam *Rigoristas*, & *Iansenistas*, seu hæreticos traducunt illos qui peccatores convertere ad christianam Moralem iuxta germanas Ecclesiæ Romanæ regulas student? Veram christianam professionem Rigorismum appellitant, & Christianos in otio, ludis, oblectamentis, in luxu, & pompis, in via mundi insanientis confirmant, quin sibi quidquam conscientiæ vertant.

VIII. *Rancor* est indignatio acediosorum, qua turgentes & æstuantes cervicem erigunt contra Superiores, Pastores, Confessarios, & alios qui illos corrigere, illuminare, & ad meliorem revocare frugem student. De his *Prov.* xxix. Salomon ait: *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus*. Et sane inter ceteros reprobationis characteres unus est diabolica illa obstinatio qua monita, & correctiones prudentum contemnuntur.

IX. *Pusillanimitas* est propriarum virium diffidentia, qua quis officia, & opera ardua, quæ facultatem suam divina gratia adiutam non superant, refugit ex animi parvitate. Hanc pusillanimitatem peccatum esse evincit 2. 2. *quæst.* cxxxiii. *art.* 1. S. Thomas, tum ex illo S. Pauli ad Coloss. iii. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant*: tum ex evangelica parabola servi pigri, qui acceptam pecuniam domini sui fodit in terram, nec operatus est ex ea; & propter quamdam pusillanimitatem punitus est a domino. Tum esset peccatum mortale, cum quis pertinaciter resisteret acceptare officia sibi a Superiore

iore imposita, ut ibidem S. Thomas declarat *ad* 3. inquiens: *Pusillanimitas aliquo modo ex superbia potest oriri; dum scilicet aliquis nimis proprio sensu innititur, quo reputat se insufficientem ad ea respectu quorum sufficientiam habet. Unde dicitur Prov.* xxvi. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. *Nihil enim prohibet quod se quantum ad aliqua deiiciat, & quantum ad alia se in sublime extollat. Unde Greg. in Pastorali . . . de Moyse dicit, quod superbus fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet; & rursum superbus existeret, si Auctoris imperio obedire recusaret.* Pusillanimitas directe opponitur magnanimitati, ut ibidem Angelicus *art.* 2. exponit.

X. *Desperatio* scelus est quo quispiam de ultimi finis consecutione desperans, omne salutis studium deponit. De gravitate huiusce sceleris egimus *Tom. I. in Decal.*

XI. *Torpor* est animi ignavia, seu languor, quo quis præceptorum observantiam vel omittit, aut negligenter & oscitanter implet. Periculosissimus est torpor iste præsertim in illis qui negligunt media, tametsi graviter non obligantia, necessaria ad consequendam proprii status perfectionem; qui perfunctorie præcepta servant, & ex quadam insita ignavia vitam desidem ducunt: contra quos ad Romanos xi. S. Paulus inquit: *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Vult enim Deus mandata sua impigre impleri. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Languor iste spiritus omnem devotionis humorem exsiccat, vires extenuat, quotidie zizania vitiorum spargit, mentis soporem & obscuritatem inducit, & ita animam corrumpit, ut eam ineptam ad vera, & solida virtutis officia reddat. Graphice *serm.* lxiii. *in Cant.* huiusce inertiæ, & torporis labes S. Bernardus describit. *Hoc frigus, si semel animam . . . pervaserit, ac nemine deinde (quod absit) inhibente ad interiora eius pervenerit, descenderit in viscera cordis, & sinum mentis, concusserit affectiones, occupaverit consilii semitas, perturbaverit iudicii lumen, libertatem addixerit, mox, ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animæ rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna caritas, blanditur voluptas, fallit severitas, revocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur ius, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini, dantur postremo impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia & confusione: saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cælo in cænum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum.*

XII. Habes hic depictam acediæ, & inertiæ imaginem tot non modo Christia-

norum, verum etiam Religiosorum, qui semper agentes nihil operantur, semper huc, atque illuc cursitantes, numquam progrediuntur in via perfectionis. Omnia sibi tædio sunt, omnia fastidiunt, & veluti palato corrupto ex febri, nullam seriam applicationem gustant, sed unam vix inceptam abrumpunt, aliamque resumunt, & post hanc aliam, ut tempus, inquiunt, transigant, & fallant; sed semetipsos miserrime fallunt. Nihil hac pigritia Dei servis infestius. *Per agrum pigri transivi, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat*: Prov. XXI. Væ illis qui tempus, sibi a Deo concessum ad operandum unicum salutis negotium, in ludis, in conversationibus vanis, inanibus colloquiis, in curiosis ineptisque studiis, in sæculi voluptatibus, & diverticulis inutiliter transigunt. Legant isti S. Bernardum *serm.* XXII. *de divers.* ubi fuso sermone gravissima eiusmodi vitæ pericula, & imminentem damnationem repræsentat, cuius verba brevitatis studio omitto.

XIII. *Evagatio mentis* torporem in salutis negotio consequitur, quæ est inquieti animi motus, quo homo propter tædium rerum spiritualium ad exteriora erumpit, ut inde delectationes captet vanissimas. Huiusmodi sunt homines curiosi, qui nihil aliud optant, nisi *aut dicere, aut audire aliquid novi*. Hos reprehendit Apostolus *II. Thessal.* III. his verbis. *Si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem qui sunt eiusmodi, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent*. Huc intendant animum Ecclesiastici præsertim & Religiosi, qui non operantes, sed otiosi, gyrovagi, inquieti, desides panem & patrimonia pauperum deglutiunt. Otium desidiosum occasio est non adeo remota peccati mortalis. *Multam malitiam docuit otiositas*, inquit *Eccles.* XXXIII. & rursus Prov. XII. *Qui sectatur otium, stultissimus est*. Heinc multiloquia, & vaniloquia, discordiæ, detractiones, rixæ, suspiciones manant. Quare concludit Salomon Prov. XXV. *Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*. Et hæc de septem vitiis capitalibus dicta sufficiant.

DIS-

iore imposita, ut ibidem S. Thomas declarat *ad 3.* inquiens: *Pusillanimitas aliquo modo ex superbia potest oriri; dum scilicet aliquis nimis proprio sensu innititur, quo reputat se insufficientem ad ea respectu quorum sufficientiam habet. Unde dicitur Prov. XXVI.* Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. *Nihil enim prohibet quod se quantum ad aliqua deiiciat, & quantum ad alia se in sublime extollat. Unde Greg. in Pastorali . . . de Moyse dicit, quod superbus fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet; & rursum superbus existeret, si Auctoris imperio obedire recusaret.* Pusillanimitas directe opponitur magnanimitati, ut ibidem Angelicus *art. 2.* exponit.

X. *Desperatio* scelus est quo quispiam de ultimi finis consecutione desperans, omne salutis studium deponit. De gravitate huiusce sceleris egimus *Tom. I. in Decal.*

XI. *Torpor* est animi ignavia, seu languor, quo quis præceptorum observantiam vel omittit, aut negligenter & oscitanter implet. Periculosissimus est torpor iste præsertim in illis qui negligunt media, tametsi graviter non obligantia, necessaria ad consequendam proprii status perfectionem; qui perfunctorie præcepta servant, & ex quadam insita ignavia vitam desidem ducunt: contra quos ad Romanos XI. S. Paulus inquit: *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Vult enim Deus mandata sua impigre impleri. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Languor iste spiritus omnem devotionis humorem exsiccat, vires extenuat, quotidie zizania vitiorum spargit, mentis soporem & obscuritatem inducit, & ita animam corrumpit, ut eam ineptam ad vera, & solida virtutis officia reddat. Graphice *serm.* LXIII. *in Cant.* huiusce inertiæ, & torporis labes S. Bernardus describit. *Hoc frigus, si semel animam . . . pervaserit, ac nemine deinde (quod absit) inhibente ad interiora eius pervenerit, descenderit in viscera cordis, & sinum mentis, concusserit affectiones, occupaverit consilii semitas, perturbaverit iudicii lumen, libertatem addixerit, mox, ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animæ rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna caritas, blanditur voluptas, fallit severitas, revocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur ius, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini, dantur postremo impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia & confusione: saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cælo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum.*

XII. Habes hic depictam accediæ, & inertiæ imaginem tot non modo Christia-

no-

norum, verum etiam Religiosorum, qui semper agentes nihil operantur, semper huc, atque illuc cursitantes, numquam progrediuntur in via perfectionis. Omnia sibi tædio sunt, omnia fastidiunt, & veluti palato corrupto ex febri, nullam seriam applicationem gustant, sed unam vix inceptam abrumpunt, aliamque resumunt, & post hanc aliam, ut tempus, inquiunt, transigant, & fallant; sed semetipsos miserrime fallunt. Nihil hac pigritia Dei servis infestius. *Per agrum pigri transivi, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat*: Prov. XXI. Væ illis qui tempus, sibi a Deo concessum ad operandum unicum salutis negotium, in ludis, in conversationibus vanis, inanibus colloquiis, in curiosis ineptisque studiis, in sæculi voluptatibus, & diverticulis inutiliter transigunt. Legant isti S. Bernardum *serm.* XXII. *de divers.* ubi fuso sermone gravissima eiusmodi vitæ pericula, & imminentem damnationem repræsentat, cuius verba brevitatis studio omitto.

XIII. *Evagatio mentis* torporem in salutis negotio consequitur, quæ est inquieti animi motus, quo homo propter tædium rerum spiritualium ad exteriora erumpit, ut inde delectationes captet vanissimas. Huiusmodi sunt homines curiosi, qui nihil aliud optant, nisi *aut dicere, aut audire aliquid novi*. Hos reprehendit Apostolus *II. Thessal.* III. his verbis. *Si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem qui sunt eiusmodi, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent*. Huc intendant animum Ecclesiastici præsertim & Religiosi, qui non operantes, sed otiosi, gyrovagi, inquieti, desides panem & patrimonia pauperum deglutiunt. Otium desidiosum occasio est non adeo remota peccati mortalis. *Multam malitiam docuit otiositas*, inquit *Eccles.* XXXIII. & rursus Prov. XII. *Qui sectatur otium, stultissimus est*. Heinc multiloquia, & vaniloquia, discordiæ, detractiones, rixæ, suspiciones manant. Quare concludit Salomon Prov. XXV. *Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*. Et hæc de septem vitiis capitalibus dicta sufficiant.

DIS-

DISSERTATIO ULTIMA.

DE VIRTUTIBUS.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit virtus.

I. HActenus contra vitia evellenda & extirpanda pugnatum est: nunc de virtutibus instituendus sermo est. Diminutum, & nimis imperfectum foret ministerium nostrum, si vitiis dumtaxat profligandis operam daret. Hæc utique primum omnium eradicanda e vinea; sed serendæ continuo, excolendæque virtutes sunt. Immo huc spectare studia nostra debent. Idcirco, cum ad terminum properet Theologiæ nostræ cursus, & e propinquo metam spectet, nihil opportunius illustrandum occurrere poterat quam tractatus de virtutibus. Ad rem igitur.

II. Quæst. I. *Quomodo virtus definiatur?* Resp. Virtutis vocabulum varias excipit significationes. Interdum fortitudinem prodit; ut *I.Machab.* I. legitur: *Abiit cum virtute forti*. Aliquando pro efficacitate virium naturalium usurpatur; ut *Sap.* VII. legitur: *Ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum*. Interdum virtutis nomen adhibetur ad miraculorum gratiam manifestandam; ut *Matth.* VII. dicitur: *In nomine tuo virtutes multas fecimus*. His & aliis significationibus missis,

III. Virtus ab aliis definitur *Ordo amoris*. S. Augustinus *Lib.V. de Civ. Dei cap.* XXII. inquit: *Definitio brevis & vera virtutis, ordo est amoris*. S. Thomas, quo nemo felicius Augustinianæ doctrinæ sensum assecutus est, I. 2. *quæst.* LV. *art.* 4. hanc prodit definitionem: *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur*. Virtutibus aliquando male utuntur homines, cum de earum obiectis male sentiunt, cum easdem contemnunt, cum in vitia labuntur. Verum numquam id provenit ex recta illa mentis, animique affectione, sed ex contraria cupiditate. Quoniam virtutis opus est eiusdem bonus usus. Nemo autem bene utendo male vivit, inquit S. Augustinus *Lib. II. de lib. arbit. cap.* XIX.

IV. Quæst. II. *Quotuplex sit virtus?* Resp. Virtutes aliæ humanæ, seu ordinis naturalis, quia tendunt in obiecta quæ naturali comprehendi ratione valent, perficiuntque hominem intra rationis humanæ confinia. Aliæ sunt supernaturales, & divinæ, quæ theologicæ nuncupantur, suntque *fides*, *spes*, *caritas*. De his tribus virtutibus fuse scripsi *Lib. I. in Decal.*

V. Vir-

V. Virtutum humanarum aliæ mentem perficiunt, aliæ appetitum. *Intellectuales* illæ, *morales* istæ a Theologis nuncupantur. Priores appellantur *intelligentia*, *sapientia*, *scientia*, & *ars*, quæ mentem in veritatis investigatione, & contemplatione perficiunt. Minus proprie virtutes istæ appellantur, cum non reddant hominem probum: ideoque nullus de eisdem nobis sermo erit. *Prudentia*, tametsi virtus intellectualis sit, opus tamen & praxim spectat: & de hac mox sermo erit.

VI. Quæst. III. *Quid sit virtus moralis?* Resp. Describitur, quod sit habitus a Deo datus homini ad honestos mores, seu honestas actiones, secundum legis divinæ præscriptum, inclinans propter caritatem in Deum. Pravis habitibus impellitur homo ut placeat mundo, ut sæculi oblectamenta sectetur. Contra, virtutum habitus animum in Deum efferunt, quia vera virtus donum Dei est, & illi servit.

VII. Virtutes morales aliæ operationes exteriores dirigunt, ut iustitia, eiusque partes; aliæ animi perturbationes, seu passiones moderantur, ut fortitudo, temperantia, & ceteræ quæ eisdem adiunctæ sunt.

VIII. Potissima virtutis moralis, cuius dedimus descriptionem, divisio est in quatuor *virtutes cardinales*, quæ appellantur *prudentia*, *iustitia*, *temperantia*, *fortitudo*. Cardinales nuncupantur, quia sunt veluti aliarum virtutum fontes, capita, cardines, & principia, unde omnis honestæ vitæ ratio proficiscitur. De his *Sap. cap.* VIII. dicitur: *Et si iustitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem; quibus nihil est utilius in vita hominibus.*

IX. Harum virtutum necessitatem sapienter describit S. Bernardus *tract. de convers. ad Cleric. cap. x.* his verbis. *Opus est fortitudine adversus tentamenta peccati, ut rugienti leoni resistamus fortes in fide, & ignita ipsius iacula hoc ipso clypeo viriliter repellamus. Opus est iustitia, ut operemur bonum: opus prudentia, ne cum fatuis virginibus reprobemur: opus denique temperantia, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando quod miser ille, epularum pariter & vestium splendore finito, dum misericordiam precaretur, audivit: Memento fili, quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* De his quatuor virtutibus lege S. Thomam 1. 2. *quæst.* lxi. ubi earumdem notiones perspicue tradit. Mutuum fœdus habent virtutes istæ. Qui unam vere habet, ceteras possidet; non tamen æqualiter in ipsis iustis reperiuntur.

CA-

CAPUT II.

De prudentia, eiusque partibus, officiis, & vitiis oppositis.

I. PRudentia est *virtus quæ secundum honestatis rationem, divinæque legis præscriptum, quid expetendum, quidve fugiendum homini sit, proponit*. Non in voluntate, ut ceteræ virtutes morales, sed in intellectu residet, ceu lumen, & iudex, qui dirigit, ordinat, decernit quid ceteræ virtutes prosequi, quid declinare debeant. Ideo virtus hæc intellectualis vocatur, quia est veluti aliarum virtutum doctrix & magistra. De hac virtute fusum sermonem habet S. Thomas 2. 2. *quæst.* XLVII. sexdecim articulis comprehensum, ubi omnia quæ de prudentia desiderari possunt, sigillatim exponit.

II. Prudentia alia *politica*, quæ in bonum Reipublicæ, alia *œconomica*, quæ in bonum familiæ, alia *monastica*, quæ in bonum privatum tendit. Officia prudentiæ sunt, 1. rectum consilium agendorum formare, præbere, inquirere, accipere. 2. De rebus practicis agendis recte iudicare secundum aut communes regulas, aut secundum altiora principia, si communes regulæ in tali casu deficiant. 3. Recte præcipere executionem. Hæc sunt officia, seu actus proprii prudentiæ, consulere, iudicare, præcipere.

III. Partes integrantes, & ex quibus coalescit prudentia, sunt *memoria*, *intelligentia*, *providentia*, *solertia*, *docilitas*, *ratio*, *circumspectio*, *cautio*, *sollicitudo*.

IV. *Memoria* hic non accipitur pro facultate naturali addiscendi res novas, sed *pro studiosa recordatione eventuum præteritorum*. Prudentia magna ex parte experientia præteritorum eventuum nititur. Meditatur præsentem deliberationem iuxta successum quem negotia in similibus circumstantiis habuerunt; & pro circumstantiarum identitate, aut diversitate colligit, quid hic & nunc resolvendum sit. Sæpe tamen occurrit ut negotia quæ ad exactas prudentiæ regulas deliberata fuere, male cedant, ex earum caussarum defectu quæ non sunt in nostra potestate, aut ex ignorantia alicuius occultæ circumstantiæ, quæ humanæ mentis aciem fugit, & superat. Quare licet negotia prudenter deliberata plerumque faustum sortiantur eventum; non ideo tamen semper ex eventu contrario, & infausto inferri iure potest, imprudentem fuisse deliberationem. Quare argute cecinit Poeta:

— Careat successibus, opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

V. *Intelligentia* est *accurata & solers consideratio, qua intelligitur, quid sit in unaquaque actione honestum, Deoque acceptum*. Vir prudens perspicit, penetratque aliorum consilia. Quamvis enim adeo profundæ sint hominum cogitationes, ut solus spi-

ſpiritus hominis eas cognoſcat; tamen vir prudens ex coniecturis, ex hominum inclinatione, indole, temperamento, dominante paſſione, ceteriſque coniecturis præter propter eaſdem obſervat, expiſcatur, & aliquando colligit, ſcopumque attingit, iuxta illud Prov. xx. *Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri. Sed homo ſapiens exhauriet illud.*

VI. *Providentia* eſt, *qua futura aliqua, antequam eveniant, præcognoſcuntur, aut idonea media ad ea aſſequenda executioni demandantur*, iuxta illud Deuteron. cap. xxxii. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* Præclara eſt de hoc parabola deſcripta *Luc.* xiv. de computatione ſumptuum ante turris ædificationem.

VII. *Solertia* eſt *promptitudo animi, & facilis promptaque coniectio, qua, dum aliquid inopinato occurrit, vir prudens & perſpicax celeriter invenit id quod congruit, & expedit negotio dirigendo.*

VIII. *Docilitas* eſt *illa prompta aptitudo qua quis paratus eſt ad conſilia aliorum, & monita de rebus agendis accipienda.* Hæc eſt una ex peculiaribus prudentiæ dotibus, diſcernere ea quæ ſuggeruntur ab aliis, num congruant nec ne præſentaneæ reſolutioni, eaque ſuſcipere, propria opinione reiecta, ſi opus fuerit. Hanc cordis docilitatem implorabat a Deo ſapientiſſimus Salomon. *Dabis ſervo tuo cor docile.*

IX. *Ratio* eſt *ſolidum, rectumque ratiocinium, quo ex aliis antecedenter cognitis, quid ſit nunc agendum, colligitur.*

X. *Circumſpectio* eſt *matura circumſtantiarum omnium comprehenſio, ut reſolvi prudenter poſſit, quid expediat habita ratione temporis, loci, perſonarum* &c.

XI. *Cautio* eſt *penetratio malorum, impedimentorum, & oppoſitionum, quæ aſſequendo fini adverſari poſſunt, ut declinentur, & removeantur.*

XII. *Sollicitudo* eſt *ſolertis animi vigilantia, & celeritas ad agenda, & proſequenda ea quæ neceſſaria ſunt ad conſiliorum executionem promovendam, urgendamque.*

XIII. Quæſt. I. *In quibus reperiatur prudentia?* Reſp. In peccatoribus nulla vera & perfecta prudentia reperitur, ſed tantum imperfecta; ut docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* xlvii. *art.* 3. ubi inquit: *Prudentia eſt vera & perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ recte conſiliatur, iudicat, & præcipit: & hæc ſola dicitur prudentia ſimpliciter, quæ in peccatoribus eſſe non poteſt.* In peccatoribus eſſe poteſt dumtaxat larva quædam prudentiæ, quæ carnalis eſt & mortifera; ut *Rom.* viii. dicit S. Paulus: *Prudentia carnis mors eſt.* Hoc in ſenſu, ſubdit ibidem Angelicus, *poteſt ſecundum ſimilitudinem dici prudens latro, qui convenientes vias adinvenit ad latrocinandum.*

XIV. In iuſtis omnibus invenitur vera prudentia, ſine qua nulla vera virtus conſiſtit; ut ibidem *art.* 14. declarat S. Thomas. Quamvis enim plures iuſti careant prudentia, qua & ſibi, & aliis providere valeant de omnibus quæ ad hu-

manæ vitæ rationem attinent; ea tamen industria a Deo donantur quæ necessaria est ad negotium æternæ salutis tractandum. Et *qui indigent regi consilio alieno* (addit ad 2. Angelicus) *saltem in hoc sibi consulere sciunt, si gratiam habent, ut aliorum requirant consilia, & discernant consilia bona a malis*. Omnes igitur iustos spectat illud Christi Domini oraculum Matth. x. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Serpens totum corpus exponit periculo, ut caput salvet; & per angusta foramina transit, ut veterem exuat pellem: sic nos corpora nostra tormentis, & periculis obiicere astringimur, ut caput nostrum, qui est Christus, indemne custodiamus; & per viam arctam incedere debemus. Columbarum vero simplicitas nobis commendatur, ne ulli nocumentum inferamus.

XV. Heinc colliges, homines retusi ingenii prudentes esse non posse, excepta illa prudentia quæ necessaria est ad salutem. Quandoquidem ea quæ ad prudentiam universalem necessaria sunt, ab iis dumtaxat comprehendi possunt qui experrecto ingenio præditi sunt. Viri docti, & acuto ingenio ornati imprudentes esse possunt; at indocti, & ingenio tardi prudentes esse nequeunt. Tardiloqui, & torpidi prudentes vocari solent. Caret (dici solet) ille acumine, & litteris; sed prudentia abundat. Isti appellari prudentes possunt *negative*, secus *positive*. De raritate & penuria summa prudentiæ alibi dictum est.

XVI. Quæst. II. *Quænam sunt vitia prudentiæ opposita?* Resp. Hæc communiter recensentur. *Imprudentia, præcipitatio, inconstantia, negligentia, prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, & immodica de rebus temporalibus sollicitudo*.

XVII. *Imprudentia* avertit hominem a divinis regulis, & est peccatum mortale, cum quis contemnens, & repudians divina documenta, præcipitanter agit; si tamen absque contemptu, & detrimento eorum quæ sunt de necessitate salutis agat, erit peccatum veniale, inquit 2. 2. *quæst.* LIII. *art.* 1. S. Thomas.

XVIII. *Præcipitatio* imprudentiæ species est, qua quis ex impetu voluntatis, & pravo animi affectu deliberat de iis quæ agenda sunt, prætermissis prudentiæ regulis.

XIX. *Inconsideratio*, & *inconstantia* sub imprudentia continentur. Inconsideratio enim contemnit animum intendere in ea quæ requiruntur ad rectum iudicium. Inconstantia bonum propositum reiicit.

XX. *Negligentia* omittit ea quæ ad prudentiam necessaria sunt. Si voluntas ita remissa sit circa res divinas, & officia vitæ christianæ, ut a Dei caritate deficiat; tunc negligentia est peccatum mortale. Si vero negligantur aliqua quæ non sunt de necessitate salutis, sublato contemptu, negligentia venialis erit, inquit S. Thomas 2. 2. *quæst.* LIV. *art.* 3.

XXI. *Prudentia carnis*, assumpta prudentiæ larva, mortem operatur, quando in fruitione bonorum temporalium ultimum finem constituit. Quoniam *sapientia carnis* (inquit Paulus Rom. VIII.) *inimica est Deo*. Falsa hæc prudentiæ species secu-

ſæculi prudentia vocatur, de qua Lucas XVI. *Filii huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.*

XXII. *Aſtutia* viis ſimulatis & falſis ad finem ſuum tendit. *Fraus* aſtutiæ prava conſilia factis, *dolus* verbis exequuntur. *Immoderata de rebus temporalibus ſollicitudo* in bonorum temporalium acquiſitione ſuum finem conſtituit: præter ea quæ ad præſentem vitam neceſſaria ſunt, ſuperflua nimia anxietudine quærit. Contra hoc vitium nos monet *Matth.* VI. Chriſtus Dominus: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.*

CAPUT III.

De iuſtitia, eiuſque partibus, & officiis.

I. DE iuſtitia fuſe diſputatum eſt *Tom. VII.* Eſt *conſtans & perpetua voluntas tribuendi unicuique ius ſuum.* Duplex eſt. Altera generalis, quæ eſt vitæ noſtræ, omniumque actionum ad legem divinam conformatio. Duo ſunt eius officia, declinare malum, & facere bonum. Altera particularis, quæ, ut dixi, unicuique ius ſuum tradit. Hæc enim iuſtitia ius ſpectat, quod dividitur in naturale, divinum, & humanum. Verum, cum *cit. Tom. VII.* omnia quæ ad iuſtitiam attinent, explicata ſint, ſuperflua nunc eſt de eadem longior diſputatio.

II. Virtutes iuſtitiæ adiunctæ, & finitimæ ſunt *religio*, *pietas*, *obſervantia*, *obedientia*, *veritas*, *gratia*, *vindicatio*, *liberalitas*, *amicitia*, *affabilitas*.

III. Religio Deo cultum reddit & reverentiam. Illius officia ſunt *devotio*, *oratio*, *adoratio*, *ſacrificium*, *oblationes* primitiarum, decimarum, aliarumve rerum Deo dicatarum, item *votum*, & *iuramentum*. Vitia oppoſita ſunt *ſuperſtitio*, *ſacrilegium*, *ſimonia*, *periurium*.

IV. *Pietas* iuſtitiæ proxima eſt, quæ ſecundum Deum, parentibus, patriæ, concivibus honorem exhibet. *Obſervantia* virtus eſt pietati affinis, quæ homines in dignitate conſtitutos honore & debito cultu proſequitur. Quamquam enim omnes homines mutuo ſe honore colere debeant, ut Apoſtolus *Rom.* XII. monet: *Honore invicem prævenientes*: tamen iis qui dignitate, ſapientia, virtute præſtant, ſingularis honor debetur. Hæc obſervantia duplex eſt. Religioſa altera, quæ ob ſupernaturalem perfectionem cultum offert; altera politica, quæ ob civilem dignitatem honorem exhibet.

V. *Obedientia*, omnium virtutum moralium maxima, duplex eſt. Altera generalis, inclinans ad ſervandum quodcumque præceptum: qua ratione obedire pertinet ad omnem virtutem: & inobedientia generalis, eidem oppoſita, eſt vitium generale quod omne præceptum violat, eſtque in re gravi peccatum mortale, in re levi veniale. Altera eſt ſpecialis, qua ſubditi Superiorum mandata exequuntur.

tur. Huic opponitur inobedientia formalis, quæ semper peccatum mortale est: quia est formalis contemptus præcepti, & potestatis præcipiendi. Quare etiamsi res levis sit, contemptus formalis mortiferus est.

VI. *Veritas* est virtus iustitiæ finitima, *qua homo talem se vita, & sermone exhibet, qualis est*. De hac veritate, seu veracitate fuse disputatum est in Decalogum: ideo nunc a longiori sermone abstineo.

VII. *Gratia*, seu, ut vulgo dicitur, *gratitudo*, est virtus quæ inclinat ad beneficia compensanda, & gratiam reddendam benefactoribus. Gratiæ, seu gratitudinis officia sunt continua beneficiorum memoria, & recordatio; honorem, & reverentiam benefactoribus exhibere, gratias agere; beneficia accepta celebrare; propensio voluntatis, & animi promptitudo ad officia, & beneficia præstanda iis a quibus beneficia accepimus. Immo, si fieri potest, plus reddendum est quam acceptum sit, ut 2. 2. *quæst.* CVI. *art.* 6. docet S. Thomas inquiens: *Recompensatio gratiæ respicit beneficium secundum voluntatem benefacientis. In quo quidem præcipue hoc commendabile videtur quod gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur. Et ideo qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honestatis, ut similiter aliquid gratis impendat. Non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficii: quia quamdiu recompensat minus, vel æquale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit. Et ideo gratiæ recompensatio semper tendit, ut pro suo posse aliquid maius retribuat*. Homines, quia natura corrupta superbi, ingrati communiter sunt: quia renuunt se declarare subiectos, & devinctos beneficiis alterius hominis; quem si benefactorem recognoscunt, quodammodo ut superiorem, & præstantiorem suspicere tenentur. Varii sunt ingratitudinis gradus. *Ingratus est* (inquit Seneca *Lib. III. de benef.*) *qui dissimulat, ingratior qui non reddit, ingratissimus omnium qui oblitus est*. Mutuo se in vitia homines impellunt, quia communiter vitiosi sunt. Illi mutuas tradere pecunias, occurrere aliorum egestati, beneficia impendere refugiunt: quia isti communiter ingrati sunt. Varios modos quibus aliquis ingratus est, explicat 2. 2. *quæst.* CVII. *art.* 3. S. Thomas inquiens: *Ingratus dicitur aliquis dupliciter. Uno modo per solam omissionem; puta quia non recognoscit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro beneficio accepto: & hoc non semper est peccatum mortale: quia, ut supra dictum est, debitum gratitudinis est ut homo etiam aliquid liberaliter tribuat ad quod non tenetur: & ideo si illud prætermittit, non peccat mortaliter. Est tamen peccatum veniale, quia hoc provenit ex negligentia quadam, aut ex aliqua indispositione hominis ad virtutem. Potest tamen contingere quod etiam talis ingratitudo sit mortale peccatum vel propter interiorem contemptum, vel etiam propter conditionem eius quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur benefico, sive simpliciter, sive in aliquo necessitatis casu. Alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non solum prætermittit implere gratitudinis debitum,*

tum, sed etiam contrarium agit : & hoc etiam secundum conditionem eius quod agitur, quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale. Sciendum tamen, quod ingratitudo quae provenit ex peccato mortali, habet perfectam ingratitudinis rationem; illa vero quae provenit ex peccato veniali, imperfectam.

VIII. *Vindicatio* est *virtus qua iniuria, aut vis defendendo, aut iuste puniendo repellitur.* Est illicita, si vindicantis intentio malum alterius spectet, illudque intendat. Nec excusatur, quamvis feratur in malum illius a quo iniuria affectus est : hoc enim ad odium attinet, quod pugnat cum divino mandato. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* : Rom. cap. XII. Licita vero est, quando publica, non privata auctoritate ordinatur in emendationem peccantis, aliorum tranquillitatem, & iustitiae conservationem. Punitio criminum ad iustitiam commutantem pertinet, quatenus publicam iustitiam spectat. Quando vero spectat immunitatem alicuius privatae personae, ut ab iniuria suscepta immunis constituatur, servatis debitis circumstantiis, peculiaris virtutis est, nempe *vindicationis*. Huic virtuti opponuntur vitia duo. Alterum per excessum, & vocatur *crudelitas* seu *saevitia*, quae modum punitionis excedit : alterum per defectum, & est nimia in puniendo *remissio*.

IX. *Liberalitas* est virtus iustitiae affinis, *quae in convenienti bonorum externorum quae ad vitae sustentationem concessa sunt, distributione, & usu versatur*. Modum praecipue aequae distributionis virtus illa respicit & servat. Qui indiscriminatim quibuslibet dant, liberales non sunt : quia postea non habent unde aliis dent. Plures se liberales reputant, quia facile distribuunt sua; & postea, cum pro loco, tempore, & personarum qualitate convenientissima esset distributio, quid tribuant, omnino non habent. Isti prodigi, non liberales sunt. Liberalis nec sibi, nec suis necessaria subtrahit. Liberalis aegre recipit, dat libenter, quando, & prout oportet : numquam petit iuxta vulgare distichon.

Si quis in hoc mundo multis vult gratus haberi,
Det, capiat, quaerat, plurima, pauca, nihil.

X. *Affabilitas* virtus est iustitiae propinqua, *qua homo ad alios homines in civili commercio, & conversatione ita dicta sua, & facta moderatur, ut neminem sive verbis, sive gestis offendat.* Virtus haec non restringitur ad familiares, & amicos, sed universe omnes quibuscum conversatur, amplectitur. Duo huic virtuti opponuntur vitia per excessum; nempe *adulatio*, qua palpantur illi quibuscum conversamur; & *blanditiae*, quibus nimium connivemus aliorum non rectis inclinationibus, & moribus. Vitia haec frequentissime grassantur, & sunt veluti instrumenta superbiae, & vanae gloriae. Homines enim inflati, & gloriosi velificantur, & adulantur omnibus, ut inde plausum sibi, & acclamationes comparent, unde inflent vanae gloriae tumorem. Adversantur alia duo vitia per defectum, nempe *taedium*, & mo-

morositas, seu *litigium*, quo quis alios contristare non veretur, omnia illorum dicta & facta vellicando. Vir morosus suo vultu, & supercilio tetricam præfert severitatem, & tristitiam quamdam in colloquio; gravatim audit, & gravatim respondet. Vitium hoc in Superioribus præsertim, & animarum curatoribus perniciosissimum est; cum fructum omnem impediat, quem parere ministerium deberet. Traianus ipse ethnicus Imperator damnat in Superioribus omnibus tetricam morositatem. Siquidem aliquibus eiusdem comitatem, & popularitatem carpentibus hoc, teste Eutropio, responsum præbuit. *Talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset*. Indoles, temperamentum, institutio multum conferunt ad affabilitatem. Virtus tamen ipsa assiduo exercitio tædium, morositatem, & tetricum humorem coercet, & vincit.

CAPUT IV.

De fortitudine, eiusque officiis, & partibus.

I. Fortitudo est *virtus quæ animum ita moderatur secundum rectæ rationis normam circa ea quæ ardua sunt, & terribilia, ut nec pravo timore frangatur, nec temere quidquam aggrediatur*. Virtus hæc in gravibus periculis excutit timorem, & tristitiam, moderatur audaciam, animum erigit, accendit, incitat adversus pericula maxime præmeditata, quæ subeunda sunt propter Dei gloriam, præcipue contra mortem ipsam, omnibus malis formidabiliorem.

II. Fortitudo alia est *domestica*, qua firmitatem animi in adversis calamitatibus quibus opprimi animus solet, & a virtutis officio averti, viri fortes retinent, ut in amissione fortunarum, patrimonii, parentum, honoris &c. Alia est *bellica*, quæ animum roborat adversus hostes sive corporales, sive spirituales. Hac excelluerunt Heroes, Abraham, Moyses, Caleb, Iosue, Gedeon, David, Machabæi, Apostoli, Martyres, ceterique Sancti, qui *per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*; ut Apostolus loquitur.

III. Cum militia sit vita hominis super terram, hac virtute præsertim obarmati sint Christiani oportet, ut clamat *Ephes.* VI. S. Paulus. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, & resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.*

IV. Duo sunt fortitudinis officia: aggressio, & perpessio. Aggressione animus adit res arduas, & pericula gravia: perpessione sustinet adversa, tormenta, calamitates, mortemque ipsam. Fuse 2. 2. *quæst.* CXXIII. de hac virtute Angelicus scribit, ubi docet perpessionem esse præcipuum fortitudinis officium. Difficilius quippe est timorem reprimere quam audaciam coercere. Hæc enim sunt duo vitia fortitudini opposita. Porro difficilius est non moveri præsenti malo quam futu-

turo : difficilius eſt diu manere immobilem ſub malorum & adverſitatum iugo quam ſubito motu aliquod arduum opus aggredi : difficilius eſt cum fortiore pugnare quam debiliorem invadere. Quare martyrium eſt heroicæ fortitudinis actus. Hac enim armatus Chriſtianus immobilis perſiſtit in fide, & iuſtitia, a qua neque per mortem abduci valet; ſed eam invicto pectore ſuſtinet.

V. Virtutes adiunctæ fortitudini ſunt *magnanimitas*, *magnificentia*, *patientia*, *& perſeverantia*. Deſcribitur *magnanimitas* virtus *quæ moderatur magnorum honorum ſpem, & deſideria*. Magnos honores ſpectat vir magnanimus, ita tamen ut eos immoderate non expetat, neque primario intendat; ſed cum primis res arduas, & præclara facinora propter Deum aggredi, & agere ſtudet, quibus magnus debetur honos, ut 2. 2. *quæſt.* CXXIX. *art.* 4. *ad* 1. S. Thomas docet. *Magnanimitas ita eſt circa honores, ut ſtudeat facere ea quæ ſunt honore digna; non tamen ſic, ut pro magno æſtimet humanum honorem*. Vir autem magnanimus nihil agit contra virtutis officium, ut honores aſſequatur; quemadmodum ibidem Angelicus ſubdit. *Magnanimitas non eſt circa honorem quemcumque, ſed circa magnum honorem. Sicuti autem honor debetur virtuti, ita magnus honor debetur magno operi virtutis. Et inde eſt quod magnanimus intendit magna operari in qualibet virtute, in quantum tendit ad ea quæ ſunt digna magno honore*. Magnanimitati opponuntur per exceſſum *præſumptio*, *ambitio*, *& inanis gloria*; & per defectum *puſillanimitas*.

VI. *Magnificentia* virtus eſt annexa & affinis fortitudini, *quæ ad magna opera in exteriori materia magnis ſumptibus facienda ſecundum rationis, & divinæ legis amuſſim animum erigit, & inclinat*. Alia eſt publica, & ſacra, quæ ad pios uſus, ut ad ſacrificia, ad erigenda templa, collegia, xenodochia, ſumptus impendit. Alia eſt publica & civilis, quæ ad uſus politicos, nempe ad Rempublicam conſervandam, augendam, amplificandamque, ad naves, ad arces fabricandas, ad militum copiam colligendam, aliaque opera aggredienda, promovendaque pro ſtatus & regni conſervatione expenſas ingentes facit. Alia demum eſt privata, quæ vel magnifica munera alicui privato impertit, vel magnifica aggreditur in uſum proprium, quando ratio propriæ dignitatis, decoris, & operis ipſius natura poſtulat, ut ædificia, quæ ſemel fiunt, & diuturna ſunt. Statui tamen conformia ſint oportet, ut magnificentia virtutis naturam habeat. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CXXXIV. *art.* 2. *ad* 3. illam magnificentiam dicit eſſe illuſtriorem qua ſplendida opera in honorem Dei magnis ſumptibus fiunt. *Nullus finis* (inquit) *humanorum operum eſt adeo magnus, ſicut honor Dei: & ideo magnificentia præcipue magnum opus facit in ordine ad honorem Dei. Unde Philoſ. IV. Eth. dicit* .... quod honorabiles ſumptus ſunt maxime qui pertinent ad divina ſacrificia. *Et circa hoc maxime ſtudet magnificus. Et ideo magnificentia coniungitur ſanctitati: quia præcipue eius ef-*

fectus ad religionem, sive ad sanctitatem ordinatur. Huic virtuti opponitur *parvificentia*, quae est vitium, quo nimius pecuniae amator, minus largitur quam eius dignitatis ratio postulet, vel susceptum opus, ingentes sumptus requirens, non audet persequi, aut decore perficere, ob animi angustiam. Vitium oppositum per excessum est *prodigalitas*, qua quis maiores sumptus profundit quam ratio exigat.

VII. *Patientia* virtus est fortitudini cognata, *qua mala praesentia aequo invictoque animo tolerantur*. Virtus summopere necessaria est, & quotidiana sit oportet. *Patientia* (inquit Paulus ad Hebr. 1.) *vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem*. Duo vitia eidem opponuntur. Unum per excessum, nempe *impatientia*, qua quis plus iusto de malis dolet, & tristatur. Vitium istud mortiferum esse potest vel ratione scandali, quod proximo ingeritur, vel ob mala quae quis impatientia abreptus operatur. Alterum vitium per defectum est *insensibilitas*, seu animi durities, qua quis stupore quodam correptus nec propriis, nec alienis malis commovetur.

VIII. *Perseverantia* virtus est *qua homo firmum habet propositum persistendi in opere bono usque ad eiusdem consummationem, & roboratur ad superandas molestias & difficultates ex actus diuturnitate proficiscentes*. Eidem per excessum adversatur *pertinacia*, qua homo agendi propositum retinet, & persequi contendit, quando non oportet, vel plusquam oportet. Contra perseverantia constans est, usquedum tantum ratio recta postulat. Vitium per defectum est *inconstantia*, qua quis absque iusta caussa ab opere suscepto desistit ob quamdam mollitiem, seu amorem voluptatis, vitae delicatae, aut ob inertiam vel pigritiam.

IX. Inter vitia opposita alicui virtuti, absolute loquendo, graviora sunt quae per defectum, quam quae per excessum opponuntur. Sic gravior est desperatio quam praesumptio.

C A P U T V.

De temperantia, eiusque partibus, & officiis.

I. Temperantia universe accepta virtus est *quae ad legum divinarum, & humanarum praescriptum operationes, & appetitiones humanas moderatur; sed & cupiditates, & affectus animi, qui contra rationem alliciunt, coercet*. Secundum hanc acceptionem non est virtus specialis. Prout enim virtus peculiaris est, moderatur appetitum iuxta divinam legem, & rectam rationem in usu rerum quae delectationem sensuum, praecipue gustus, & tactus, pariunt, ut sunt cibus, potus, & res venereae.

II. Vitia opposita temperantiae sunt *intemperantia*, qua quis voluptates corporis, gustus, & tactus, praesertim venereorum, immoderate, ac praeter rationis, divinaeque

næque legis regulam appetit, eiſdemque abutitur, præſcriptum a ratione modum excedens. Aliud eſt vitium oppoſitum per defectum, quod dicitur *ſtupiditas ſenſuum*. Hoc vitium, quod perrarum eſt, omnes delectationes licitas & honeſtas, etiam neceſſarias, quas Deus ad hanc tuendam vitam, propagandamque inſtituit, reiicit, & aſpernatur, ac ſi homo truncus eſſet, & ſtipes, omniſque ſenſus expers.

III. Partes integrantes temperantiæ ſunt *verecundia*, & *honeſtas*. Dicitur verecundia *turpitudinis, & vituperii inhoneſtam actionem conſequentis timor*. Sit ne vera virtus, diſputant Philoſophi. Illud eſt certum, a Deo commendari, tamquam virtutis præſidium. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe* &c. inquit Apoſtolus *I. ad Timoth. cap.* 11. Verecundiæ opponitur *inverecundia*, ſeu *impudentia*, qua homo turpitudinis nullum experitur ſenſum. Malus eſt pudor quo quis verecundatur paupertatis, ignobilitatis, aut calamitatum, aliorumque quæ abſque vitio ſuo evenerunt. *Honeſtas* virtus eſt *quæ hominem avertit ab iis quæ probroſa ſunt*, ut ab immoderato appetitu voluptatum, & venereorum.

IV. Species temperantiæ ſunt *abſtinentia*, *ſobrietas*, *caſtitas*. Officium *abſtinentiæ* eſt moderari hominem, ut ſibi temperet a cibo, & potu, quantum iuxta rectam rationem decet, habito reſpectu valetudinis, perſonæ, & aliorum quibuſcum vivit.

V. *Sobrietas* virtus eſt *quæ moderatur appetitum, & uſum potus vim inebriandi habentis, ſecundum rectam rationem*. Menſura autem cibi, & potus, & ſomni repetenda eſt ex fine proximo, qui eſt corporis valetudo, idonea ad mentis & corporis officia exercenda. De ſobrietate, & abſtinentia late diſſerui *Tom.V.* & alibi.

VI. *Caſtitas* virtus eſt *quæ regit & refrenat appetitum in uſu venereorum*, & eſt carnalium voluptatum moderatrix. Triplex eſt, *coniugalis*, *vidualis*, & *virginalis*. Prima eſt voluntas firma abſtinendi ab omni venerea delectatione, excepta ea quæ cum propria coniuge percipitur, & utendi coniugio iuxta normam rectæ rationis, & divinæ legis. *Vidualis* eſt propoſitum conſtans firmumque abſtinendi in poſterum ab omni venerea delectatione ex coniugio percepta propter Deum. *Virginalis* eſt voluntas conſtans, & firma abſtinendi per totam vitam ab omni actione, & delectatione venerea. Duabus præcedentibus præſtantior eſt virginitas. Abſtinentiæ gula adverſatur, ſobrietati ebrietas, caſtitati luxuria.

VII. Virtutes temperantiæ annexæ ſunt *continentia*, *clementia*, *manſuetudo*, *humilitas*, *taciturnitas*, *ſtudioſitas*, *eutrapelia* ſive *iucunda urbanitas*.

VIII. *Continentia* dupliciter accipitur. Primo in ſtrictiori ſignificatu, quatenus eſt virtus *qua ab omni prorſus delectatione venerea* abſtinetur: & ſub hac ratione eadem eſt ac caſtitas virginalis, aut vidualis. Secundo in latiori ſignificatione, quatenus virtus eſt *quæ rationem confirmat, ne carnalibus deſideriis, & pravis concupiſcentiæ motibus vincatur animus*. Hoc ſecundo modo virtus eſt temperantia inferior.

IX.

IX. *Clementia* virtus est *quæ Superioris animum inclinat ad lenitatem in pœna exigenda*, quantum permittit iustitia, recta ratio, disciplinæ bonum, delinquentis salus, & publica ædificatio, spectatis circumstantiis facti, caussæ, personæ, ceterisque. Si lex arbitrio iudicis infligendæ pœnæ modum relinquat, amplior tunc clementiæ locus patet. De hac virtute dicitur Prov. XI. *Clementia præparat vitam*. Virtus hæc maxime Christianorum propria est. Eidem per excessum opponitur crudelitas, qua ultra modum pœnas exigit. Per defectum laxitas, seu nimia lenitas, qua pœna aut remittitur, aut minuitur, quando recta ratio dictat ad rei emendationem exigendam esse præfinitam pœnam.

X. *Mansuetudo* est virtus *iræ moderatrix*. Hanc præ ceteris nobis Christus commendavit, inquiens: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*.

XI. *Modestia* virtus est *quæ tum interiores animi motus, tum externas actiones moderatur, ita ut nihil offendat aspectum*. Hæc virtus ita coercet omnes corporis actiones, ut nihil sit torvum in oculis, nihil elatum, nihil procax in verbis, nihil in gestu inverecundum, nihil in incessu solutum, nihil in voce petulans. Vir modestus nec nimis elatos oculos habet, nec nimis depressos. Modestiæ virtus non Clericos tantum, non Monachos, non Novitios, non mulieres, & puellas, sed omnes prorsus Christianos decet. Omnes enim alloquitur Paulus: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Modestia ipsa externa duplex. Altera quæ moderatur externos corporis motus, quorum memini: & huic modestiæ opponitur per excessum *petulantia*, & *insolentia*; & per defectum *rusticitas*. Altera est modestia exterior, quæ in cultu, ornatuque corporis, in apparatu domus, conviviorum, supellectilis &c. mediocritatem congruam personæ, statui, patrimonio &c. servat. Contra luxum impudentium muliercularum, vanissimas pompas, & fastum, quæ sunt vitia modestiæ opposita, plura dicenda essent, nisi longa oratione *Tom. II. in Decal. diss.* IX. contra eiusmodi vitia scripsissem.

XII. *Humilitas* est modestiæ soror, virtus scilicet *qua reprimitur, & firmatur animus, ne supra se tendat*. De illa supra egi, quæ legere poteris. *Taciturnitas* est virtus sermonis moderatrix, cui opponitur *garrulitas*, sive effrenis loquendi pruritus.

XIII. *Studiositas* virtus est *quæ studium scientiæ, & cognitionis acquirendæ moderatur, & modum præscribit, ac ordinem servandum in scientiis comparandis*. Ostendit quæ conditioni, statui, & capacitati scienda conveniant, quæve statui, professioni, & conditioni adversentur, ut 2. 2. *quæst.* CLXVII. *art.* I. docet S. Thomas, ubi quatuor modos recenset quibus peccari potest in addiscenda veritate, inquiens: *Uno modo inquantum per studium minus utile retrahuntur a studio quod eis ex necessitate incumbit. Unde Hieronymus dicit: Sacerdotes, dimissis Evangeliis, & Prophetis, videmus comœdias legere, & amatoria bucolicorum versuum verba canta-*

tare. Alio modo inquantum studet aliquis addiscere ab eo a quo non licet : sicut patet de iis qui aliqua futura a dæmonibus perquirunt; quæ est superstitiosa curiositas. .... Tertio, quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei.... Quarto modo, inquantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprii ingenii facultatem : quia per hoc homines de facili in errores labuntur. Vitium oppositum *studiositati* est *curiositas*, quæ dicitur appetitus inordinatus cognoscendi. Hæc inordinatio vel est ex parte obiecti, & appellatur superflua cura cognoscendi ea quæ ad cognoscentem non pertinent : vel ex parte modi comparandi notitiam, puta si tempore incongruo, & intempestivo addiscere velis, vel nimio conatu, & immodico labore, qui obsit valetudini. Multis modis curiositas mortalis esse potest. 1. si legas libros prohibitos. 2. si utaris medio superstitioso. 3. si periculo peccandi mortaliter curiositas te exponat. 4. si studium curiosum, & superfluum sit caussa omittendi studium necessarium. 5. si quis curiositate compulsus ab alio scire studeat quæ revelari absque gravi culpa nequeunt. 6. si immoderatum studium graviter valetudinem lædat. 7. si quis epistolas alterius eo invito aperiat, legatque. Ipsa apertio epistolarum communiter mortalis est : quia, tametsi non contineant, possunt tamen continere magni momenti secreta. Peccant illi ipsi qui frustula laceratæ epistolæ colligunt, coniungunt, & legunt : peccant quoque qui aliorum scripta invito Auctore legunt, vel publicant. Quam grave malum pepererit Evæ curiositas in pulcherrimi pomi visu, exploratum omnibus est. Curiositas videndi mulieres alienigenas Dinam filiam Iacob præcipitavit. Curiositas videndi mulierem se lavantem in scelus detrusit Davidem.

XIV. *Eutrapelia*, sive *iucunda urbanitas* virtus est temperantiæ affinis, & moderatrix iocorum, & ludorum iuxta rectam rationem. Contra illam frequentissime peccatur per excessum tum ratione materiæ, quia non raro ioci, & ludi peraguntur verbis, aut factis immodestis, obscœnis, petulantibus, periculosis : tum ratione circumstantiarum, quod ioci, & ludi exerceantur vel in loco & tempore indebito, vel contra personæ dignitatem, vel ratione immodici affectus, & longioris diuturnitatis. Quapropter virtute opus est, ut iocorum, ludorumque exercitium intra congruos limites coerceat. Hæc de iocis, & ludis *Lib. I. Offic. cap.* XXIII. scribit S. Ambrosius. *Licet interdum honesta ioca, ac suavia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula : quoniam quæ in Scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus?* cap. XX. *Caveamus ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum omnium bonorum operum.* Per defectum peccari potest nimia morositate omnem animi recreationem detestandi vel in se, vel in aliis. Verum hoc in genere rarissime, in priori frequentissime peccatur. Et hæc pauca disseruisse de virtutibus sufficiat, quarum praxis plus prodest quam disputatio.

C A-

CAPUT VI. & ultimum.
ALLOQUIUM
AD CONFESSARIOS
ſuper
Beatitudinibus evangelicis.

I. HUic CHRISTIANAE THEOLOGIAE DOGMATICO-MORALI finem impoſiturus ad vos, o Confeſſarii, in quorum præſertim commodum, & utilitatem, hoc, quale demum cumque ſit, opus edidi, ſermonem meum converto, & cum Paulo *II. Cor.* VI. dicam: *Os noſtrum patet ad vos* (o Confeſſarii) *cor noſtrum dilatatum eſt*. Dilatatum, inquam, eſt, quod opus laborioſiſſimum, & undique difficultatibus circumſeptum ad metam, infinita Dei miſericordia auſpice, tandem perduxerim. Os meum igitur patet ad vos, o viri Dei, miniſtri IESU CHRISTI, animarum Paſtores, & vineæ evangelicæ cultores. In duodecim ego volumina Chriſtianam Theologiam digeſſi, in quibus pro ſana doctrina contra novam opinionum laxitatem pugnatum eſt. Experientia ipſe diuturna didici, ex diſputationum contentione remitti potius quam incaleſcere divinæ caritatis fervorem, & virtutum culturam. Heinc eſt quod ſæpe vos in hoc theologico curſu monuerim, ut a quorumdam librorum lectione vobis temperetis, in quibus a capite ad calcem in utramque partem diſſertatur, vitilitigatur, contenditur. Eo omnia plerumque recidunt, ut in rebus controverſis a divinæ legis in controverſiam vocatæ iugo homines ſubducantur, ut illæ ſententiæ quæ appetitionibus humanis magis arrident, & ſenſuum illecebris favent, promoveantur, & triumphent. Nullæ ibi, aut ſaltem raræ, & breviſſimæ ad virtutum officia, ad evangelicæ perfectionis ſtudium exhortationes, & incitamenta. Hæc ad aliud librorum, quos aſceticos, & ſpirituales vocant, genus reiiciunt, ac ſi Theologia evangelica altercari, litigare, & cavillari doceret, & non ſpirituales, ſed corporales eſſent eiuſmodi libri, in quibus de vitiis, & virtutibus continenter diſtinctiones, ſubdiſtinctiones, diſtinctiunculæ, litigia, & ſubtiliſſima effugia occurrunt. Quæ omnia mentis humanæ imbecillitatem, infirmitatemque evincunt. Sæpe inter diſputandum in hoc curſu theologico, occaſione data, exhortationes inſerui, quibus lectorum animos ad virtutes excolendas inflammarem, odiumque adverſus vitia accenderem. Et hoc mihi vitio verti a pluribus non ignoro, quod hæc Concionatorem, non Theologum deceant. Verum tantum abeſt ut hæc reprehenſio iuſtam pœnitendi cauſſam exhibeat, quin vellem frequentius id a me præſtitutum fuiſſe. Quare, ut ſterilem diſputandi rationem in huiuſce operis calce quoquomodo com-

compensem, brevi de virtutibus tractatui adiicere beatitudinum explicationem decrevi. Hæc sola beatitudinum simplex explanatio, & seria meditatio plus spiritum vestrum, o Confessarii, fecundabit, plus unctionis sparget, plus fervoris accendet in cordibus vestris quam ingentia disputationum volumina. Quorsum hæc? Quia nisi vos, o Confessarii, intus caritate succensi, virtutum evangelicarum cultu exercitati, & mortificatione roborati fueritis, verendum est ne sterile futurum sit ministerium vestrum. Relicto igitur certamine & contentione, spiritum evangelicæ legis, quem beatitudines a Christo Domino recensitæ continent, degustare tranquilla oratione studeamus. Illas ego distinctis §§. exponere pro modulo meo curabo.

§. I.

BEATITUDO PRIMA.

Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem; & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matth. v.

I. HUnc divinum celeberrimumque sermonem, quem Christus Dominus in monte habuit, a beatitudinibus exorsus est, per quas veluti per gradus quosdam ad cælum ascendunt quotquot sunt in vitam æternam præordinati. In hac prima beatitudine triplicem Patres paupertatem distinguunt. Prima est eorum qui sunt pauperes patrimonio, & affectu divites. Altera illos comprehendit qui sunt pauperes affectu, & patrimonio divites. Tertia illos complectitur qui & affectu, & censu pauperes sunt.

II. Prima paupertas excluditur a regno cælorum. Pauperibus quippe spiritu merces æterna repromittitur. Isti autem affectu divites inhiant divitiis, quibus carent, & dolis, fraudibus, aliisque illicitis mediis non parcunt, ut illuc quo feruntur avaro affectu, perveniant.

III. Paupertas tertio loco indicata, cuius amore succensus Christianus abdicat se omnibus facultatibus terrenis, & tam interno affectu, quam externo opere reiicit divitias omnes eo fine, ut nudus, & pauper Christi Domini vestigia calcare valeat: paupertas hæc, inquam, non præcipitur, sed consulitur, tamquam æternæ salutis comparandæ validissimum præsidium.

IV. Paupertas loco secundo producta, qua quis ita comparatus est, ut omnes mundi divitias amittere malit quam a fide Christi desciscere, vel divinam legem violare, omnibus Christianis necessaria est. Hoc paupertatis spiritu præditi sint oportet Christiani omnes. Qui ita animatus non est, ut ad angustias redactus

aut

aut christianam Religionem eiurandi, aut omnium bonorum iacturam sustinendi, non eligat spoliari omnibus bonis, & vita ipsa potius quam a vera Christi religione abscedere, eiusque legem infringere, ingredi regnum cælorum nequit. Porro ut Christiani id præstare valeant, hanc spiritus paupertatem excolere, & quotidiano affectu se se in eadem confirmare debent. Sæpe meditandum illis oraculum Christi *Luc.* XIV. est. *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Quis dixerit paupertatem spiritus excolere Christianos illos qui fenore, iniustis contractibus, litigiis illicitis, mendaciis, & periuriis augere patrimonia student?

V. Hic paupertatis spiritus coercet intra moderationis evangelicæ confinia illam ditescendi cupiditatem omnibus insitam. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus:* inquit *I. ad Timoth.* VI. S. Paulus. Qui inexplebili divitiarum cupiditate ardent, spiritu paupertatis penitus frigescunt, & a via cælorum aberrant. Hæc spiritus paupertas divites obstringit, non modo ne cor divitiis non apponant, verum etiam ut æquam earumdem portionem ad legis evangelicæ normam pauperibus christiana liberalitate largiantur. Subdit ibidem ad Timotheum S. Paulus: *Divitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam*. Hoc pacto divites censu, pauperes spiritu & affectu erunt, si necessariis ad congruum statum contenti, superflua sua erogare pauperibus studeant. Quid, si huc transcriberem innumera alia Scripturarum oracula, & tremenda supplicia divitibus intimata? *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli* &c. *Quam difficile est divites intrare in regnum cælorum! Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem* &c. Quæ omnia evincunt, quam necessaria sit spiritus paupertas, contraria alioquin superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, & ceteris hominum appetitionibus. *Radix omnium malorum cupiditas*, inquit Paulus: quia sicut radix totam alit plantam cum ramis suis; sic divitiæ nutriunt saginantque omnes passiones. Huic cupiditati evellendæ Christus antidotum paupertatis spiritus applicandum præcipit; sicut deprimendæ superbiæ, quæ initium omnis peccati est, opposuit humilitatem. Et quemadmodum, ut nos humilitatem doceret, humiliavit semetipsum usque ad mortem; sic, ut in paupertate spiritus excolenda nos instrueret, animaretque, cum dives esset, egenus factus est toto vitæ suæ curriculo.

VI. Si vos, o Confessarii, hanc evangelicæ paupertatis imaginem altius animis vestris insculptam habueritis, si eam & meditatione, & opere colueritis, doctiores eritis quam si ingentia disputationum volumina memoria teneretis. Hæc

sola

ſola Chriſti ſententia, *Beati pauperes ſpiritu*, ad Crucifixi pedes humili animo expenſa, & contemplata plus luminis vobis infundet ad evellendam, vel coercendam illam omnium malorum radicem cupiditatem divitiarum, quam ſcholarum frequentia, & plurium Caſuiſtarum ſtudium. In hac evangelicæ paupertatis ſchola eruditi, omnes quæ de contractibus, de cambiis, de nundinis emergunt difficultates, facillime reſolvetis.

§. II.

BEATITUDO SECUNDA.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.

I. Manſuetudo eſt firma ſtabilitas animi, quæ nullis aut contumeliis, aut laudibus afficitur. Deſcribitur aliis verbis, quod ſit modeſti animi tranquillitas, quæ nulla rerum adverſantium perturbatione, nulla reſtantis fortunæ procella iactatur, aut concutitur: ſeu eſt animi quædam ſuavitas, quam nulla ſuperat amaritudo, nulla moleſtia conturbat. Heinc Gloſſa in hæc verba, *Beati mites*, inquit: *Mitis eſt quem mentis aſperitas, ſeu amaritudo non afficit, ſed ſimplicitas fidei ad omnem iniuriam patienter perferendam inſtruit.*

II. Chriſtianæ manſuetudinis imaginem depingit S. Petrus *Epiſt. I. cap.* III. his coloribus. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hereditate poſſideatis: qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam a malo, & labia eius ne loquantur dolum.*

III. Præceptum manſuetudinis, in ſecunda beatitudine a Chriſto promulgatum, urget 1. in adverſis, quibus divina voluntate conflictamur: tum enim exercenda eſt manſuetudo, & humiliari nos oportet ſub manu omnipotentis Dei. 2. Cum ſe ſe offert ulciſcendæ alicuius iniuriæ nobis irrogatæ occaſio. 3. Servanda eſt manſuetudo erga noſmetipſos, cum in aliqua, ſive gravia, ſive levia prolabimur.

IV. Ad primum caſum quod attinet, præclarum manſuetudinis exemplum nobis meditandum obiicit Regius Propheta Pſal. CXXIX. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis eius.* Sed quænam eſt hæc tanta manſuetudo, cuius ut recordetur Dominus, orat David? Heroica ſanctiſſimi Regis manſuetudo deſcripta legitur *II. Reg. cap.* XVI. ubi conviciis ab Semei incredibiliter laceſſitus, & lapidibus impetitus, non modo in illum non excanduit; verum etiam Abiſai filium Sarviæ, conviciatoris caput amputare, ut Regis iniuriam vindicaret, cupientem, his verbis coercuit. *Quid mihi, & vobis eſt, filii Sarviæ? Dimittite eum ut maledicat. Dominus enim præcepit ei ut malediceret David: & quis eſt qui audeat di-*

dicere, quare sic fecerit? Et ait Rex Abisai, & universis servis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Iemini? Dimittite eum ut maledicat iuxta præceptum Domini: si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.

V. Quis non miratur confusus insignem tanti Regis mansuetudinem? Considerabat ille Dominum præcepisse sui humiliationem, permittendo Semei iniquitatem, ut interpretantur Patres. *Numquid in ore blasphemi Deus?* (inquit serm. XXXIV. in Cant. S. Bernardus) *Absit. Sed eo usus est ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus: & ideo dicit*: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. *Vides quia humilitas iustificat nos? Humilitas dixit, & non humiliatio. Quanti humiliantur, & humiles non sunt. Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii libenter.* Nec violatæ promissionis David accusari potest, quod moriturus Salomoni necem Semei præcepit: tum quod promiserat ultionis remissionem usque dum ipse vitam ageret; idque exacte observavit, cum solum post mortem suam necem Semei exequendam præceperit: tum quod absque mansuetudinis læsione Reges animadvertunt in delinquentes.

VI. Secundo præceptum mansuetudinis erga proximum urget omni quidem tempore, sed præsertim cum ulciscendæ susceptæ iniuriæ opportunitas se se offert, & cum ad adorandum Deum accedimus; ut *Matth.* V. habetur. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.*

VII. Urget quoque præceptum mansuetudinis erga proximum, cum eum ex divino mandato corrigere astringimur, ut Apostolus ad *Galat.* VI. admonet. *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Nihil ad misericordiam sic inclinat quam proprii periculi meditatio. Nihil æque corrigentis severitatem frangit, & linit, ac proprii lapsus timor. *Alter alterius onera portate*; idest, singuli aliorum infirmitatibus, & peccatis condoleant, illa dissimulent, eaque ut propria ferant, fraterna caritate corripiant in spiritu lenitatis, in idque unice incumbant, ut emendationem, non punitionem fratris intendant. Hoc si præstiterint, legem Christi adimplebunt. Hoc si omiserint, legem Christi conculcabunt. Hæc altius animo hæreant.

VIII. Mansuetudinis præceptum tertio loco prohibet ne contra nosmetipsos ob commissa peccata ultra modum anxii, solliciti, molestique simus. Recta ratio iubet

bet ut de peccatis doleamus nostris; sed dolor noster humiliationem, & confusionem intra modum parere debet, non immoderatam iracundiam, & desperatam tristitiam. Hæc enim nimia tristitia, & anxia sollicitudo, non ex humili contritione, sed ex arcana vanitate, & præpostero amore, seu ex occulta superbia proficiscitur. S. Ioannes Climacus in VIII. suæ scalæ gradu, de eiusmodi, qui nimio dolore correpti adversus semetipsos ultra mensuram indignabantur, hæc scribit. *Mirabar, quod primam ruinam altera ruina eo pacto plecterent, neque, nisi misericordia commotus, intueri poteram calamitosos illos homines qui peccatum unum altero peccato vindicare vellent. Et cum obstupescerem artificiosam dæmonum improbitatem, & malitiam, nihil propius fuit quam ut de me ipso, & de mea ipsius salute desperarem.* Hoc perraro accidit, quia communiter homines deficiunt, non excedunt in doloris mensura. Documentum eo pertinet, ut cor nostrum contritum sit & humiliatum, non superbo dolore inflatum.

§. III.

BEATITUDO TERTIA.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

I. Beatos prædicat Christus qui lugent non carne, sed spiritu, ab æterna patria absentiam, qui illuc suspiria sua intendunt, & spem dirigunt. Hanc spiritus tristitiam describit in suæ scalæ VII. gradu S. Ioannes Climaeus, inquiens: *Luctus qui secundum Deum est, est quædam animæ tristitia, & cordis peccatorum suorum dolore perusti afflictio, quæ cum quodam veluti cuiusdam furoris impetu summi boni fruitionem concupiscit, & quærit, cuius desiderio veluti ardentissima siti cruciatur, in cuius prosecutione gravissimis laboribus perfungitur, ad cuius denique possessionem altissimis suspiriis, mœstissimisque gemitibus annititur.*

II. In horum lugentium censum perscribi sane nequeunt filii huius sæculi, qui insanientis mundi ardore perusti rerum temporalium iacturam lugent. His beatis lugentibus accenseri non possunt vanissimæ illæ amasiæ, seu matronulæ, quæ ementitis suis lacrymarum præstigiis illicere ad sua propudiosa desideria viros pertentant: neque amasii illi qui insano muliercularum amore, veluti philtro quodam dementati, gemunt, lacrymantur, insaniunt, donec ad earum, quas efflictim depereunt, amplexus perveniant. Quid de avaris, & universis mundi amatoribus dicam, qui perpetuo illecebrarum sæculi gaudio deliquescunt, quique vix umquam amissionem æternæ felicitatis lugent? Quamquam enim Christiani ad hanc spiritualis luctus perfectionem præcepto non urgeantur; tamen qui numquam lugent, sed lætabundi exultant in huius sæculi deliciis, cum beatis lugentibus partem in altera vita non habebunt, sed æternas ibi effundent lacrymas. Contra

istos Christus Dominus *Luc.* VI. clamat : *Væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram : væ vobis qui saturati estis, quia esurietis : væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.*

III. Aeternam Christus interminatur maledictionem divitibus huius sæculi, qui opum splendore, qui fugacis huiusce felicitatis illecebris, & umbratilis voluptatis deliciis animos suos oblectant : qui inter pauperum & viduarum ærumnas, & innocentum calamitates rident, & prospero successu inflati & turgidi tripudiant.

IV. Qui amantissimi patris demortui recordatur, vix coercere amarissimum luctum valet. An Christi Domini amantissimi omnium parentis tot contumeliis affecti, tot persecutionibus lacessiti, tot doloribus, & plagis sauciati recordantur Christiani illi qui continenter in huiusmodi deliciis lætantur ! Quot sunt qui Christum passum, & pro nobis gemitibus inenarrabilibus apud Patrem interpellantem recordentur, & adimpleant ea in carne sua quæ desunt passioni eius ? Sed proh dolor ! Desolatione desolata est terra : iactatur Christi Ecclesia undiqueversum : grassantur scelera usquequaque, & omnem ferme ordinem ac statum invadunt, & vix est qui recogitet corde. Totus fere mundus in maligno positus est. Verum de hoc mundo gaudente, & lætabundo hæc Christus prædixit. *Mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

§. IV.

BEATITUDO QUARTA.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

I. Variæ sunt Patrum interpretationes in hunc Christi Domini textum. Alii intelligunt beatos illos esse qui propter iustitiam exagitati & cruciati, fame & siti laborant. Ad hanc famem & sitim non omnes Christiani astringuntur; sed illi dumtaxat quos, divina providentia sic disponente, annonæ penuria ad hunc necessitatis articulum adegit. Ex his fuit Apostolus, civis alioquin Romanus, & plures alii, de quibus *I. Cor.* IV. hæc prædicat : *Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.* Alios vero miris laudibus extollit *ad Hebr.* XI. inquiens : *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus : in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.* Innumeri fuerunt Christiani qui famem,

mem, sitim, & continuam penuriam, immo mortem ipsam propter iustitiam invicto animo pertulerunt. Ad hanc sitim, & famem astringuntur Christiani omnes ieiuniorum tempore. Sitim & famem moderatam sustinere præsertim illi tenentur qui præ ciborum copia in obscænas commoventur libidines, qui periclitari proximum ob penuriam vident, ut illum morti subducant.

II. Alii hunc locum interpretantur de iustitia, quæ miseris, inopibus, viduis, innocentibus, eam enixe flagitantibus, denegatur. Beati sunt qui hanc iustitiam sitiunt, & denegatam tolerant, utpote ad eorum probationem, & sanctificationem a Deo ordinatam. Verum si isti beati a Christo vocantur, improbi, & scelesti illi sunt qui hanc iustitiam præstare recusant.

III. Alii demum interpretantur verba Christi de siti & fame, idest de ardenti desiderio consequendæ iustitiæ, & in iustitia, quæ est omnium virtutum complexio, proficiendi. Hæc est communior & verior Patrum interpretatio. Porro hanc esurire & sitire iustitiam omnes Christiani astringuntur. Unum laudare sufficiat S. Augustinum, qui in hunc locum sequentia scribit, inquiens: *Non enim ad saturitatem iustitiæ, cum hinc exierit, quisque perveniet, nisi ad eam, cum hic est, esuriendo & sitiendo cucurrerit. Beati quippe qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Quamdiu ergo peregrinantes a Domino per fidem ambulamus, non per speciem (unde dictum est:* Iustus ex fide vivit*) hæc est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, ut ad illam perfectionem, plenitudinemque iustitiæ, ubi in specie decoris eius iam plena, & perfecta caritas erit, nunc ipsius cursus rectitudine, & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum, & servituti subiiciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis, & dimittendis, quæ in nos sunt commissa, peccatis, hilariter & corde faciendo, & orationibus indefinenter insistendo, & hoc faciendo IN DOCTRINA SANA, qua ædificatur fides recta, spes firma, caritas pura. Hæc est nostra iustitia, qua currimus esurientes, & sitientes ad perfectionem plenitudinemque iustitiæ, ut ea postea saturemur.* Plura huc attinentia ibidem habet Augustinus, quæ prætereo. Sapientissimam interpretationem S. Bernardi, quam exhibet *epist.* CCLIII. supra rescripsi.

IV. Beati igitur vocantur a Christo qui famem & sitim corporalem patiuntur, ut eiusdem passioni conformentur, ut martyres, & pœnitentes; vel qui inediam, & penuriam, sibi a divina providentia immissam ad probationem & sanctificationem, christiana patientia tolerant: tum qui pupillis, viduis, aliisque innocentibus oppressis iustitiam administrant, vel administrare conantur: tum denique qui in evangelicæ caritatis stadio inflammati ardenter percurrunt, ut ad perfectionis fastigium pro virili ascendant.

§. V.

BEATITUDO QUINTA.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

I. Misericordiæ opera tum corporalia, tum spiritualia Christus præcipit recensitis verbis. Eos beatos declarat qui esurientes pascunt, qui sitientes potant, qui operiunt nudos, qui redimunt captivos, qui ægrotos visitant, qui hospitio peregrinos excipiunt, mortuos sepeliunt: similiter illos beatos prædicat qui corrigunt peccatores, ignorantes imbuunt, dubitantibus recte consulunt, pro salute proximi Deum orant, consolantur mœstos, patienter iniurias ferunt, & offensas remittunt. Hæc omnia ad hanc quintam beatitudinem attinent. Duo tamen opera, unum ignoscendi, alterum benefaciendi, Christus Dominus inculcat; ut sapienter *ser. xv. de verb. Domini* exponit S. Augustinus. *Duo sunt opera misericordiæ, quæ nos liberant, quæ breviter Dominus posuit in Evangelio*: Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis . . . *Dicit enim Deus: Dimitte, & dimittetur tibi. Si ego prior dimisi, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te, & quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi: non enim mentitur veritas, non fallit, aut fallitur Christus, qui subiecit dicens*: Sic & faciet vobis Pater vester, qui in cælis est: *invenis Patrem, imitare Patrem. Si enim imitari non vis, exheredari disponis*. Faciet ergo vobis ita, *inquit*, Pater vester cælestis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. *Ne dicas in lingua, Ignosco, & corde differas. Supplicium enim ostendit tibi Deus, minando vindictam. Novit Deus ubi dicas. Vocem tuam homo audivit, conscientiam tuam Deus inspicit. Si dicis, Dimitto, dimitte. Melius est, cum clamas ore, & dimittis in corde, quam blandus ore, & crudelis in corde.*

II. De altero misericordiæ opere quod præcipue Christus commendat, non minus aperta sunt evangelica oracula: inquit enim *cap.* VI. Lucas: *Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis*.

III. Innumera sunt Scripturarum elogia, & privilegia eleemosynæ a Deo concessa. Hæc a peccatis liberat, plenam de præteritis impetrat remissionem, & a futuris præservationem. Verum tum Scripturæ sanctæ, tum Patrum testimonia in eleemosynæ commendationem retuli *Tom. II. in Decal*. Idcirco a fusiore sermone nunc abstineo.

§. VI.

§. VI.
BEATITUDO SEXTA.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

I. Cordis munditiem, in caritate erga Deum, & proximum sitam, Christus præcipit. Caritas enim ignis cælestis est, qui purgat cor nostrum ab omni immunditia mentis, & corporis. Qui ergo caritate ardent, munditiem cordis ab omni inquinamento immaculatam possident. Caritas enim, inquit *I. Cor.* XII. Paulus, omnia sibi subiicit, inimicos superat, & sibi amicos facit vel invitos. *Patiens est, benigna est. Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet.* Deus ipse caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet. Ergo in increata puritate.

II. Qua igitur obligatione astringuntur ad caritatem, eadem obligantur ad cordis puritatem, & munditiem. Hac præditus Christianus & munitus, omnem culpæ labem, omnem maculam, & immunditiem detestatur. Si plura de caritate cupis, legesis *Tom. I. in Decal.*

§. VII.
BEATITUDO SEPTIMA.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

I. Triplicem distinguit pacem S. Thomas, cum Deo, cum seipso, cum proximo. Pacem definit *Lib. XIX. de civ. Dei cap.* XIII. S. Augustinus his verbis. *Pax omnium rerum est tranquillitas ordinis. Ordo autem est parium disparium que rerum sua cuique tribuens loca dispositio.* Pax corporis est ordinata partium temperatura. Pax animæ rationalis est ordinata requies appetitionum, seu cognitionis, & actionis consensio. Pax hominis cum Deo est ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum est ordinata concordia. Pax domus & civitatis est ordinata imperandi, atque obediendi concordia cohabitantium.

II. Pax generatim accepta dividitur in bonam, & malam. Pax mala triplex, inquit S. Bonaventura *Diet. sal. tit.* VII. *cap.* VI. nempe *pax inquinata*, qua improbi fœdus ineunt ad patrandum malum. *Pax simulata*, qua versipelles, & vafri hilarem vultum produnt, & interno odio ardent. *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*: *Psal.* XXVII. Ultima est *pax inordinata*, ut cum maior paret minori.

III. Nihil Scripturæ sanctæ crebrius efficaciusque inculcant quam pacem mutuam cum omnibus. Apostolus Rom. XII. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omni-*

bus

bus hominibus pacem habentes . . . Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Rursus Ephes. cap. IV. *Super omnia autem caritatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordis vestris.*

IV. Hanc pacem Christus nobis reliquit, veluti hereditatem. *Statuit illis testamentum pacis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis*: Ioan. XIV. Pax quam nobis Christus commendat, sororem veritatem annexam habet. *Pacem, & veritatem diligite*. Et quoniam veritas paucis arridet; ideo pauci sunt qui veram pacem diligant. Amatores sæculi pacem iactant quæ seiuncta a veritate est; sed hæc pax non est, sed pacis simulacrum. Pacem istam semper prædicarunt Prophetæ falsi. *Deceperunt populum meum, dicentes, Pax, & non est pax*: Ezech. XIII. Hæc pacis ementita simulatio zelum Davidis accendit. *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*. Adversus hanc pacem hæc Christus Dominus *Matth.* X. pronuntiavit. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere. Non veni pacem mittere, sed gladium.* Heu quam multi æternum pereunt, ementitæ pacis simulacro decepti! Pacem plurimi exaltant, ut propriæ quieti, commodo, & utilitati consulant. Pacem extollunt, unde ruina Christianismi manat, humanorum respectuum lenocinio capti, ne scilicet odium adversus se concitent: ut hominibus amabiles se se exhibeant, Christi caussam produnt iniquo silentio.

§. Ultimus,

In quo

Confessarii ad evangelicæ legis studium animantur.

I. HActenus septem beatitudines Christus Dominus declaravit, quæ sunt veluti septem salutis nostræ æternæ signa, & præsidia. Vestrum nunc appello iudicium, o Confessarii. Nonne hæc simplex septem beatitudinum expositio, hæc nativa christianæ professionis imago, hoc evangelicæ sanctitatis specimen, rudi penicillo meo adumbratum, Christo ipso materiam subministrante, plus unctionis cælestis, plus divini amoris in cordibus vestris accendit quam plurium voluminum contentiosæ dissertationes? Quid, si integrum Christi Domini sermonem legeritis ipsius divina voce expressum? Quid, si integra Evangelia, & Epistolas apostolicas seria humilique contemplatione meditati fueritis? Addit ibidem Christus veluti ad beatitudinum complementum: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Evangelicæ perfectionis fastigium, ad quod beatitudines viam parant, tolerantia est persecutionum mundi propter iustitiam, & veritatis divinæ defensionem. *Omnes* quippe *qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur*. Huc recidunt omnia.

II. Hæc sola, o Confessarii, beatitudinum doctrina, mentis dentibus bene mansa,

sa, & moribus vestris expressa, sapientiores vos efficit, & in peragendo ministerio aptiores quam si millenas casuum resolutiones memoria teneretis. Expergiscimini ergo, & huc conferte studia vestra. Animarum regimen onus est angelicis humeris formidandum. Cur quaeso? Potissimum sane ob gravissimam difficultatem ligandi & absolvendi, quin ad aliquod aut nimii rigoris, aut redundantis indulgentiae extremum declinetur. Quod periculum hac potissimum aetate eo est gravius, quo, sublatis libris poenitentialibus, circumstant volumina casuistica, in quibus de absolvendis, ligandisque reis tanta est opinionum varietas, ut nisi in evangelica doctrina versati simus, facillime Sancta Sanctorum scelestis distribuamus. Confessarii itaque omnes curam habent animarum, & quidem in ministerii parte omnium difficillima, & tremendissima. Huiusce curae, & villicationis rationem exactissimam reddituri Iudici divino sunt. An haec recogitant illi qui Confessarii ministerium anxii & solliciti aucupantur, & veluti sacrilega nundinatione venantur, tamquam professionem civilem, unde vel victum sibi captent, vel viam sibi parent ad gradus altiores obtinendos, vel denique ut aliquod officium exerceant, & Confessarii nomen titulumque iactare queant? Et quo sunt ignorantiores, eo sunt & prodigaliores in proiiciendis margaritis ante porcos, & audaciores in calumniandis viris doctis, qui ad Evangelii normam absolvunt, aut ligant. Deplorat S. Basilius eiusmodi & caecos ducentes, & caecos ductos, de *abdicat. rer.* his verbis. *Contendit adversarius noster ut nobis persuadeat, ut alicui nos credamus propter vitia simulata quadam lenitatis specie commendanti, ut hoc modo innumeris nos libidinibus irretiat. Si ergo cum corpore tuo mitius agere volens, magistrum tibi quaesieris tecum se ad vitia tua demittentem, tecum una in eamdem perniciem corruentem, frustra mundanis rebus nuntium remisisti, qui caecum tibi ducem asciveris, cuius ductum secuto in foveam tibi sit procedendum.*

III. Opportunissima est lamentatio P. Vincentii Contensonii, viri doctissimi, atque elegantissimi *Lib. VI. disp.* III. *cap.* II. *specul.* 2. ubi haec habet. „ At vero iuxta „ modernos Probabilistas, sicut quaelibet opinio probabilis tuta est agendorum re„ gula, ita quilibet de plebe doctus, quilibet Sacerdos, post semel aut iterum per„ lectum *Bertinum*, *Bertualdum*, post exploratum compendium *Dianae*, vel *Bonaci*„ *nae*, idoneus habetur regendis animabus dux . . . Vidi non sine acerbissimo do„ loris sensu in quibusdam communitatibus, austeritatem non mediocrem profi„ tentibus, excipiendarum Confessionum curam infirmissimis ingeniis committi, „ quibus perpensa divinarum rerum cognitio nulla, nulla librata iudicii maturitas, „ sed temeraria de rebus ignotissimis, & minime meditatis disserendi fiducia ... O „ puniendam augustissimarum rerum profanationem! . . . Vae peccatoribus in hu„ iusmodi duces incurrentibus. Sed terribilius vae Praelatis, tam miseros duces tam „ damnabiliter praeficientibus! " Non ignoro, me alibi hoc Contensonii testimonium

nium tranſcripſiſſe; ſed iuxta Platonis dictum, quæ opportuna ſunt, & bis, & ter inculcanda ſunt. Forte, inquit S. Auguſtinus, qui alibi non legerunt, legent hic. Quæ vidit, & doluit Contenſonius, eadem videmus & nos ipſi, atque lacrymamur in dies obtinere.

IV. Continenter ergo, o Confeſſarii, ob oculos habetote oraculum Chriſti: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Erratis, & quidem vehementer, ſi ex nimia indulgentia, quæ flagitiis linimenta quærit, nullam in vos, nullam in Eccleſiam Dei perniciem redundare creditis. Serio perpendite effatum iſtud veriſſimum: *Ars artium, & experimentum periculoſum eſt regimen animarum*. Attendite ſeveriſſimam exigendam a vobis eſſe rationem, num ad evangelicæ legis normam mores Chriſtianorum reformaveritis. An ignoratis, vos eſſe diſpenſatores myſteriorum Dei, & ſanguinis IESU CHRISTI in Cruce effuſi? Porro *quis eſt fidelis diſpenſator*? Si malum eſt peccata committere, ultimum malitiæ extremum eſt, peccatis opinionum lenocinio blandiri. Verum, cum frequenter in ſuperiori *Tom IX.* ad vos orationem habuerim, hæc nunc pauca in memoriam revocaſſe ſufficiat.

V. Unum dumtaxat adiiciam, nempe precationis aſſiduæ exercitium vobis neceſſarium eſſe, quo lumen imploretis ad veram rectamque viam diſcernendam, per quam ducere poſſitis animas veſtro miniſterio ſubiectas, quo gratiam aſſequamini accendendi in vobis zelum vere apoſtolicum, & induendi fortitudinem ſacerdotalem contra ſanioris doctrinæ perſecutores. Illud poſtremo enixe a vobis imploro efflagitoque, ut mei ipſius in veſtris precibus, atque ſacroſanctis Sacrificiis memores eſſe velitis. Plura me in hoc prolixo, & laborioſo opere peccaſſe ſi negarem, fatuus eſſem. Et veſtris ergo, & meis precibus imploranda venia errorum meorum eſt a clementiſſimo Deo, ad cuius maiorem gloriam, quidquid boni eſt, referri iure debet. Errores tantum mei ſunt, pro quibus expiandis eluendiſque ad CHRISTUM IESUM, Advocatum, Magiſtrum, & Patronum ſupremum humili & profundo animo ſupplex accedo, ut infinitis paſſionis ſuæ meritis remiſſionem ab æterno Patre ſuo mihi delictorum meorum obtineat, & lectoribus meis gratiam proficiendi ex huiuſce, qualecumque ſit, operis meis lectione. Interim omnia quæ in cunctis libris meis ſcripſi, irreformabili ſanctæ Matris Eccleſiæ iudicio, pleno obſequentique animo ſubmitto, & in anteceſſum omnia & ſingula improbo & execror quæ illius doctrinæ diſſentanea eſſe queunt. Ita ſentio, & adfirmo die ultima Iulii, ſancto Patriarchæ Ignatio ſacra, cuius, & ſancti Patriarchæ Dominici, atque SS. Auguſtini, Thomæ, Thaumaturgi Vincentii Ferrerii, & in primis Beatiſſimæ Virginis MARIAE patrocinio me ſummopere commendo, anno ſancto MDCCL. feliciter regnante ſapientiſſimo Pontifice BENEDICTO XIV. *Omnia ad maiorem Dei gloriam. Amen.*

FINIS TOMI DECIMI.

INDEX

RERUM, ET VERBORUM

Quæ in hoc Tomo continentur.

A

C

Quæ

D

E

Iu-

Deus

Ma-

de

Num

S

T

Z

F I N I S.

Errata		*corrige sic.*
Pag.	lin.	
35.	24. propri	proprii
187.	27. ut fimil	ut fimul
328.	8. licitum eft	licitum non eft
430.	38. iupicari	fufpicari.
481.	2. Retoeris	Rectoris
511.	15. fibi verti	fibi vertit
550.	3. fruftra me	fruftra a me.

Ad pag. 169. *lin.* 15. TOMI IX.

Pro an. 1669, *lege* an. 1696.